
Liber Phijsicorum

Q

O
18
3

Quendus dominus Pater noster

Digitized by Google



DISPVTATIONES PHYSICAE COMPLECTENTES LIB. PHIS. CELI. MVNDI METEORORVMQVE

Collectę ex Doctrina Scoti
Ab Admodum Reu: Prē
Magistro VINCENTIO Ciorla
de Scanno Min. Conu.
In Aquilano Gymnasio
Regente

Romæ Typis Ludouici Grignani Superior. permissu 1648

REVERENDISSIMO PATRI
PATRI MAGISTRO
MICHAELI ANGELO
CATALANO
A SANCTO MAVRO,

Vniuersi Ordinis Min. Conu. S. Francisci
Generali Ministro.

FR. VINCENTIVS CIORLA DE SCANNO
P. P. P.

INOLITA *Libros deuouendi consuetudo, me pariter cui præsens opus inscribam ad quærendum excitarunt. Cur verò tuum præ cæteris, nomen* (Reuerendissime Pater) *elegerim, non vnica se se offeret ratio, plures inuestiganti reperturo. Tibi sanè dicandus erat hic Liber, qui de Cælo cum sit assistentem sibi poscebat Intelligentiam. Et quem, istæ pro Scoto elucubrationes, meliorem nancisci poterant Mæcenatem, quam eum, qui artium omnium Encyclopedia præfulgens, toties in Theatralibus Academiarum spectaculis Scotum egregiè propugnans, vna veluti ex musis, coronam ex syrenum pennis compactam reportauit? quod si Zoilos nasutosque*

Censores eludere volui. Leonem ad tuum confugiendum erat, qui procaces maledicorum linguas, illius ad inetar Leonis, quem violati hospitij iura, canisque contubernalis necem, Vrso sceleris auctore perempto, vindicasse, refert Elianus, castigabis. Ea qua totam super inuigilas Religionem indefessa solertia, curam pariter de hoc libello promittere videbatur. Verum vtcumque aliæ non absint consilij mei rationes, hanc tamen vnicam tanquam legitimam profiteor. Tua in prouehendis Scotistarum Tyronum ingenijs anxietas, tua inquam circa studentium profectum tot salubribus contestata Decretis solicitudo plane paterna, omnium calamos Scotizantium tam salutaris consilij coadiutores efflagitat. Ipse igitur ego has breues facilesque quoad licuit ad Scoti aures Disputationes compegi, quas meæ veluti ad tuos nutus intentæ voluntatis fidem facturas ad te mittendas destinaui. Vale.

AV-

AVCTOR
AD LECTOREM.

SCOPVM methodumque ſcribendi priori Philoſophici curſus volumine præfatus cum ſim, non eſt cur repetam benigne Lector. Te vna hæc alloquendi cauſa eſt, præcari videlicet vt qui me, dũ Phyſiologicas, poſt Logicales Diſputationes exhibeo; promiſsis ſtantem adinuenis; ea, quam priori Tomo benignè recepto feciſti ſpem, præſentem nolueris Librum defraudare. Sic viam ſequenti facilem adaperies, huiuſque operis Coronidem tuæ debebo humanitati. Si quem verò Lectorem maleuolum nactus ſim, Paræneſim ipſi, quam in ſuis quidam cecinit Metatheſibus, hoc anagrammate ſubijcio.

Omnes Lectores Viri maledici
Dementes ſcioli Liuore macri.

AD

AD AVCTORIS LAVDEM.

FRATER ANTONIVS GHIMENTVS
DE CASTRO FLORENTINO
Hoc reuerentis animi Anathèma.

PATER MAGISTER
VINCENTIVS CIORLA
DE SCANNO MINORITA
CONVENTVALIS.

ANAGRAMMA.

PAR SCOTISTARVM INGENIIS LAC: TYRONEM
EDVCANS ANNO VNO RECTE ALVIT.

EXASTICHON

Qui cupis in Scoti doctrina, tempore paruo
Proficere, & Cursu discere multa breui
PAR SCOTISTARVM INGENIIS LAC, ecce TYRONEM
Quod facilè instituit, quod bene nutrit adest
Obscura hinc Scoti quis Dogmata dixerit vltro?
Hæc Rectè ANNO VNO Ciorla docere potest.

FR.

FR. MICHAELANGELVS CATALANVS à Sancto Mauro Art. & Sac. Theol. Doct. Vniu. Ordinis S. Francisci Min. Conu. Minister Generalis, & Seruus.

OPVS, cuius titulus est, *Disputationes Physicales de Cælo, Mundo, & Metheoris*, elaboratum à P. Mag. Vincentio Ciorla de Scanno in Aquilano Gymnasio nostro Regenti examini, & recognitioni P. Mag. Ioannis Tudoni de Auezzano, à nobis deputati commisimus cumq. ab illius diligenti indagine peruentilatum, nihil repertum sit continere, quod illi ad prælum viam præcludat, vt prælo detur, his nostris, seruatis seruandis concedimus, &c. Datum Romæ die 10. Augusti 1648.

Fr. Michael Angelus Catalanus Min. Gen.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Laurentius à Laurea Secr. Ord.

Operis Approbatio.

EGo subscriptus ex commissione Reuerendissimi P. Mag. Mich. Ang. à Sancto Mauro Ministri Generalis nostri Ordinis Min. Conu. quoad potui, attentè legi, *Disputationes Phys. de Cælo, Mundo, & Metheoris*, quas in lucem parauit Adm. Reu. P. Mag. Vincentius Ciorla de Scanno Aquilæ Regens electi, in quibus cum nihil fidei Catholicæ contrarium, & dissonum reperérim; sed omnia summa cum subtilitate probata, facilitateq. declarata: imò maximam allaturas omnibus agnoscens vtilitatem; dignissimas censeo typis. Datum Aquilæ die 10. Septembris 1648.

Fr. Io. Tudonus ab AueZZano in Aquilano Gymnasio Regens, ac Theologus Emin. Cardinalis Columnæ, &c.

Im-

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Riualdus Vicesg.

LIbrum, cui titulus est, *Disputationes Physicales complectentes octo Libros Physicorum de Cælo, Mundo, & Meteoris*, collectæ ex doctrina Scoti ab Admodum Reuerendo Patre Magistro Vincentio Ciorla de Scanno Minorum Conuentualium in Gymnasio Aquilano Regente, mihi à Reuerendissimo Patre Magistro Sac. Pal. Apost. recognoscendum commissum summa qua potui diligentia perlegi, & in eo nihil fidei Orthodoxæ, ac bonis moribus dissonum reperi: imò propter eius claritatem, ac facilitatem summoperè studiosis vtilem fore arbitror. Quapropter dignissimum vt typis mandetur censeo. Ex Conuentu Sanctæ Mariæ super Mineruam die 14. Nouembris 1648.

Fr. Hieronymus Lucius Ordinis Prædicatorum, in Conuentu Sanctæ Mariæ super Mineruam Philosophiæ Lector.

Imprimatur, Fr. Raymundus Capisuccus Magister, & Soc. Reuerendissimi Patris Fr. Vincentij Candidi Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Prædic.

IN-

INDEX
DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM,
Quæ in hoc Tomo continentur.

LIBER PRIMVS PHYSICORVM.

DISPVTATIO PRIMA
De natura Physicæ.

DISPVTATIO II.

DISPVTATIO III.

a Quæ-

DISPVTATIO IV.

DISPVTATIO V.
De Priuatione.

DISPVTATIO VI.
De Composito Physico substantiali.

LIBER II. PHYSICORVM.

DISPVTATIO I.
De Natura. 102

DISPVTATIO II.
De Causis in communi, seu in genere. 119

De Diuisione Causarum. 125

DISPVTATIO III.
De causa materiali.

DISPVTATIO IV.
De causa formali.

DISPVTATIO V.
De causa efficienti.

a 2 DI-

DISPVTATIO VI.
De causa finali. 161

DISPVTATIO VII.
De causa Instrumentali. 170

DISPVTATIO VIII.
De causa Exemplari.

De Causis per Accidens.

LIBER III.
PHYSICORVM.

DISPVTATIO I.
De Motu. 186

DISPVTATIO II.
De Actione, & Passione.

DISPVTATIO III.
De Infinito. 206

LI-

LIBER IV. PHYSICORVM.

DISPVTATIO I. De Loco.

DISPVTATIO II. De Vacuo.

DISPVTATIO III. De Tempore. 248

LIBER V. PHYSICORVM.

DISPVTATIO VNICA. De speciebus motus, ac de eius vnitate, & oppositione. 255

LIBER VI. PHYSICORVM.

DISPVTATIO I. De quantitate continua.

Quæ-

DI-

DISPVTATIO III.
De Accidentibus Cæli.

DE MOTV CÆLORVM.

DE FIGVRA CÆLI.

DE LVMINE CÆLI.

DE INFLVXV CÆLI.

DE QVANTITATE,
Et alijs accidentibus Cæli.

DISPVTATIO IV.
De Elementis.

De Metheoris in Genere. 362

De Metheoris Aqueis.

De Metheoris conuenientibus Aquis.

LIBER PRIMVS PHYSICORVM.

DISPVTATIO PRIMA,

De natura Physicæ.

QVÆSTIO PRIMA.

An de rebus naturalibus, habeatur scientia?

NATVRALE sumitur dupliciter, primò prout distinguitur à supernaturali, & sic omne illud dicitur naturale, quod est infrà naturam, defectu cuius, Deus, & dicta de Deo, vel quæ sunt circà Deum, substantiæ immateriales, qualitates, habitus producti a Deo non dicuntur naturales.

Secundo prout distinguitur ab Arteficiali, & sic omne illud dicitur naturale, quod est a natura, seu includens intrinsecè naturam, vel principia naturæ; defectu cuius entia mathematicalia non dicuntur naturales; In presenti loquimur de naturali secundo modo.

Scientia est notitia certa, & euidens obiecti necessarij, causata per discursum syllogisticum; ex qua definitione eliciuntur quatuor cōditiones, vt diximus in Logica disp. de natura logicæ; pro qua sit.

Concl. affirm. patet 1. ex Arist. 6. Methaf. enumerante Physicam inter scientias, ergo,&c.

Secundo ratione, scire est rem per causam cognoscere, sed de rebus naturalibus scimus causas, per quas ipsæ res sunt, ergo, &c. min. patet nam compositum naturale est corruptibile, quia constat ex materia, & forma; est diuisibile, quia est continuum; est mobile, quia habet naturam,&c.

Obijc. primò, Scientia est necessariorum,

riorum, & impossibilium ex 1. post. sed res naturales non sunt sic, vt pat. nàm modò sunt, & modò non sunt, vt Eclipsis modò, est, & modò non est, ergo,&c.

Resp. Neg. min. ad prob. dist. antecedens res modò sunt, & modò non sunt quoad existentiam, concedo; quoad essentiam, seu quoad connexionem prædicati cum subiecto, nego; nàm vt de aliquo obiecto habeatur scientia non requiritur necessitas obiecti idest, quod ipsum obiectum debeat necessariò existere, quia sic solus Deus esset obiectum scibile, sed requiritur necessitas prædicatorum essentialium cum ipso obiecto, idest, quod ipsa prædicata essentialia debeat necessariò conuenire obiecto.

Obijc. secundò. De corruptibilibus non datur scientia, quia scientia est æternorum, sed res naturales sunt corrupt. quia constat ex materia, & forma, ergo, &c. Item de singularibus non datur scientia, quia scientia est vniuersalium ex 1. post. Sed res naturales sunt singulares, quia percipiuntur a sensu, & sensus est singularium, ergo,&c.

Resp. Disting. maior de corrupt. secundum existentiam non datur scientia, concedo; secundum essentiam, nego; nàm corruptibilia secundum essentiam habent causam necessariam suæ corruptibilitatis, ideò de eis potest esse scientia, vt sunt res physicales; corruptibilitas enim, & mutabilitas non tollunt necessitatem physicæ naturalis, quæ requiritur ad scientiam, quia scire corruptibilitatem, & mutabilitatem per causam necessariam est verè scire per causam, nàm tantæ necessitatis est, quod constat ex materia, & forma est corruptibile, quantæ necessitatis est, quod caret materia, & forma est incorruptibile.

Ad aliud dicimus, quod res naturales sunt singulares pro eo, quod supponunt, non pro eo quod significant.

Obijc. tertiò. De sensibilibus non datur scientia ex 1. post. sed res naturales sunt sic, quia sunt mobiles, locabiles, quantæ, ergo, &c.

Resp. Disting. min. sunt sensibiles pro eo, quod supponunt, concedo; pro eo quod significant, nego: nam res naturales licet sint sensibiles pro eo, quod supponunt, quia sic sunt particulares, non verò pro eo, quod significant, quia sic sunt vniuersales,&c.

Obijc. quartò. Res naturales sunt immersæ in materia, ergo de eis non potest dari scientia; consequentia sequitur, nam de quo est scientia est abstractum a materia, quia intellectus intelligendo abstrahit a materia, ergo, &c.

Resp. Neg. consequētiam; Ad prob. disting. antecedens, a materia sensibili, & particolari, concedo, a materia intelligibili, & communi, nego; nam,&c. Idem dicitur ad prob.

Obijc. quintò. In Physica sunt multæ opiniones, ergo Physica nō est scientia, consequentia sequitur, quia scientia, & opinio apponuntur.

Resp. Disting. antecedens sunt multæ opiniones respectu nostri intellectus, concedo; respectu physicæ secundum se, nego; nam,&c.

Quæri-

Quæritur quæ differentia est inter Physicam, Methaphysicam, & Mathematicam.

Resp. Metaphys. considerat entia abstracta a materia secundum esse, & secundum intelligi, vt Deus, substantiæ separatæ, quidditates, seu prædicata essentialia rerum. Mat. considerat abstracta a materia secundum intelligi, non secundum esse, vt quantitas, licet sit in materia tamen a Mat. consideratur vt abstracta ab ea Physica considerat entia immersa in materia secundum esse, & secundum intelligi; vt entia naturalia, quæ licet sint in materia vtroque modo, tamen Physicus per se primò considerat id quod talia entia singnificant, quod semper est aliquod commune, nullo modo seiunctum a materia.

QVAESTIO II.

An Phys. sit scientia practica, vel speculatiua?

PRactica dicitur a praxi grecè, quod latinè idem est ac operatio, non quæcunque operatio, sed tantum ea, quæ ab intellectu dirigitur, & a Scoto in prologo sent. quæst. 4. sic definitur? Praxis est operatio alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione nata conformiter elici rationi rectæ ad hoc vt sit recta? ex qua definitione eliciuntur tres conditiones; Prima, quod sit alterius potentiæ ab intellectu, vnde nec speculatio, nec intellectio possunt vocari praxis. Secunda, quod sit posterior intellectione, ita quod ab ipsa reguletur, quarè operationes, quæ præcedunt intellectionem, vt nutriri, augeri, sentire non sunt practicæ, nec speculatiuæ, sed puræ naturales. Tertia, quod talis praxis sit conformis rationi rectæ, &c. ex his sequitur, quod solùm actus voluntatis sit praxis siuè sit elicitus, siuè imperatus.

Scientia practica est idem, ac scientia operatiua, quatenùs actus eius ex natura sua non sunt propter solam cognitionem, sed vt dirigantur in opus, vt Ethica, quæ docet operationem, virtutis esse talis naturæ, vt sic fiat ab homine, vt E. g. cognitio istius propositionis, Deus est diligendus super omnia, Proximus est amandus. Est cognitio practica, quia non solum explicat naturam Dei, & proximi esse talé, sed etiam suadet actualem dilectionem Dei, & proximi. Scientia speculatiua dicitur illá quæ contemplatur rem, & considerat eius naturam, & ita sistit in tali contemplatione, vt ex natura sua non referatur ad aliud siue ad alios actus dirigendos, vt cognitio huius propositionis, corpus naturale est mobile, est speculatiua, quia sistit in simplici contemplatione naturę corporis naturalis, nec progreditur vlterius; his positis sit.

Concl. Phys. est scientia speculatiua patet 1. ex Aristotile diuidente scientiam speculatiuam in Physicam, Methaphysicam, & Mathematicam, ergò, &c.

Secundo ratione, scientia speculatiua versatur circa obiectum speculabile, sed obiectum Physicè est speculabile,

labile, quia eius consideratio non se extẽdit ad praxim, ergo, &c. Item Phys. est solum ordinata ad veritates rei contemplandas, non autem ad aliquod extrà intellectum efficiendum, sed hoc est munus scientiæ speculatiuæ, ergo, &c.

Obijc. primò. Scientia practica ordinatur ad opus, sed Physica est sic, quia multi addiscũt Physicam propter pecuniam, quæ est opus, ergo est sciẽtia practica.

Resp. Neg. antecedens; Ad prob. distinguend. minor. pecunia est opus scientiæ Physicæ, nego, ipsius scientis, concedo: nam scientia practica est illa, cuius finis propriè est opus, quod in casu non est sic ideo, &c.

Obijc. secundò. Ethica dicitur practica, quia est circa humanos actus, idest circa actus intellectus, & voluntatis, sed Philosophia est sic, vt patet in libris de Anima, ergo saltem quo ad illam partem est scientia practica.

Resp. Disting. maior. quia est circa humanos actus quomodocunque nego: regulatiuè, concedo, nam Philosophia non est circà humanos actus, regulatiuè illos regulando, sed tantum illos contemplando.

Obijc. tertiò. Physica dirigit voluntatem ad bene operandum, nam ex cognitione rerum naturalium excitamur ad amorem Creatoris, ergo est practica.

Resp. Disting. antecedens, dirigit voluntatem propter solam ostensione m obiecti solùm ostendendo res naturales, concedo; regulando ipsam voluntatem, & tradendo regulas, vt operetur iuxtà rationem, nego; nam Physica solum ostendit ipsa obiecta naturalia, & cognitis ipsis rebus naturalibus, tunc lumen Dei faciliùs penetrat corda nostra, & facit nos benè operans, & ex his non sequitur quod dicatur scientia practica, &c.

Obijc. quartò. Medicina est pars Physicæ, sed est practica, ergo similiter Physica; saltem quoad istam partem.

Resp. Neg. maior. propiè loquendo; nam medicina potest dici pars Physicæ quatenus vbi desinit Physicus, ibi incipit Medicus, & est ei subalternata, quatenus includit multas cognitiones Physicas.

QVAESTIO III.

An Physica sit vna scientia specie, vel genere?

CONcl. Physica dicitur vna scientia genericè; est Scoti quæst. 3. Metaph. & in 1. dist. 3. quæst. 6. contrà Thom. sustinentes, Philosophiã esse vnam simplicem qualitatem, seù esse vnam scientiam specie; prob. vbi sunt conclusiones, & demõstrationes specie differentes, sunt etiam habitus, & scientiæ specie differentes, sed in Philosophia pro singulis partibus sunt cõclusiones specie distinctę, ergo Philosophia specificè non est vna; maior. patet: nam habitus acquiruntur per actus, & per obiecta ex 2. de anima tit. 23. ergo eam limitationem habent habitus, quàm actus, & obiecta, & consequenter si actus, & obiecta specie

ſpecie differunt, etiam habitus ſpecie differunt min. etiam patet: nam concluſiones,& demõſtrationes, quas habemus de cælo non ſunt eiuſdem ſpeciei cum his, quæ ſunt de generabilibus, & corruptibilibus; conſequentia ſequitur, quia effectus ſequitur limitationem ſuæ cauſæ.

Secundò prob. ſcientia habens pro obiecto adęquato aliquod commune ad plura obiecta ſpecie diſtincta, eſt vna vnitate generica, ſed Philoſophia eſt ſic, vt patet, ergo, &c.

Obijc. primò. Potentia viſiua eſt vna ſpecificè reſpectu plurium obiectorũ ſpecie diſtinctorum, ergo ſimiliter ſciẽtia eſt vna ſpecificè reſpectu obiectorum ſpecie diſtinctorum, conſequentia ſequitu r, quia ſic ſe habet ſcientia ad ſuum obiectum, ſicut potentia ad ſuum, nam ſicut potentia viſiua eſt circa viſibile tamquam ſuum obiectum, ita ſcientia circa ſcibile, tamquam ſuum obiectum, ergo, &c.

Reſp. Neg. conſequentiam ad prob. nego paritatem, quia potentia viſiua eſt prior ſuis actibus, & ex multiplicitate poſteriorum non multiplicantur priora; ſcientia verò ſequitur limitationem actuum, & obiectorum, & ab his producitur, & ideo ſi actus, & obiecta ſunt ſpecie diſtincti, etiam ſcientiæ, quæ ab his producuntur ſpecie diſtinguntur.

Obijc. ſecundò. Scientia Phyſica directè ponitur in prædicamento qualitatis, ergo eſt ſimplex qualitas, quia in prędicamẽto non ponuntur aggregata.

Reſp. Diſting. conſequens ſcientia Phyſica eſt qualitas ſimplex genericè, concedo; ſpecificè nego; nam, &c.

Quæritur primò. An Phyſica ſit ſubalternata Metaphyſicæ?

Reſp. Negatiuè, quia non addit ſupra obiectum Metaph. differentiam accidentalem; nam obiectum Met. eſt ens, vt ens, obiectum Phyſicæ eſt corpus naturale, vt dicemus, ergo, &c.

Dices. Metaph. probat principia aliarum ſcientiarum ex Ariſtotile in Procœmio Metaph. ergo omnes ſcientiæ illi ſubalternantur; ſequela ſequitur, quia tunc aliqua ſcientia ſubalternatur alicui ſcientiæ, quando ſumit principia ab illa.

Reſp. Diſting. antecedens; quoad media communia, concedo; propria, nego; vel nego ſequelam, quia deficit ei alia conditio.

Quæritur. An Phyſica ſit prior Metaphyſica.

Reſp. Affirmatiuè ſecundum nos, non verò ſecundum naturam; pars 1. patet, nam illa ſcientia dicitur prior ſecundum nos, quæ agit de rebus, quæ facilè cognoſcuntur, ſed Phyſic. eſt de rebus ſenſibilibus, & immerſis in materia, quæ faciliùs cognoſcuntur, ergo, &c. 2.p. patet ſcientia dicitur prior ſecundum naturam, quia agit de rebus quæ ſua natura ſunt priores, ſed Met. eſt ſic, quia agit de Deo, de intelligentijs, de ente, quæ ſua natura ſunt priora, cum cauſa ſit prior ſuo effectu, & ſimplicia compoſitis.

Quæritur tertiò. An Phyſ. ſit prior Mathematica?

Reſp. Affirmatiuè ſecundum naturam, non quoad euidentiam, & certitudinem, pars 1. patet nam ſub-

ſtantia

stantia prior e sit natura accidens, sed Phys. est circa substantiam, quia circà corpus: Mat. circà accidens, quia circà quantitatem, ergo, &c. 2. p. patet, nàm mat. est de sensibili per se, Phys. est de sensibili per accidens, sed euidétius est sensibile per se, quàm sensibile per accidens, ergo,&c.

Dices, Contra p. p. abstractius est prius natura minus abstracto, vt patet de Metaph. sed res Mathem. sunt abstractiores, quàm res Physicæ, vt dictum est, ergo,&c.

Resp. Disting. maior. quando ambo sunt in eodem genere, concedo; quando sunt in diuersis generibus, nego; nàm res Math. sunt in genere quantitatis, res Physicæ in genere substantiæ, ideò non sequitur, quod res Math. sint priores. Inter Phys. & Met. tenet illa propositio, quia ambo sunt in genere substantiæ.

Dices, Contrà 2. p. Phys. agit de colore, odore,&c. quæ per se sunt sensibilia, ergo quoad euidentiam Phys. dicitur prior.

Resp. Neg. sequelam, quia ista sensibilia cadunt sub vno sensu tantum, quantitas verò sub quocunque sensu, cum sit sensibile commune.

QVAESTIO IV.

Quodnàm sit subiectum in tota Philosophia naturali.

PHilosophia naturalis hic sumitur, vt complectit omnes libros Physicorum, de cælo, & mundo, de generatione, & corruptione, de Animalibus, de anima, excepta Metaph. de subiecto Philosophiæ fuit maxima cõtrouersia inter Philosophos, & opiniones Antiquiores fuerunt valdè plausibiles; non verò opinio Scoti firmior habetur, & vt plurimùm ab omnibus recipitur; & secundũ plures opiniones ponimus etiam conclusiones, qui ordo seruandus est in omnibus alijs quæstionibus, pro qua sit.

Prima concl. Ens mobile nõ est adæquatum subiectum Philosophiæ naturalis est contrà Thomistas putantes cum D. Thom. ens mobile, vt quid communius, & abstractius corpore, continens sub se materiam,& formam, quæ sunt mobiles per se,(vt ipsi dicũt) esse adæquatum subiectum.

Prob. primò. Ex 6. Phys. tit. 32. vbi Aristoteles habet, omne, quod mouetur, est corpus, ergo ens in sua communitate non est mobile, & consequenter non est statuendum subiectũ in Phys. naturale.

Secundò, Ad hominem, ideò ens mobile ponitur subiectum per Thomistas, quia continet materiam,& formam, quæ sunt per se mobiles, & non possunt contineri sub corpore, sed hoc, quod supponitur est falsum, ergo, &c. min. patet, ex 3. Physic. tit. 8. omne, quod mouetur, debet esse in actu, motus enim est actus entis in potentia, vbi se declarans ait, motum esse actum entis non omninò in potentia, sed partim actu, & partim potentia, & esse actum entis ea parte, qua est in potentia, sed materia non est actus, præcipuè per Thomistas, &c.

Tertiò.

Tertiò. Materia nulla specie motus mouetur, ergo non est per se mobilis; antecedens patet inductiuè, non motu generationis, & corruptionis, quia materia est ingenerabilis, & incorruptibilis ex 1. Physic. tit. 82. non alijs motibus, quia termini illorum motuum sunt accidentia, vt patet, & materia, & forma sunt substantiales, ergo, &c.

Caietanus nè tot rationibus torqueretur, explicat aliter mentem D. Tho. inquit enim ipse, ens mobile, quod ponitur subiectum, non est ens quodcũque, sed quòd propriè sit, scilicet compositum commune ad substantiale, & accidentale, & sic colligit, quod qualibet pars subiectiua entis mobilis, quod est subiectum debet esse propriè ens, scilicet compositum siuè substantiale, siue accidentale; & ita subinfert, quod materia (cum non sit composita) non dicitur ens mobile, sed principium entis mobilis, similiter forma; Itaquè tria dicit Caietanus 1. quod subiectum materiale Philosophiæ est ens quod propriè fit, scilicet compositum ex materia, & forma. Secundò quod subiectum formale sit mobilitas prout dicit fundamentum aptitudinis ad mutari. Tertiò, hoc totum nempè ens mobile est quid abstractiùs corpore mobili, vel naturali, complectens omnia composita tàm substantialia, quàm accidentalia.

Contrà hanc positionem Caietanus sic arguo contra primum dictum, nullum compositum ex materia, & forma est extrà prædicamentum substantiæ, quia accidens non componitur ex materia, & forma, ergo tale compositum commune non datur; Item compositum ex materia, & forma non est superiùs substantia, quæ est supremum genus, quia tunc Angeli, & animæ essent compositi ex materia, & forma, ergo tale compositum non datur, & consequenter falsum dicit Caietanus.

Contrà secundum dictum non est arguendum, cum fundamentum mobilitatis sit naturalitas ex 2. Physic natura enim est principium motus, & quietis, siue pro actu, siue pro aptitudine, &c.

Contrà tertium, dictum non est immorandum, nàm subiectum debet esse vniuocum, sed nihil est commune vniuocum enti per se, & enti per accidens, cum ens per accidens non habeat vnam rationem, ergo hoc ens, quod secundum expositionem est commune ad illa non erit aliquo modo subiectum in Philosophia naturali, &c.

Secunda Concl. Corpus mobile nec est adæquatum subiectum est contra Ægidium de Roma, & quam plures neutericos, prob. contrà partẽ formalem, quia in parte materiali, sumus concordes, nàm de ratione subiecti formalis est quod sit causa inhærentiæ passionis de subiecto, sed mobilitas non est sic, ergo, &c. min. patet, nàm ex Arist. duo assignantur conuenire corpori, scilicet mobilitas, & naturalitas tunc aut naturale, aut mobilitas erit passio, sed dissonum est dicere, naturale esse passionẽ, cum nec ab aliquo philosophantium, nec ab Arist. hoc fuit assignatum, ergo mobilitas erit passio, & sic naturalitas erit subiectum formali.

Tertia

Tertia Concl. Corpus generabile, & corruptibile, nec est subiectum est contra nonnullos recentiores; prob. adæquatum subiectum Philosophiæ naturalis est adæquatum subiectum primæ passionis, sed corpus generabile, & corruptibile non est sic, quia prima passio Philosophiæ est mobilitas, quæ se extendit ad omnes sex species motus modo generatio, & corruptio sunt tantum duæ species motus, ergo secundo scientia de cælo est scientia Physica, ergo cælum continetur sub obiecto Physicæ, sed cælum est incorruptibile, ergo corpus generabile, & corruptibile non est hic subiectum.

Quarta Concl. Ens finitum in suo conceptu communi; sub ratione naturalitatis, nec est adæquatum subiectũ, & contrà Tatar. q. 1. sciend. 4. & Ioãnem Canon. 1. Physicorum quæst. 1. prob. ens finitum aut intelligitur id, quod verè sit, & sit est compositum ex materia, & forma. Et idem est, ac corpus, aut intelligitur ens secundum suum conceptum, & sic non est de consideratione Physici, sed Metaph. ergo, &c. Item ens sic sumptum non includit naturam, ergo non est subiectum in Philosophia naturali; consequentia sequitur, antecedens prob. ens secundum suum conceptum est indiferens ad substantiam, & accidens, sed multæ substantię non includunt naturam vt patet ex substantijs in corporijs, quia tunc constarent ex materia, vel quasi materia, sicut cælum, & sic non essent substantiæ omninò abstractæ. Similiter accidens respectiuum, nullus est, qui dicat, & se mouetur, ergo ens sic sumptum non includit naturam, quæ est principium motus.

Quinta Concl. Adæquatum subiectum in Philosophia naturali est corpus naturale; est Scoti 6. Met. q. 1. vbi id exprimit nomine substantiæ corporeæ; prob. 1. ex 6. Met. tit. 1. Physica versatur circa quodam genus entis, & substantiæ in qua est principium motus, & quietis, sed substantia includens principium motus est corpus naturale ex 2. Met. ergo, &c. Item 1. cæli tit. 1. Aristoteles affirmat his verbis, scientia de natura est circà corpora, & magnitudines, & horum passiones, & motus, adhuc autem circà principia, quæ talis substantiæ sunt; quibus verbis aptissime se declarat, scientia de natura esse circà corpora, & horum principia, & passiones, ergo, &c.

Secundò prob. ratione corpus naturale habet omnia requisita ad subiectum, ergo est subiectum; antecedens prob. requisita ad subiectum sunt ista scilicet quod subiectum habeat principia, partes, passiones, & quod adæquet omnia considerata in scientia, sed corpus naturale habet principia cognoscendi, idest deffinitionem ipsius corporis quod est illud, quod habet principium internum motus, & quietis; principia cognoscendi sunt propositiones vniuersales, quæ ducunt in notiam subiecti, vt definitio corporis, definitio naturæ, definitio motus; principia essendi non est necesse quodcunque subiectum habere, in eo, quod subiectum est, vt patet de ente quod est subiectum in Met, habet

habet partes subiectiuas, quæ sunt cęlum, elementa, mixta perfecta, imperfecta, animata, habet passiones, vt esse mobile, esse locabile, esse diuisibile; & adæquat omnia considerata in Philosophia naturali, vt patet discurrendo per omnes libros, quia nihil consideratur in Philosophia naturali, nisi vt naturale, seu vt includens naturam, & hoc aut per se primò, aut reductiuè, ergo, &c.

Obijc. primò. Contrà primam conclus. illud est subiectum in Philosophia naturali, quod est adæquatum subiectum primarum passionum, sed ens mobile est sic, ergo, &c. min. prob. supponendo motum esse primam passionem; tunc sic, illud est subiectum motus, quod ponitur in eius definitione, sed ens ponitur in definitione motus, nàm motus est actus entis in potentia, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. disting. min. ens completum; concedo; incompletum, nego; nàm motus est actus entis completi, quod est idem, ac corpus naturale; vel motus est actus entis partim actu, & partim potentia, & tale est corpus naturale.

Dices. Cur Aristoteles dixit, motus est actus entis, & non corporis?

Resp. Quia tunc Aristoteles non se determinauerat quod nàm esset, quod per se mouetur, sicut se determinauit in 6. Phys. quod esset corpus, &c.

Obijc. secundò. Materia, & forma sunt per se mobiles, sed non possunt contineri sub corpore, sed sub ente, ergo aliquod communius ad corpus erit subiectum; maior. patet nàm materia, & forma sunt id propter quod alia mouentur, sunt enim principia generationis, ergo sunt multò magis mobilia; consequentia sequitur ex illa regula Arist. propter quod vnumquodque tale, &c.

Resp. Neg. maior. ad prob. neg. consequentiam, nàm illa regula Arist. habet veritatem in causis vniuocis, modò materia non est causa vniuoca generationis, & corruptionis, quia ipsa est ingenerabilis, &c.

Obijc. tertiò. Ex Caietano, illud est subiectum scientiæ, cui adæquate conueniunt principia illius scientiæ, sed talia principia reperiuntur tàm in substantia, quàm in accidente, ergo illud quod est commune substantiæ, & accidenti erit subiectum adæquatum in hac scientia, min. patet ex 12. Met. tex. 19. vbi Arist. habet materiam, formam, & priuationem non artari tantum ad genus substantiæ, sed vagari per omnia prædicamenta, ergo, &c.

Resp. Disting. min. propriè, nego; analogicè, concedo; nàm propriè materia, forma, & priuatio sunt in substantia; analogicè, & secundum proportionem possunt esse in alijs prædicamentis, quatenus sunt aliqua ex prędicamentis, quæ assimilantur potentiæ, & sic habent rationem materiæ, quædam assimilantur actui, & sic habent rationem formæ, &c.

Dices. Transmutatio reperitur in substantia, & accidente, ergo subiectum abstrahens a substantia, & accidente erit subiectum?

Resp. Disting. antecedens, terminatiuè, concedo; subiectiuè, nego;

nàm transmutatio terminatur ad substantiam, & ad accidens; subiectum verò omnium motuum est substantia, Arist. enim loquitur de eo, quod mouetur subiectiuè, & sic solùm corpus mouetur hoc modo.

Obije quartò. Contra secundam Concl. subiectum in Philosophia naturali est illud, circa quod versatur talis scientia, sed ex 1. Cæli cap. 1. scientia de natura est circà corpora, & motum, ergo corpus mobile est subiectum, &c.

Resp. Disting. min. est circa corpora, & motum, tanquàm circa subiectum, & passionem, concedo; tanquàm circa subiectum formale, nego: nàm, &c. vel secundo si mobilitas sumatur principiatiuè, scilicet pro principio, concedo; si formaliter, nego: nàm, &c.

Obije quintò. Contra tertiam Conclus. illud est subiectum in aliqua scientia, cuius principia considerantur in ea, sed in 1. Physic. considerantur principia corporis generabilis, & corruptibilis, scilicet materia, forma, & priuatio, ergo, &c.

Resp. Disting. maior. principia cognoscendi, concedo; essendi, nego; nàm materia, & forma sunt principia essendi, &c. vel secundo, cuius principia tractantur in tota scientia, concedo; in parte, nego; nàm de principijs corporis generabilis, & corruptibilis tractatur tantum in primo Physic. de principijs corporis naturalis in omnibus octo libris, &c.

Obije. sextò. Contra quartam Conclus. Adæquatum subiectum Philosophiæ naturalis conuertitur cum prima passione, sed tale est ens finitum, seù substantia finita, quia multa sunt per se mobilia motu physico, quæ non sunt substantiæ corporeæ: vt Angelus, anima separata, accidentia in Sacramento Altaris verè mouentur secundum locum, ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ad prob. dicimus, quod Angelus, & anima nõ mouentur motu physico, nàm motus physicus est sensibilis, & materialis, & est ad Vbi per circumscriptionem locati, & prouenit a natura, quod est principium motus; Ad id de accidente separato dicimus, quod tale accidens, scilicet quantitas verè mouetur localiter, tamen hoc non est ex natura sua, sed vi prioris miraculi, quo per se existit, & quod naturale erat quantitati cum subiecto, est post consecrationem sinè subiecto, &c.

Obije. septimo. Contra quintam Concl. subiectum debet esse vniuocũ, sed corpus naturale non est sic omnibus contentis in Philosophia naturali, quia in ea agitur de corpore cælesti, quod est incorruptibile, & de sublunari, quod corruptibile, sed 10. Metaph. tex. vltimo corruptibile, & incorruptibile differunt plus quam genere, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. disting. min. differunt genere physico, & proximo, seù subalterno, concedo; genere logico, & remoto, seù generalissimo, nego; nam corpus cæleste, & sublunare conueniunt in nomine, & ratione corporis; corpus enim est illud, quod habet principiũ motus, &c.

in qua deffinitione conueniunt corpus cæleste, & sublunare, licet differant secundum se, quæ sunt genera subalterna.

Dices. cælum non habet naturam, ergo, nec habet principium motus; antecedens patet, quia natura dicitur de materia, & forma, sed in cælo ex Scoto non datur materia, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens ad prob. disting. maior. natura dicitur de materia, & forma, si materia, & forma sumantur pro illa inclinatione passiua, concedo; si verò sumantur formaliter, nego: nàm materia, & forma dicuntur natura, prout dicunt inclinationem passiuam ad recipiendum motum, non verò secundum omnem earum rationem, &c.

Obijc. octauo. Corpus naturale est compositum ex materia, & forma, sed corpus cæleste non est sic, vt in propria quæst. ergo non continetur sub corpore naturali, & consequenter corpus naturale non est adæquatum subiectum, &c.

Resp. Disting. maior. vniuersaliter loquendo, nego; indefinitè, concedo: nàm, &c. vel omne corpus naturale, nego; aliquod, concedo; vel ad min. dicimus, quod cælum est corruptibile secundum Theologos, non verò secundum Philosophos, &c.

Dices. Cælum non habet principium intrinsecum sui motus, ergo nô est naturale; consequentia sequitur; antecedens prob. nàm cælum mouetur ab extrinseco, idest ab intelligentia, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens; Ad prob. dicimus, quod licet cælum moueatur ab intelligentia extrinsecè, tamen ab intrinseco habet principium non actiuum, sed passiuum, de quo dicitur natura, &c.

De Diuisione, Inscriptione, & ordine Philosophiæ.

QVæritur primò. Philosophia communiter sumpta in quot diuiditur?

Resp. In triplicem Philosophiam, scilicet actiuam, factiuam, & speculatiuam; Actiua docet, vt quæ agenda sunt, cum recta ratione agantur, vt moralis, quæ diuiditur in Ethicam, Politicam, Oeconomicam, & Monasticam; Ethica est circa mores; Politica circa administrationes rei publicæ; Oeconomica circa domum regẽdam, & familiam; Monastica agit de vita solitaria. Philosophia factiua est recta ratio rerum factibilium extrà, vt artes mœchanicæ. Philosophia speculatiua consistit in speculatione veritatis, & diuiditur in Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam, Gramatica, Rectorica, Poetica non sunt partes Philosophiæ, sed tantum inseruiunt tanquàm instrumenta, idest ad congruè, ornatè, & metricè loquendum, & ideò sunt ancillæ, & instrumenta sciẽtiarum; Logica est intentionalis, & talis diuisio est diuisio scientiæ realis; vel dicimus, quod Logica comprehẽditur sub Metaphysica, &c.

Quæritur secundò. Quomodo habetur diuisio totius Philosophiæ naturalis?

Resp. Philosophia naturalis habet duas partes; vna pars considerat corpus naturale in genere, & sic continet octo libros Physicorum; altera pars considerat species corporis naturalis, & sic amplectitur omnes alios libros; excepta Met. prima species corporis est corpus simplex ingenerabile, de quo sunt quatuor libri de cælo, & mundo; altera species est corpus mixtum, & hoc triplex est; vel vt est mixtum generabile, & corruptibile, & sic sunt duo libri de generatione, & corruptione; vel vt est mixtum imperfectum, de quo sunt quatuor libri metheororum; vel vt est mixtum perfectum viuens, seu animatum, de quo sunt tres libri de anima, iterum vel ea, quæ in Philosophia tractantur sunt consequentia, & comitantia vitam, & sic sunt parua naturalia.

Quæritur tertiò. Quid agit Aristoteles in octo libris Physicorum?

Resp. Agit de principijs corporis naturalis in cõmuni, & de eius proprietatibus; in primo libro agit de principijs corporis naturalis, quæ sunt materia, forma, & priuatio; in secundò de natura, & causis; in tertiò de prima passione, quæ est motus, & de infinito, quod si daretur esset eius præcipua passio; in quarto de alijs passionibus, scilicet de loco, vacuo, & tempore; in quintò de speciebus, & partibus subiectiuis motus; in sextò de partibus integrantibus motum, & an sint diuisibiles, vel indiuisibiles; in septimò de cõparatione motus ad mouentia, & mobilia; in octauo de primo motu, primo motore, & primo mobili.

Quæritur quartò. Quare dicuntur libri Physicorum?

Resp. Quia agunt de his, quæ ad naturam, & res naturales in communi spectant; Physica enim dicitur à Physis græcè, quod latinè significat naturam, quæ sic potest definiri: Physica est scientia contemplans corpus naturale, quod habet in se principium motus, & quietis.

Philosophia naturalis est conditio rerum naturalium; vndè Philosophia dicitur à Sophia græcè, quod latinè dicitur Sapientia, & Philosophus idem est, ac Sophus græcè, quod latinè dicitur Sapiens; Pitagoras enim primus fuit, qui non Sophus, sed Philosophus cœpit vocari, idest amator sapientiæ.

Quæritur quintò. Quare libri Physicorum appellantur de Physico auditu, seu de naturali auscultatione?

Resp. Quia indigent attentione, & studio, vt intelligantur; nàm Physica est de his, quæ à Magistris accuratè enarrantur, & à discipulis diligenter debent audiri.

Dices. Cur libri de cælo, de anima, vel Met. vel Logica non sic inscribantur, cum indigent attentione, & studio?

Resp. Quia hi libri perquirunt principia communia rerum omnium physicarum, & sunt fundamenta totius Philosophiæ, vt notat Simplicius, & Albertus; hæc inscriptio posset etiam conuenire reliquis libris, & Met. tamẽ peculiariter est attributa eis propter dictam rationem; Logica non est scientia realis, sicut Physica; & ideò alio titulo inscribitur, scilicet organum, instru-

instrumentum, methodus ad scientias.

Quæritur sextò. Cur in Philosophia naturali a libris Physicorum sumimus principium.

Resp. Quia in his considerantur principia communia corporis naturalis; nàm ab vniuersalioribus, & communioribus est inchoandum; ordo enim doctrinæ est, vt procedamus a notioribus ad minus nota, sed illa sunt notiora, quæ omnibus insunt, vt principia, causæ, motus, locus, tempus, de quibus agitur in his libris.

Dices, Notiores sunt effectus, quàm causa, ergo a compositis, quæ sunt effectus, est incipiendum.

Resp. Disting. antecedens, effectus sunt notiores, quod sint, concedo; quid sint nego; vel effectus sunt notiores ordine doctrinæ in prima inuentione, non in doctrina, iam inuenta, & ab Arist. elaborata, nos verò post inuentionem Arist. procedimus.

Quæritur septimò. Cur in addiscendis scientijs est incipiendum a Logica?

Resp. Quia omnes scientiæ acquiruntur per discursum, & quia sola Logica docet modum discurrendi, ideò ab ipsa est incipiendum.

Dices, A notioribus est incipiendum ex primo Physicorum; sed Logica non est sic, quia est de secundis intentionibus, quæ sunt remotissima a sensu, notiora verò dicuntur sensibilia, ergo, &c.

Resp. Disting. maior. a notioribus est incipiendum, si necessitas ad aliud non cogat, concedo; si verò adsit aliqua necessitas, nego; nàm licet Logica sit de minus notis, tamen quia sine eis regulis non possumus aliа addiscere, ideo, quod est vtilius est præferendum notioribus.

DISPVTATIO SECVNDA.

De principijs rerum naturalium in genere.

PRINCIPIA rerum naturalium sic definiuntur ab Aristotele in hoc primo textu 42. Principia sunt quæ non fiunt ex alijs neque ex alterutris, sed ex his omnia; hæc definitio competit principijs intrinsecis generationis naturalis, vt patet in toto progressu libri primi Physicorum vbi Aristoteles nihil aliud intendit, quam inquirere princi-

principia generationis naturalis, scilicet materiam, formam, & priuationẽ.

Quæritur. Quid est principium in communi.

Resp. Est id ex quo aliquod est, aut fit, aut cognoscitur, per ly est denotatur principium rei in facto esse, per ly fit, principium in fieri, & per ly cognosci principium in cognoscendo, vt præmissæ respectu conclusionis.

QVAESTIO I.

An principia rerum naturalium rectè definiantur à Philosopho in prædicta definitione.

CONcl. affirm. prob. nàm dicta principia non fiunt ex alijs (sub intellige) in eodem genere principiandi, quia sunt prima, neque ex alterutris scilicet quod vnum non componitur ex alio, quia sunt contraria; sed ex his omnia subintellige, quæ per generationem fiunt, quia sunt prima omnium rerum naturalium, ergo rectè definiuntur in prædicta definitione.

Obijc. primo. Omne compositum fit ex alijs tanquam ex partibus componentibus, sed materia, & forma, quæ sunt principia rerum naturalium sunt composita; ergo, &c. Minor patet: nàm omne, quod conuenit, & differt cum aliquo includit partes componentes, sed materia cum forma conuenit, quia ambæ sunt substantiæ, & differt ab illa, quia materia est substantia potentialis, forma verò actualis, ergo, &c.

Resp. Sunt composita Metaphysicè, concedo; Physicè, nego; nàm hic quærimus de compositione Physica, & naturali, quæ fit ex materia, & forma; talia verò principia dicuntur composita compositione Metaphysica scilicet ex genere, & differentia; item materia habet partes integrales entitatiuas, non substantiales, & Physicas.

Obijc. Forma fit ex priuatione, ergo vnum principium fit ex alio: Item forma fit ex materia, quia educitur de gremio eius, ergo, &c. & consequenter principia fiunt ex alterutris.

Resp. Disting. antecedens, forma fit ex priuatione tanquam ex parte componente, nego; tanquam ex termino a quo, & ex contrario, concedo; ad aliud forma fit ex materia tanquam ex subiecto ex quo educitur, & in quo recipitur concedo; tanquam ex parte componente, nego: nàm, &c.

Obijc. Cælum est naturale, sed non fit ex his, vt patet, quia secundum Philosophos cælum caret materia, & forma, ergo non omnia entia fiunt ex his, &c.

Resp. Disting. consequens, non omnia entia naturalia, concedo; corruptibilia, nego: nàm Philosophus loquitur de rebus naturalibus corruptibilibus non verò de rebus naturalibus incorruptibilibus sicut est cælum, &c.

Obijc. quartò. Talia principia non conueniunt vniuocè, ergo talis definitio non rectè assignatur; antecedens probatur; nam minus conueniunt ens, & non ens, quàm ens, & ens, sed multa

multa entia inter se non conueniunt vniuocè, vt patet, ergo nec ens, & non ens, sed priuatio est non ens, materia, & forma sunt entia, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens; ad prob. disting. consequens sub sumptum non conueniunt vniuocè in ratione entitatis, concedo; in ratione principij, nego: nàm materia, & forma sunt entia realia positiua, priuatio non est sic, & sic non conueniunt in entitate, tamen conueniunt in ratione principij, quia ratio principij consistit in eo, vt sit id ex quo res naturales fiunt siuè tanquam ex parte componente, siue tanquam ex termino à quo, &c.

Quaeritur: Quaenam principia hic definiuntur?

Resp. Principia generationis in ratione mutationis, non verò in ratione productionis, & ideo ab hac definitione debent excludi efficiens, & finis, principia in fieri, non in facto esse: seù principia generationis, non verò rei genitae: principia generationis, non solum substantialis, sed etiam accidentalis.

QVAESTIO II.

An idem sint principium, & causa.

PRincipium (vt ad praesens spectat) dicit necessariam habitudinem ad principiatum, & hoc dupliciter vel per positiuum influxum, quod in creatis semper importat rationem causae, quia semper est coniunctum cum aliqua dependentia in illis, vel nó per positiuum influxum, vt fundamentum dicitur principium domus, punctus dicitur principium lineę, aurora diei, & priuatio generationis, pro qua sit, &c.

Concl. Principium, & causa non sunt omnino idem, sed principium est quid communius, quam causa; probatur, nam principium dicitur etiam de eo, qui propriè non influit in alio, vt patet, causa verò nó, ergo principium, & causa non sunt omnino idem; Item Pater in diuinis dicitur principium filij, & non causa, vt communiter concedunt Theologi, ergo, &c. Licet Pater in diuinis influat in filium tamen non dicitur causa, quia causa debet communicare effectui aliquod esse, quod sit distinctum numero ab ea, quod habet, sed Pater in diuinis communicat filio idem esse numero, ergo, &c.

Obijc. primò. Ex quarto Met. cap. 2. ens, & vnum se inuicem sequi sicut principium, & causa, ergo idem est principium, & causa. Item ex secundo Met. cap. 1. post quàm Aristoteles enumerauit varias acceptiones principij, concludit sic totidem autem modis, & causae dicuntur, omnes autem causae principia sunt, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam, quia Aristoteles in quarto Met. sumit principium pro eo, quod habet realem influxum cum dependentia principiati ad principium, vt patet legenti locum illum, & sic conuertuntur sicut ens, & vnum. Ad aliud nego consequentiam: nàm licet omnes illae acceptiones principij conueniant causis non tamé indè sequitur quod idem

sit

sit principium, & causa; sicut enim si quis viderit, animal esse vegetatiuũ, sensitiuum, loci motiuum, &c. quæ omnia conueniunt homini, tamen non bene infertur, ergo animal conuertitur cũm homine, &c.

Obijc. secundò. Aristoteles 22. Met. vocat priuationem causam, ergo idem est principium, & causa.

Resp. Neg. consequentiam, nàm Aristoteles ibi nomen causæ extendit ad omne id quod est aliquo modo necessarium, & prærequisitum ad aliud, & sic priuatio potest dici causa generationis naturalis, sed non ita sumimus causam in conclusione.

QVAESTIO II.

An principia sint contraria.

ALiqua dicuntur contraria duppliciter, vel propriè, & strictè & sic illa dicuntur contraria hoc modo, quæ mutuò se expellunt ab eodem subiecto, vt calidum, & frigidum, album, & nigrum; alio modo, & minus propriè, & sunt illa, quæ se habent incompossibilia in eodem subiecto, & habent oppositas rationes; vel contrarietas, est duplex; nempe positiua; & priuatiua, &c. pro qua fit, &c.

Concl. aff. sed non omnia, patet ex Aristotele in tex. prima pars probatur ratione, generatio est mutatio, vnius in aliud, ergo si id à quo fit mutatio, non esset oppositæ rationis ab eo ad quòd fit mutatio, nulla erit ratio cur talis mutatio fieri debet; ideò nigrum non mutatur in nigrum, quia nulla est ratio cur subiectum (cum mouetur) debeat relinquere nigrum, A, & acquirere nigrum, B, quia vtrumque est eiusdem rationis, ergo debet mutari in oppositum, &c. Item quæ mutuò se expellunt sunt contraria, sed forma, & priuatio mutuò se expellunt, ergo sunt contraria; Item termini à quo, & ad quem sunt cõtrarij ex quartò Physicorum, sed priuatio est terminus a quo, forma ad quem, ergo, &c.

Secunda pars patet, nam substantiæ nihil est contrarium, sed materia, & forma sunt substantiæ, & sunt principia, ergo ipsæ inter se non contrariantur, &c.

Obijc. primò. Materia, & forma non contrariantur, sed sunt principia, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nàm conclusio non intelligitur vniuersaliter de omnibus principijs, sed indefinitè scilicet aliqua principia sunt contraria, nempe forma, & priuatio.

Dices. Non ens non contrariatur enti, sed priuatio est non ens, ergo, &c. Item forma est substantia, ergo non habet contrarium, ergo, &c.

Resp. Disting. maiorem positiuè, concedo; priuatiuè, nego; nàm, &c. Ad aliud distinguo consequens non habet contrarium positiuè, concedo; priuatiuè, nego, &c.

Dices. Priuatio, vel contrariatur formæ habitæ, vel formæ habendæ, non primum, quia est compossibilis cũm ea, non secundum, quia quod non est non habet contrariũ, ergo, &c.

Resp.

Resp. Quod priuatio contrariatur formæ habendæ; quando dicitur, quod non est non habet contrarium, dicimus, quod contraria priuatiua sunt simul contraria, sed non simul sunt; vel forma si non est formaliter, est tamen virtualiter: nam forma illa est incompossibilis cum illa priuatione, nàm adueniente forma ignis recedit eius priuatio; non est incompossibilis quando ipsa non est, sed quando inducitur in materia, &c.

Obiic. secundò. Principia componunt rem, sed contraria non sunt sic, quia res non componitur ex contrarijs, ergo, &c.

Resp. Dist. maiorem in facto esse, concedo; in fieri, nego; nam principia in facto esse sunt materia, & forma, in fieri sunt materia, forma, & priuatio.

Obiic. tertiò. Prima contrarietas solum est inter primas qualitates ex secundò de Generat. tex. 8. sed talia principia non sunt qualitates, ergo, &c.

Resp. Disting. maiorem positiuè, concedo; priuatiuè, nego; nàm prima contrarietas priuatiua tantum est in primis principijs generationis naturalis.

Obiic. quartò. Contraria fiunt ex alterutris, nam quod fit ex suo contrario fit ex tex. 47. sed principia non fiunt ex alterutris vt dictum est; ergo talia principia non sunt contraria.

Resp. Disting. maiorem tanquàm ex parte componente, nego; tãquàm ex termino à quo, concedo; nam forma necessariò fit ex priuatione tanquam ex termino à quo, &c.

Quaeritur. An talia principia debeant esse prima cuiuscunque generationis naturalis?

Resp. Affirm. ex Aristotele in tex. nam principia non fiunt ex alijs, nempe in eodem genere principiandi; forma enim non fit ex alia forma, materia non ex alia materia, ergo, &c.

Dices. Omnia habent esse à Deo, ergo similiter ista principia, & consequenter non dicuntur prima principia.

Resp. Quod non contendimus ostẽdere, principia esse ita prima, vt nullo modo sint principiata per aliam productionem, nàm hoc modo improductum, est solus Deus; solum nitimur ostendere non esse principiata per naturalem generationem, & sic dicuntur prima in genere principiorum generationis naturalis; nam materia ita est primum principium generationis naturalis in ratione subiecti, vt nullum sit prius ipsa materia, similiter dicendum de forma, & de priuatione, &c.

QVAESTIO IV.

Quot sunt principia generationis naturalis.

IN quæstione loquitur de principijs intrinsecis, quæ requiruntur ad generationem in ratione mutationis tantum, non verò de principijs extrinsecis, vt est agens, & finis; pro qua sit, &c.

Prima Concl. Talia principia sunt plura vno; patet ex Aristotele contra

Parmenidem, & Melissum; probatur, nam principia sunt contraria, vt dictum est, sed contrarietas est inter plura, ergo principia sunt plura vno.

Secunda Concl. Non sunt infinita; ita Aristoteles in cap. 4. infinitum est ignotum, ergo si talia principia essent infinita non essent nota, & consequenter nec res naturales, quæ fiunt ex illis; Item bene saluatur positis principijs finitis, ergo ad quid ponũtur principia infinita.

Tertia Concl. Sunt plura duobus, nam vnum contrarium non potest expellere aliud quin primò supponat subiectum a quo debeat expelli vnum contrarium, & introduci aliud, ergo sunt plura duobus.

Quarta Concl. Principia generationis naturalis in fieri sunt tantum tria, nempe materia, forma, & priuatio, & duo in facto esse; probatur nam generatio vt mutatio est transitus de nõ esse ad esse præsupposito subiecto, sed talis transitus non potest intelligi sine istis tribus principijs, ergo, &c. Maior patet, nam generatio hominis est trãsitus de non esse hominis, ad esse hominis; minor probatur, nam talis trãsitus non potest intelligi sine eo, quod transit, quod est materia, nec sine eo a quo transit quod est priuatio formæ quam non habet, sed potest habere, nec sine eo ad quod transit, quod est forma, ergo, &c. patet etiam exemplo de generatione ignis in ligno, nam materia primò est sub forma ligni, deinde, ipsa forma expulsa, transit ad acquisitionem formæ ignis quam non habebat, sed erat apta habere, ergo ad generationem ignis necessario concurrunt materia, forma, & priuatio; Item, generatio est transitus de non esse ad esse præsupposito subiecto, ly de non esse, denotat priuationem, ly ad esse, denotat formam, ly præsupposito subiecto, materiam, ergo, &c.

Secunda pars. Patet, nam facta generatione materia, & forma remanent in genito, & priuatio recedit, ergo in facto esse sunt tantum duo principia, scilicet materia, & forma.

Obijc. primò. Quot sunt causæ, tot debent esse principia ex quintò Met. quia omnis causa est principium, sed causæ sunt quatuor ex secundò Phys. ergo, &c. Item ex Arist. Sol est principium cuiuscunque generationis naturalis, nam propter accessum, & recessum Solis fit generatio, & corruptio, ergo si materia, forma, & priuatio sunt principia generationis, etiam Sol, & consequenter plura sunt quàm tria.

Resp. Disting. maior. quot sunt causæ intrinsecæ tot debent esse principia in facto esse, concedo; extrinsecæ, nego: nam duæ sunt causæ intrinsecæ, scilicet materialis, & formalis, & ita duo sunt principia intrinsica in facto esse, scilicet materia, & forma, quæ etiã simul cum priuatione sunt principia in fieri, seu mutationis naturalis, vt dictum est, & sic tria sunt principia intrinseca generationis naturalis.

Ad aliud de Sole dicimus, quod Sol est principium extrinsecum, nam est efficiens, nos verò in præsenti loquimur de principijs intrinsecis, &c.

Dices. Ad generationem naturalem non

non minus requiritur Agens, quàm priuatio, ergo si priuatio ponitur, vt principium intrinsecum, similiter agẽs, seù efficiens; antecedens patet: nam ideò priuatio ponitur principium intrinsecum generationis naturalis, quia non potest intelligi ipsa generatio naturalis sine priuatione, sed generatio nec potest intelligi sine causa efficiente, quia etiam dicit ordinem ad Agens sicut ad priuationem, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens. Ad probationem distinguo minorem generatio vt actio, concedo; vt mutatio, nego: nàm generatio vt mutatio potest intelligi sine agente, vt patet: nàm si per Dei potentiam vniret se ipsam corpori absque alia causa efficiente intelligeretur perfectè conceptus mutationis, vt sic absque ordine ad Agens loquendo de perfecta cognitione quiditiua, talis enim cognitio non petit causas extrinsecas, &c.

Dices. Talia principia extrinsecè se habent mutationi naturali, ergo falsum est quod sint principia intrinseca generationis naturalis, antecedens patet inductiuè: nàm materia est substantia, ergo non est intrinseca mutationi, quæ est accidens, forma remanet cessante mutatione, ergo non est intrinseca illi, priuatio est non ens ergo non est intrinseca mutationi, quæ est ens.

Resp. Neg. antecedens. Ad probationem dicimus quod illa tria principia non dicuntur intrinsecà mutationi constitutiuè, quasi per se, & directè includantur in essentia ipsius mutationis, sed tantum terminatiuè quatenus mutatio dicit necessariam habitudinem ad illa tria ideò, &c.

Obijc. secundò. Generatio est via ad formam tanquam ad terminum; sed terminus non est principium viæ, ergo cum forma sit terminus non potest esse principium.

Resp. Neg. minorem: nam finis est terminus actionis, & tamen dicitur principium, & causa illius: ita dicendum in casu; vel secundò de ratione mutationis est vt termini sint eius principia, cum sint illi ad quos ipsa mutatio dicit necessariam habitudinem, nam generatio vt mutatio dicit necessariam habitudinem ad materiam tanquam ad subiectum quod mutatur, ad formam tãquam ad terminum ad quem, ad priuationem tanquam ad terminum à quo, &c.

Dices. Forma dicitur principium, vt terminus ad quem, sed etiam compositum est terminus ad quem generationis, quia est illud quod per se generatur, ergo vel quatuor sunt principia, vel forma non est principium hoc modo.

Resp. Disting. min. vt productio, concedo; vt mutatio, nego; nam generatio vt productio respicit compositum tanquam illud quod per se producitur, vt mutatio respicit formam tanquam illud, quo ipsa generatio specificatur.

Obijc. tertiò. Priuatio est non ens ex tex. 79. ergo non est principium generationis, quæ est ens.

Resp. Disting. antecedens est non ens positiuum, concedo; priuatiuum, nego: nam priuatio, vt est ens priuatiuum

est principium generationis, vt terminus à quo.

Dices. Priuatio est principium per accidens ex tex. 66. ergo non est principium per se.

Resp. Disting. antecedens respectu rei genitæ, concedo; respectu generationis naturalis, nego: nàm, &c.

Dinces. Si priuatio formæ in materia est principium generationis, quia ab illa recedit tanquam a termino a quo, ergo priuatio materiæ in forma debet esse aliud principium, quia forma cum vnitur materiæ amittit illam priuationem.

Resp. Neg. sequelam, nam si priuatio materiæ in forma esset principiũ non esset diuersum principium, quia semper esset idem modus principiandi scilicet vt terminus a quo, nam diuersitas principiorum attenditur ex diuersitate modi principiandi, &c.

Obijc. quartò. Potest dari generatio substantialis absque priuatione, ergo priuatio non est principium per se intrinsecum generationis substantialis; antecedens patet nam cum nutritur homo ex speciebus consecratis dicunt omnes Theologi, quod in eodem instanti creatur materia à Deo, & simul introducitur forma substantialis, tunc in tali casu est vera generatio naturalis, sed ibi nulla esset priuatio, quia materia non præcedit formam tempore, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens. Ad probationem distinguo antecedens, est vera generatio naturalis in ratione productionis, concedo; in ratione mutationis, nego; nàm in tali casu, & vniuersaliter quãdo subiectum in eodem instanti creatur cum forma non est generatio naturalis, vt vera mutatio physica, quia subiectum in his casibus non verè mutatur cum non sit sub opposito.

Dices. Potest dari generatio naturalis, vt mutatio absque materia, ergo materia non est principium intrinsecum, &c. Antecedens patet nàm in sanctissimo Sacramento Altaris fiunt mutationes naturales, nam illæ species panis calefiunt, frigefiunt, &c. sed ibi non adest materia, vt patet, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens. Ad probationem dicimus quod in illis mutationibus accidentalibus reperitur quantitas gerens vicem materiæ, & si aliquãdo contigit aliqua mutatio accidentalis sine subiecto, tunc illa mutatio non erit physica, & naturalis, sed miraculosa, &c.

Quæritur. Quodnam sit ratio principiandi singulorum principiorum?

Resp. Ratio principiandi materiæ est per modum subiecti aliter se habentis nunc quam prius; ratio principiandi formæ est per modum termini ad quem; Priuationis per modum termini à quo.

Dices. Priuatio in corruptione rei naturalis est terminus ad quem, quia materia transit de esse, scilicet à forma ad priuationem, ergo non est principium per modum termini a quo.

Resp. Disting. consequens, priuatio non est principium per modum termini a quo mutationis deperditiuę, concedo; acquisitiuæ, nego: nàm priuatio

priuatio in mutatione deperditiua, seu corruptiua est terminus ad quem in mutatione acquisitiua, scilicet in generatione est terminus a quo.

Dices. Si sic, ergo principia fiunt ex alterutris in eodem genere principiandi; sequela patet, nam in mutatione acquisitiua forma fit ex priuatione, tanquam ex termino a quo vt ex non vidente fit videns, & in mutatione deperditiua priuatio fit ex forma tanquam ex termino a quo, nam ex vidente fit cœcus, vel non videns, &c.

Resp. Disting. sequelam in diuerso genere mutationis, concedo, in eodem genere mutationis, nego; nam nullum est inconueniens, hæc contraria fieri ex alterutris in diuerso genere mutationis qualis est acquisitiua, & deperditiua, & quando Philosophus oppositum docet, dicimus quod loquitur in codẽ genere mutationis, &c.

DISPVTATIO TERTIA.

De principio materiali.

EGIMVS hucusque de principijs in communi, nunc verò discurrendũ est de illis in particulari, & quia ex tribus principijs materia tenet primum locum, quia est veluti fundamentum aliorum, recipit enim formam, & priuationem, & ideò de ea primò loco agendum est, &c.

QVAESTIO I.

An materia detur in rerum natura, & quid sit.

PRima Concl. Materia prima necessariò datur in rerum natura, ita Aristoteles in tex. prob. ex Nihilo nihil fit, ergo ad omnem generationem præsupponitur aliquid, sed illud non est forma, quia hæc habet esse per generationem, &c. ergo est materia. Item datur compositum physicum constitutum ex subiecto, & forma, sed illud subiectum non fit ex alio; aliter daretur processus in infinitum, ergo, &c. Item cum ignis generat ignẽ ex aëre, non reducit aërem in nihilum, quia hoc est solius Dei, ergo remanet aliquod in quo introducitur forma ignis; sed hoc tale est materia, ergo, &c. Item in omni mutatione semper est subiectum, quod mutatur, & transit

transit a termino, a quo, ad terminum ad quem; sed hoc subiectum, quod dimittit vnam formam, & suscipit aliam non est infinitum, ergo erit primum ex quo fiunt omnia, maior patet, nam in mutatione substantiali ex aëre fit ignis, ex aëre, & vapore fit aqua, ergo, &c. In mutatione accidentali, vt aqua fit calida, paries fit albus, ergo in quacunque mutatione subiectum semper manet sub vtroque termino.

Secunda Concl. Materia rectè definitur, seù describitur in illa definitione tradita ex Aristotele tex. 62. Materia est primum subiectum ex quo fit aliquod, cum insit per se, & non secundum accidens, & si aliquid corrumpitur in hoc abibit vltimum; patet ex eius declaratione; nàm dicitur primum subiectum ad differentiam compositi, quod est subiectum, sed non omnium primum, dicitur ex quo fit aliquid tanquam ex parte componente, ad differentiam elementorum, quæ non manent in mixto, nisi in virtute, & ad differentiam causæ extrinsecæ, scilicet efficiens, & finis non ex quibus fiunt res, nam efficiens est a quo fit res, & finis est propter quem fit res; dicitur cum insit, quia manet incomposito ad differentiam priuationis, quæ deperditur per aduentum formæ, dicitur per se, & non secundum accidens, quia facit vnum per se cum forma substantiali, ad differentiã subiecti, & accidentis, ex quibus nõ fit vnum per se, sed per accidens; dicitur si corrumpit aliquid in hoc abibit vltimum, quia materia est etiam vltimum subiectum, ad differentiam formæ, quæ in corruptione non manet, nam licet vna forma corrumpatur in materia, tamen ipsa materia manet sub alia, ideò dicitur primum, & vltimum subiectum.

Obijc. primò. Contra primã Concl. Generatio substantialis est mutatio totius in totũ ex primo de gener. tex. 23. ergo cum ex cibo generatur caro tota substantia cibi corrumpitur, & tota substantia carnis generatur, & consequenter materia non præsupponitur; Item in tali generatione dicitur totum produci, sed totum non produceretur, nisi omnes partes eius producerentur, ergo, &c.

Resp. Disting. maiorem, in totum Syncathegorematicè, scilicet pro toto, & singulis eius partibus, nego; Cathegorematicè, nempe vt dicit illud compositum constitutum ex materia, & forma, concedo: nàm in generatione substantiali totum hoc modo sumptũ mutatur, quia materia cum noua forma constituit nouum totum specie diuersum a priori; ad aliud per idem respondetur.

Obijc. secundò. Contra secundam Concl. Materia est simplex, non composita, ergo non rectè definitur, nec describitur, consequentia sequitur, nam quod definitur habet aliquod in quo cum aliquo conuenit, & in quo ab illo differt, ergo, &c.

Resp. Disting. antecedens est simplex prout opponitur compositioni Physicæ, concedo; compositioni Metaphysicæ nempe ex realitate generis, & differentiæ, non verò Physica, nempè ex materia, & forma.

Obijc.

Obijc. tertiò. Ex ſeptimo Met. tex. 8. Materia definitur per negationem, nempe materia non eſt quid, nec quale, nec quantum, nec aliquod eorum, quibus ens, eſt determinatum, ergo ſi hæc eſt bona, illa erit falſa. Item materia pro hoc ſtatu non eſt cognoſcibilis conceptu proprio, & diſtincto, ergo nec diſtinctè definibilis.

Reſp. Neg. conſequentiam: nàm materia diuerſo modo definitur hic, & in Metaphyſica; in Metaphyſica definitur a priori, cum hoc ſit munus Metaphyſici, & quia materia non habet entitatem determinatam, ideò ibi definitur à priori per negationem, vt dictum eſt; hic verò a poſteriori, & in ordine ad tranſmutationem. Ad aliud dicimus, quod materia pro hoc ſtatu non eſt cognoſcibilis quidditatiuè, ſed a poſteriori per effectus, & in ordine ad tranſmutationem.

Quæritur. Quibus nominibus ſolet appellari materià?

Reſp. Multis nominibus iuxtà eius munera, dicitur fundamentum omnium formarum ex primo de Gener. dicitur principium ex primo Phyſicorum; dicitur cauſa ex ſecundo Phyſic. dicitur pars eſſentialis ex primo Phyſ. dicitur ſubiectum generationis, & corruptionis; dicitur ingenerabilis, & incorruptibilis, &c.

Nomina ipſius materiæ ſunt duplicia alia ſunt propria, & alia Metaphorica; nomina propria ſunt iſta (vt refert Albertus) nempe materia, ſubiectum, maſſa, hyle, elementum, & origo, dicitur materia prout eſt pars potentialis omnium rerum corruptibilium; dicitur ſubiectum prout in ipſa recipitur forma; dicitur maſſa prout ſecundum diuerſas particulas ſui ipſius recipit diuerſas formas; dicitur hyle, prout habet ſemper ſecum aliquam priuationem formarum coniunctam; dicitur elemẽtum, prout eſt primum in compoſitione, & vltimum in reſolutione; dicitur origo prout ab ipſa omnes formæ ducunt originem. Nomina metaphorica ſunt mater, fœmina, turpis; dicitur mater prout quaſi in vtero concipit, & recipit formam; dicitur fœmina, quatenus ipſius eſt pati, non autem agere in generatione; dicitur turpis quatenus caret formà, & perfectione.

QVAESTIO II.

An materia prima habeat actum entitatiuum, vel ſit pura potentia?

Actus entitatiuus idem eſt, ac exiſtentia; Vnde idem eſt quærere an materia habeat actum entitatiuum ac ſi dicerem, an materia per ſe exiſtat ideſt habeat eſſe extra ſuas cauſas

Potentia, vt ad præſens ſpectat eſt duplex ex Scoto, ſcilicet ſubiectiua, & obiectiua, potentia ſubiectiua eſt illa, qua ſubiectum dicitur poſſe recipere actum formalem ſeù formam, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem, vt ſemen reſpectu formę corporis, &c. potentia obiectiua eſt qua res non eſt, ſed dicitur poſſe eſſe per actionem

agentis, vt potentia mundi antequam crearetur, &c. dicitur obiectiua quasi sit obiectum potentiæ agentis: & huic duplici potentiæ respondit duplex actus, nam potentiæ obiectiuæ respōdet actus entitatiuus, potentiæ subiectiuæ actus formalis; nam illud quod est in potentia obiectiua non habet actum entitatiuum, & illud quod est in potentia subiectiua habet actum entitatiuum, & respicit actum formalem, his positis sit.

Prima Concl. Materia prima non est pura potentia obiectiua est Scoti in 2. dist. 12. q. 1. contra aliquos asserentes, materiam primam ex se nullam entitatem habere, sed in suis causis, & esse purè potentiam obiectiuam; prob. materia prima in generatione, & corruptione manet sub vtroque termino, ergo non est pura potentia obiectiua: consequentia sequitur, nam quod nihil est, non potest manere sub vtroque termino, sed potentia obiectiua est sic, vt patet, quia sic dicit tantum possibilitatem ad posse esse, ergo, &c.

Secunda Concl. Materia habet propriam entitatem positiuam, seu actum entitatiuum secundum quem dicitur existere extra suas causas. est Scoti vbi supra, contra Thomistas omnes qui concedunt materiam esse ens, & habere entitatem positiuam: & sic saluant compositionem formæ cum materia, tamen volunt esse ens potentiale, quod ex se nullam habet existentiam, sed totam a forma; probatur, datur ens naturale compositū ex materia, & forma; tunc sic aut est compositum ex materia tanquam ex aliquo independenter ab intellectu, aut ex nihilo; si secundum ergo esset compositum ex nihilo, & forma, & consequenter esset simplex, & non compositum; si primum ergo actu existit, &c.

Resp. Materiam esse ens independenter ab intellectu, tantum potentiale, non actuale; sed

Contra. Materia vel est ens potentiale ad esse ens, vel ad formam, si primum ergo ex se esset nihil, & currit argumentum sicut prius, si secundum, ergo ex se debet habere esse.

Secundò. Materia ex se independenter ab intellectu est aliquid positiuè extra suas causas, ergo ex se includit actum existentiæ, quamuis fundat potentialitatem ad recipiendum actum completum, seu specificum.

Resp. Caiet. quod ens in actu dicitur dupliciter, vel propriè vt est compositum, cui propriè conuenit esse: vel communiter, vt est quodlibet, quod est extra suas causas, materia dicitur esse extrà suas causas secundo modo, non primo, ideo, &c. sed

Contra. Materia actualem causalitem exercet circa compositum physicum intrinsecè constitutum ex materia, & forma; ergo oportet vt in se sit in actu propriè; consequentia probatur, nam actualis causalitas exigit subiectum actuale, alioquin causalitas, seu actio, excederet entitatem suę causæ; Item esse ens in actu propriè, est esse extra suas causas in recto, sed materia est sic; nam vt est extra suas causas in recto non est nihil, quia tunc

com-

compoſitum naturale fieret ex nihilo, & ente, ergo, &c.

Tertiò. Materia cauſat formam in genere cauſæ materialis, ergo habet exiſtentiam diſtinctam a forma, conſequentia probatur: nam nihil cauſat exiſtentiam ſuam, quia ad cauſandum præſupponitur eſſe, & exiſtere, ergo ſi exiſteret materia exiſtentia formæ, dùm cauſaret formam, cauſaret etiam ſuam exiſtentiam. Item probatur conſequentia, exiſtentia eſt ratio ſeù conditio neceſſariò requiſita ad exercitiũ Phyſicæ cauſalitatis, vt omnes fatentur, ergo, &c. Item forma non recipitur in ſubiecto, niſi prius natura exiſtente, &c.

Reſp. Thomiſtæ, quod materia vtique præexiſtit ante productionem formæ, quæ producitur, quia exiſtit exiſtentia alterius, quam amittit, & ſecundum illam priorem exiſtentiam concurrere ad productionem nouæ formæ. ſed

Contra. Cauſa in actu, & effectus in actu ſunt ſimul tempore, ſed quando primo fit noua forma, non amplius exiſtit prior in materia; quia tunc fit noua forma, quando primo non eſt forma præcedens, ergo materia non poteſt cauſare exiſtẽtiam nouæ formę per exiſtentiam prioris: alioquin quod non eſt actu cauſaret ens in actu; Item ſi Deus, nunc crearet materiam ſimul tempore cum forma, productio formæ non eſſet creatio, ſed eductio, quia fieret forma in eo, & dependenter ab ea, & materia phyſicè concurreret ad illius formæ exiſtentiam, nec in tali caſu poſſet dici cõcurrere per exiſtentiam formæ precedentis, quia ſupponitur, materiam nullam præhabuiſſe formam, ſed hanc eſſe omnino primam, quæ ſibi datur a Deo, &c.

Reſp. In inſtanti generationis materiam exiſtere per exiſtentiam formæ ſubſequentis; ſed

Contra. Forma ſuccedens non poteſt tribuere exiſtẽtiam materiæ prius natura, quam informet, cum informatio ſit medium; ſed informatio prę-exigit ſubiectum exiſtens, quia eſt vnio quædam actualis formæ ad ſubiectum, & vnio præſupponit extrema exiſtentia, ergo, &c.

Quartò. Materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, ergo ſi materia exiſteret exiſtentia formæ, cum ſemper in materia aduenirent nouæ, aduenirent etiam nouæ exiſtentiæ, ergo ſemper de nouo generaretur; hæc vltima conſequentia patet, quia generari eſt acquirere eſſe de nouo, &c.

Reſp. Thomiſtæ quod materia ſemper retinet eandem eſſentiam numero, tam in generatione, quàm in corruptione; & ideò ſemper manet eadem ſub vtroque termino mutationis, & conſequenter, nec generatur, nec corrumpitur; ſed

Contra. Exiſtentia regulariter non amittitur ſine eſſentia, nec acquiritur; nam [illegible] ideò de nouo dicitur genita, quia [illegible] cum exiſtentia; ideò [illegible] pta, quia amittit eſ[illegible] ſtentia, ergo ſi materia in[illegible], & corruptione compoſiti amittit, & acquirit exiſtentiam aliam, & aliam, & cõſequen-

ter amittit, & acquirit aliam, & aliam essentiam, nam generaliter sic fit generatio, & corruptio rerum naturalium. Item dicere materiam ita secundum essentiam permanere sub vtroque termino, idem est ac asserere, quod permanet secundum existentiā, nam in tali statu materia non est nihil, sed aliquid in rerum natura extra suas causas, &c.

Quintò. Materia est terminus creationis, ergo est ens in actu per se; consequentia sequitur, quia creatio est actio positiua, ergo necessariò habet suum terminum ad quem terminatur, &c.

Resp. Aliqui, materiam non esse creatam solitariè, sed vna cum forma; sed

Contra. Materia prius naturaliter intelligitur terminare creationem, quā sit sub forma, quia forma educitur de gremio eius, ergo non creatur simul cum forma.

Thomistæ omnes defendunt, materiam primam nullum habere actum entitatiuum, sed esse puram potentiam, tamen non nominant obiectiuam, quia ipsi dicunt hanc potentiam obiectiuam esse inuentionem Scoti: sed decipiuntur, quia Scotus non ponit actum entitatiuum in materia prima propter potentiam obiectiuam, sed propter rati[illegible]es supradic[illegible] Item non est Scotus, [illegible] po-tentiam obiecti[illegible] [illegible]rminus communis apu[illegible] [illegible]

Obijc. primò. [illegible]am conclus. materia non est [illegible], nec quale, nec quantum ex septimo Met. tex. 8. & sic dicendum de alijs prædicamentis, quæ sunt respectiua, ergo non continetur sub aliquo illorum, in quæ ens diuiditur, & consequenter non est ens, sed pura potentia.

Resp. Disting. antecedens non est quid completum, concedo; incompletum, nego, &c.

Obijc. secundò. Materia est propè nihil, ergo excludit omnem entitatem, & consequenter est pura potentia, &c.

Resp. Disting. antecedens est propè nihil comparatione substantiarum perfectarum, concedo; in se, nego; nam in se est aliquid; vel secundo, materia est propè nihil, sed non est nihil, & cōsequenter habet aliquam entitatem.

Obijc. tertiò. In tota latitudine entis dantur duo extrema, nēpe Deus benedictus, qui est purus actus, & materia prima, quæ est pura potentia, ergo, &c.

Resp. Disting. secundam partem anteced. materia in latitudine entis est pura potentia excludens omnem actum formalem, concedo; entitatiuum, nego; nam, &c. Item si est in latitudinem entis, ergo est aliquid, &c.

Obijc. quartò. Contra secundam Conclusionum; materia ex se est pura potentia essentialiter ordinata ad recipiendum esse à forma, sed hoc esse non est nisi actuale, vt patet, ergo ex se non est actus.

Resp. Disting. maior. est pura potentia subiectiua, concedo; obiectiua, nego; nam materia dicitur pura potentia subiectiua ad recipiendum à forma esse specificum, seu determinatum sub ente non verò ad recipiendum actum entis, &c.

Dices.

Dices. Si materia habet istum actũ entis tunc esset determinata per istum actum, sed ex se est indeterminata, vt patet, &c.

Resp. Disting. sequelam maior. esset determinata in genere entis, concedo; talis entis, nego: nam materia in ratione entis dicitur determinata per illum actum, quatenus habet esse extra suas causas, in ratione verò talis entis dicitur indeterminata, quia non est ignis, nec terra, nec aqua, nec aër, sed in ratione istius determinatur à forma.

Obijc. quinto. Ex duobus entibus in actu non fit vnum per se, sed forma est actus, materia est actus, ergo ex ipsis non fit vnum per se. Item materia esset composita compositione Physica, nam ex actu, & potentia constat compositum physicum, sed materia est in actu, & in potentia, ergo, &c.

Resp. Disting. maiorem, ex duobus entibus non subordinatis, & in actu completo, concedo; incompleto, nego; nam materia dicitur in actu entitatiuo, & incompleto, & ordinatur ad actum formalem. Ad aliud dicimus, quod compositum physicum constat ex actu, & potentia eiusdem generis putà physicis, modo materia est potentia physica, & actus metaphysicus, ideo, &c.

Obij. sextò. Iste actus non potest explicari, quid sit, ergo non est dandus, consequentia patet, antecedens probatur, nam talis actus si est aliquid, ergo vel est substantia, vel accidens; sed non est accidens vt patet, ergo substantia, tunc vltra si substantia, vel esset materia, vel forma, vel compositum, non forma, quia iste actus distinguitur ab actu formali, nec compositum, quia in entitate materiæ esset compositio, ergo remanet, quod esset materia, & consequenter daretur materia materiæ, quod est falsũ, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens. Ad probationem dicimus, quod per talem actũ intelligitur id per quod excluditur potẽtia obiectiua, nempè id per quod res non amplius dicitur potentialis, sed actu esse in rerum natura; itaque actus entitatiuus est ipsa existentia materiæ; nec propterea dicitur materia materię, sed aliquid ipsius materiæ, nempe modus intrinsecus ipsius materiæ, quo materia dicitur esse extra suas causas.

Obijc. septimò. Omnis actus diuidit, & distinguit ex septimo Met. tex. 49. sed per materiam nihil diuiditur, imò omnia in ipsa confunduntur, ergo materia non est actus.

Resp. Omnis actus formalis, concedo; actus entitatiuus, nego; nam, &c.

Obijc. octauo. Materia non est per se cognoscibilis, quia ex tex. 69. materia est solum cognoscibilis per Analogiam ad formam, ergo ex se non habet actum entitatiuum, consequentia patet, quia tunc esset per se cognoscibilis, cum cognoscibilitas sit passio entis, &c.

Resp. Disting. maior. vt est entitas absoluta, nego; vt subiectum mutationis, concedo: nam Aristoteles in hoc primo Phys. considerat materiam vt subiectum mutationis, & sic non est cognoscibilis, nisi per Analogiam ad formam, scù ad artefacta; vel non est

est cognoscibilis, pro hoc statu, concedo; vt sic absolutè, nego: nam, &c.

Quaritur. An materia habeat suam partialem subsistentiam, sicut habet partialem existentiam?

Resp. Affir. loquendo de subsistentia communiter dicta; patet ex Scoto Quol. 9. subsistentia tripliciter potest sumi; primò communissimè, vt idem sonat ac per se esse, vt distinguitur ab accidente, & sic omnis substantia, tam completa, quam incompleta dicitur subsistens; secundo communiter, & est illud quod per se existit independenter ab alio, veluti à subiecto, & sustentante, vt anima rationalis; tertiò propriè, & est illud, quod ita est per se existens vt habeat vltimam actualitatem, & sit omnino incommunicabile vt quo, & vt quod, vt prima substantia, & conuertitur cum supposito; hoc notato dicimus, materiam habere propriam subsistentiam in primo, & secundo sensu tantum; patet nam materia est vna sustantia, & omnino distincta ab accidente, ergo, &c. materia à nullo subiecto depēdet, tanquam à substentante, imò potius è cōtra, &c. secunda pars patet, nam subsistens in tertio sensu excludit omnem communicabilitatem, sed materia potest venire in compositione tertij, vt patet, ergo, &c.

Dices. Subsistere est incommunicabiliter existere, sed materia actu cōmunicatur, dum est in toto, ergo, &c.

Resp. Disting. maior. subsistere propriè prout conuertitur cum supposito, concedo; communissimè, & communiter, nego: nam, &c.

QVAESTIO III.

An materia possit existere sine forma.

PRima Concl. Materia non potest naturaliter existere sine forma Physica; probatur ex ordine vniuersi, nam Auctor naturæ instituit, vt agentia naturalia non corrumpant formam in materia quin generant aliam de nouo, sed talis ordo non potest euerti ab agente naturali, ergo, &c. Itaque ratio quare materia non potest naturaliter esse sine forma, est coexigentia materiæ cum forma, quæ coexigentia petitur ex ordine naturæ vniuersalis, & ordine vniuersi; hæc necessaria connexio materiæ cum forma non fundatur absolutè in indigentia materiæ sed in coexigentia vniuersi pro sua integritate poscentis elementa, mixta, viuentia, & composita ex materia, & forma. Item possibile Physicum est illud, quod ab aliquo agente naturali potest produci, sed nullum agens naturale datur, quod possit hoc facere, aliter enim destrueretur ordo vniuersi, ergo, &c. tamen loquendo de potentia Metaphysica potest materia naturaliter existere sine forma, quia potentia Metaphysica dicit tantum nō repugnantiam terminorum, & non est necesse, quod reducatur ad actum, sed materiæ non repugnat) vt est substantia absoluta prior natura ipsa forma) esse sine illa ergo, &c.

Secunda Concl. Materia potest superna-

pernaturaliter existere sine forma, est Scoti in 2. dist. 12. quæst. 2. contra Thomistas omnes; probatur, omne absolutum singulare, prius alio, & ab eo realiter distinctum potest esse sine illo, sed materia prima est ens absolutum, cum sit substantia; prius forma, quia est eius fundamentum, & ipsam causat, est ens realiter distinctũ à forma, quia facit compositionem realem cum ea, & est passiue indifferens ad omnem formam, & successiue possibilis à quacunque informari, & ab vna ad aliam transmutari, ergo, &c. maior explicatur quo ad omnes particulas; nam dicitur primo ens absolutum, quia relatiuum quamuis realiter distinguatur à correlatiuo, tamen implicat existere sine ipso; dicitur singulare, quia vniuersale: licet sit absolutum, tamen non potest esse sine singulari cum non sit perfectè existens, nec realiter ab ipsis distinguitur, dicitur ab eo realiter distinctum, quia passio: licet sit posterior subiecto, tamen, quia identificatur realiter cum subiecto dicitur inseparabilis ab illo.

Resp. Quod licet materia sit prior forma in genere causæ materialis, tamen forma est prior materia in genere causæ formalis: nam existentia materiæ est effectus formalis formæ, & ideo forma est prior materia in genere causæ formalis, sicut enim superficies est prior albedine, tamen albedo est prior superficie alba; sed

Contra. Materia in genere causæ materialis est prior forma, ergo in illo priori intelligitur, &c. consequentia sequitur, nam nulla causa realis causat physicè, nec est potens proximè ad causandum, nisi existens: exemplum nihil facit contra nos, quia albedo, ideo est prior superficie alba, quia albedo in pariete non supponitur, vt sit potens recipere albedinem, sed in casu supponitur existentia in materia ad susceptionem formæ.

Secundò. Deus potest immediatè creare materiam, ergo immediatè potest illam conseruare; consequentia sequitur, nam quod Deus immediatè creat, immediatè potest conseruare; Item non magis repugnat materiam esse sine forma, quam accidens sine subiecto, sed per diuinam potentiam potest esse accidens absque subiecto, vt patet in sanctissimo Sacramento Altaris, ergo, &c.

Tertiò. Forma substantialis Christi, aut fuit separata à materia in morte eius, aut non; non secundum, quia tunc non fuisset mortuus, quod hæreticum est dicere, ergo primum, & consequenter eius materia remansit sine forma substantiali.

Si dicerent quod in tali casu materia non mansit sine forma, quia per recessum illius formæ fuit introducta alia forma: sed

Contra. Illa forma introducta de nouo, vel fuit accidentalis, vel substantialis; si primum tunc nihil contra nos, quia loquimur de forma substantiali; si secundum, ergo fuit forma cadaueris, quod non est dicendum, quia illud corpus non poterat recipere talem formam cum esset plenum diuinitate. Item ex Psal. 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, & loquitur

tur de corpore Christi, ergo fuit sine forma substantiali, & consequenter materia per diuinam potentiam potest esse sine forma, &c.

Quartò. Quicquid contingenter se habet ad aliquod, potest esse sine illo, sed materia contingenter se habet ad formam, quia modo est sub vna forma, & modo sub alia, ergo, &c.

Si respondent quod materia vtique ad hanc, & illam formam contingenter se habet, tamen ad formam, vt sic non se habet contingenter, sed necessariò: sed

Contra. Quicquid contingenter se habet ad quodlibet sub aliquo genere, contingenter etiam se habet ad totum illud genus; sed materia contingenter se habet ad quamlibet formam, ergo ad totum genus formæ. Item dependentia materiæ à forma non est simpliciter, & essentialis, exorta ex propria natura eius, sed tantum ex exigentia vniuersi, poscentis pro integritate sua, corpora elementaria, mixta, viuentia, & non viuentia, & composita ex materia, & forma, ergo quamuis agens naturale creatum non possit agere contra illam exigentiam; tamen Deus auctor naturæ sua potentia absoluta potest sic agere contra omnem legem naturæ; antecedens patet, quia forma non tribuit materiæ proprium esse materiæ, ergo, &c.

Obijc. primò. Contra primam conclusionem ex primo Genesis cap. 1. Terra autem erat inanis, & vacua. Diuus Augustinus 12. confess. cap. 2. per terram intelligit materiam, per inanem intelligit, carentiam formæ, ergo, &c.

Resp. Quod ibi Augustinus dixit, materiam carere forma, non tempore, sed natura in quantum materia est natura prior forma.

Obijc. secundò. Nullum prius dependet à suo posteriori, sed materia est prior forma, ergo non dependet ab illa, & consequenter potest esse sine illa.

Resp. Disting. maior. nullum prius dependet à suo posteriori tanquam à causa, concedo; tanquam à conditione, & ordine naturæ, nego; nam, &c.

Dices. Materia habet propriam existentiam independenter à forma, ergo potest existere sine illa.

Resp. Neg. consequentiam: nam tunc destrueretur ordo vniuersi, ideò, &c.

Dices. Anima rationalis dicit ordinem ad corpus, tanquam ad sui compartem, sed naturaliter contingit separatio animæ à corpore, vt patet, ergo materia, licet ordinetur ad formam tanquam ad sui compartem, tamen potest naturaliter separari à forma; consequentia patet ex paritate, &c.

Resp. Neg. consequentiam. Ad paritatem dicimus, quod si Auctor naturæ instituisset talem ordinem naturæ, vt materia quandoque naturaliter separetur à forma; vt contingit de anima rationali, vtique esset bona paritas; tamen quia instituit propter conseruationem vniuersi talem ordinem, ideo, &c. vel quia existentia animæ rationalis est perfectior existentia materiæ, quia est in ordine substantiarum spiritualium.

Obijc. tertiò. Materia artificialium potest

potest naturaliter esse sine forma artificiali, ergo materia naturalium sine quacunque forma naturali; Item pars integralis potest naturaliter existere extra totum, ergo pars essentialis, consequentia sequitur ex paritate.

Resp. Neg. consequentiam; quia non tantam perfectionẽ expectat materia artificialium à formis artificialibus, vt materia naturalium à naturalibus, materia naturalium habet maiorem indigentiam, quam materia artificialium nempe æs, lignum, &c. Ad aliud dicimus negando paritatem, quia pars integralis secundum essentiam suam abstrahit à ratione partis, nam in se est ens completum, vt patet de gutta aquæ; pars essentialis (vt est materia) non est sic ideo, &c.

Obyc. quartò. Contra secundam Conclusionem. Quod implicat contradictionem Deus non potest facere, sed materiam esse sine forma implicat contradictionem, quia esset in actu, & non in actu; in actu quia haberet existentiam, non in actu quia non haberet formam à qua est omnis actus, ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ad probationem dicimus, quod materia sine forma est in actu entitatiuo, non formali: nam actus formalis est à forma, non vero actus entitatiuus, ideo, &c.

Obijc. quintò. Materia, & forma sunt magis vnum; quàm subiectum & propria passio, sed implicat hæc abinuicem separari, ergo magis implicat materiam separari à forma; maior patet, quia materia, & forma faciunt vnum per se primò; subiectum, & passio vnum per se secundò, vel vnum per accidens.

Resp. Disting. maior. sunt magis vnum vnitate vnionis, concedo; vnitate identitatis, nego; nam materia, & forma sunt duæ entitates realiter distinctè; non sic subiectum, & passio; & ideo non sunt magis vnum vnitate identitis, sunt verò magis vnum vnitate vnionis, quia faciunt vnum per se, cum se habeant sicut actus, & potentia, non sic dicendum de subiecto, & passione.

Obijc sexto. Materia determinatur & finitur per formam, ergo indeterminata, & infinita esset sine forma. Item sub nullo genere esset determinatè, quia quod non est sub specie determinata, neque est sub genere determinato; nam species est à forma.

Resp. Disting. antecedens in genere entis completi, concedo; incompleti, nego; nam &c. Ad aliud nego sequelam; ad prob. dicimus, quod materia non est sub genere substãtiæ, vt ens completum, sed vt incompletum, nempe, vt pars entis completi, & sic licet non sit sub specie determinata, est tamen sub genere determinato, vt pars, &c. Probatio illa habet veritatem in ente completo &c.

Dices. Implicat partem entis esse solam à parte rei; nam ideo est pars, quia est cum alio.

Resp. Disting. antecedens, in ordine ad Agens naturale, concedo; in ordine ad Deum, nego; nam sicut Deus creat animam in corpore, potest etiam ante corpus illam creare, & conseruare; ita dicendum de materia; nam

forma

forma nō dat materiæ esse proprium, & intrinsecum, sed esse formale, & esse compositi.

Obijc. septimo. Implicat Deum posse supplere vicem formæ, sed si separaret formam à materia suppleret effectum formalem, quia non cōmunicatur materiæ aliud esse ab eo, quod habet, dum est sub forma, ergo suppleret Deus causalitatem formæ; mai. patet, quia tunc Deus informaret materiam, quod dicit imperfectionem in ipso Deo.

Resp. Disting. maior. informando, concedo; conseruando, nego; nam Deus in tali casu conseruaret tantum materiam sine forma, non verò informaret materiam &c. vt patet de accidentibus in sanctissimo Sacramento Altaris; materia .n. ex se habet existentiam, & non à forma, ideo ad hoc, vt per se existat nihil aliud requiritur, nisi quod Deus tollat introductionem alterius formæ, & hoc fit in genere causa efficientis, quod Deo non repugnat.

Dices. Implicat, esse materiam absque relatione dependentiæ ad Deum, sed relatio est forma, ergo, &c.

Resp. Disting. consequens, materia non potest esse sine omni forma, quæ identificatur realiter cum ipsa materia, concedo; sine omni forma, qua distinguitur realiter ab ipsa, nego; nam talis relatio est trāscendens identificata realiter cum materia, ideo, &c.

Dices. Si Deus conseruaret duas distinctas materias, tunc esset verum, quod essent duæ, sed dualitas est forma realiter distincta à materia, ergo materia non potest esse sine omni forma etiam realiter distincta.

Resp. Quod talis dualitas (cum sit numerus) non est in rebus numeratis, sed in anima numerante, ideo prædicatio sūpta à numero est extrinseca, &c.

Obijc. octauo. Relatiuum non potest existere sine suo correlatiuo, sed materia refertur ad formam, vt patet ex secundò Phys tex. 26. ergo, &c.

Resp. Disting. maior. Relatiuum secundum esse, concedo; secundum dici, nego: nam materia est relatiuum secundum dici, non secundum esse.

Obijc. nono. Res est in actu primo per formam; in actu secundo per operationem, sed non potest esse in actu secundo sine operatione actuali, ergo nec in actu primo sine forma. Item repugnat, aliquid habere esse accidentale sine forma accidentali, ergo repugnat habere esse substantiale sine forma substantiali; sed materia tunc verè haberet esse substantiale, ergo, &c.

Resp. Nego primam partem maior. Nam Deus est in actu primo, & nullam habet formam; vel secundo, est in actu primo formali, & specifico per formam, concedo; in actu primo entitatiuo, nego; nā m, &c. Ad aliud nego consequentiam; nam esse accidentale semper est cum forma accidentali, non verò esse substantiale: nam intelligentiæ habent esse substantiale, seu entitatiuum sine formis; sic materia dicitur habere esse entitatiuum sine forma, &c.

Quæritur. An in materia separata à forma per diuinam potētiam esset ponēdus nouus modus posituus essendi?

Resp.

Resp. Neg. nam vltra miraculum separationis non requiritur aliud miraculum; Probatur: nam materia ex se habet propriam existentiam, & partialem subsistentiam, ergo non requiritur aliud positiuum ad hoc, vt separata existeret: consequentia probatur: nam anima rationalis ideo ponitur existere separata à corpore absque alio nouo modo positiuo, quia de se habet consimilem existentiam, ergo sic dicendum de materia.

Dices primò. Pars integralis cum separatur à toto, eo ipso acquirit modum totalitatis per indiuisibile terminatiuum resultans in ipsa, ergo similiter pars essentialis, vt est materia.

Resp. Neg. consequentiam: nam pars integralis separata verè dicitur totum, quia in se est ens completum, & ideò indiget modo positiuo per se essendi totalitatis; materia verò non est ita, quia separata etiam remanet ens incompletum, ideo nulla est necessitas ponere hunc modum positiuum per se essendi in materia, sed sufficit modus negatiuus, scilicet vnionis cum altera comparte.

Dices secundò. Non fit nouum miraculum, nisi aliquid producatur de nouo in re, circa quam fit miraculum, sed materiam existere sine forma est nouum miraculum, ergo, &c. Item esse supernaturale non potest conuenire rei per formam naturalem, sed materia separata habet esse supernaturale, ergo, &c. Item materia separata existit in statu violento, & præter naturam suam, ergo habebit alium modum essendi sibi à Deo tributum.

Resp. Ad primum negando maiorem: nam miraculum potest fieri per solam subtractionem concursus, vt patuit in fornace Babylonis; ita esset in casu, &c. Ad secundum disting. maiorem esse supernaturale, & positiuum, & secundum rem, concedo; negatiuum, & secundum modum, nego: nam materia in casu haberet esse supernaturale negatiuum, & secundum modum, quatenus conseruaretur à Deo in eo statu, in quo ei non conueniret de lege communi; materia enim haberet suum esse naturale, sed non modo naturali, quia non esset vnita cum forma. Ad tertium disting. antecedẽs, positiuè, nego; negatiuè, concedo: nam materia in tali casu non existeret violenter positiuè, vt existit aqua sub calore, sed negatiuè, quatenus reperitur sine suo modo naturali, scilicet esse sub forma, & ideo non est necesse, quod recipiat nouum modum positiuum per se essendi, sed tantum negatiuum, scilicet non existendi cum forma, &c.

Quæritur. An in materia, vt possit conseruari separata à forma esset necessarius alius concursus specialis Dei maior illo priori?

Resp. Neg. sed tantum sufficit ille concursus Dei, quo prius conseruabatur, quando erat coniuncta formæ. Probatur: nam inuariato principio, & termino, inuariatur actio, nam actio accipit vnitatem, & diuersitatem ab illis, sed in casu manet idem principium, scilicet diuina voluntas applicata ad opus, idem terminus, scilicet materia, ergo idem concursus cum priori, &c.

Dices. Materia separatâ supernaturaliter conseruatur, ergo si eodem concursu conseruaretur, adhuc existeret naturaliter; consequentia sequitur, quia ille concursus non habet vim conseruandi, nisi naturaliter.

Resp. Neg. consequentiam: nam talis concursus prius dicebatur naturalis, quia erat debitus materiæ ex lege ordinaria; postea dicitur supernaturalis, quia præstatur materiæ in eo statu in quo non sibi debetur de lege ordinaria, & ideo dicitur conseruari supernaturaliter.

Dices. Prior concursus est debitus materiæ simul cum forma; secundus verò, qui præstatur postea materiæ separatæ est indebitus, ergo est diuersus à priori, qui erat debitus.

Resp. Disting. secundam partem antecedens talis concursus est indebitus secundum modum, concedo; secundum rem, nego: nam in tali casu esset idem concursus secundum rem, non vero secundum modum, quia prius præstabatur modo ordinario; postea verò modo extraordinario.

Nota quod quamuis, materiam existere sine forma, sit præter naturale, tamen hæc supernaturalitas non oritur ex indigentia maioris concursus priori, nec ex eo, quod concursus prior non est debitus naturæ particulari materiæ, sed eo, quod non est debitus naturæ vniuersali, &c.

QVAESTIO IV.

An potentia sit de essentia materiæ.

IN hac quæstione non loquimur de potentia actiua, quæ est principiũ transmutandi aliud in quantum aliud, cum hæc non sit in materia; sed de passiua, quæ est principium transmutandi ab alio, in quantum aliud ex nono Met. tex. 2. & hæc est duplex in materia, scilicet potentia proxima, & remota. Prima est dispositio quædam præuia ad formam, vt calor in materia ligni ad receptionem formæ ignis; secunda est aptitudo naturalis, qua materia est apta nata recipere omnes formas, vt aptitudo in materia ligni, quatenus quantum est de se est apta nata recipere formam ignis. Potentia proxima materiæ multiplicatur ad multiplicationem formarum, & destruitur per aduentum formæ: remota vero est vna ad omnes formas, nec destruitur per aduentum alicuius formæ; de potentia remota loquimur in præsenti. Pro qua sit.

Prima Concl. Potentia non est de essentia materię in primo modo dicẽdi per se est Scoti in 2. dist. 12. q. 1. contra Thomistas, Conimbric. & quamplures, qui dicunt, potentiam constituere ipsam materiam in esse materiæ. Probatur nullum relatiuum est de essentia absoluti, sed potentia est quid relatiuum, quia dicit ordinem ad actũ, materia est quid absolutum, vt patet, ergo, &c.

Item

Item aptitudo cuiuscunque rei supponit rem iam constitutam, quia fluit à principio ipsius rei, sed potentia materiæ dicit aptitudinem, ergo supponit ipsam materiam constitutam, & consequenter non est de eius essentia.

Secunda Concl. Potentia materiæ est eius proprietas, seu ipsi essentialis in secundo modo, non vero accidens ei superadditum. Est Scoti vbi supra; contra prædictos Auctores; & quo ad secundam partem contra Auer. Toletum, qui dicunt, potentiam materiæ ad formam esse accidens prædicamentale ei superadditum. Probatur prima pars, ex materia, & forma fit vnum per se, quia materia est per se potentia, forma per se actus, sed non est per se in primo modo, vt supra, ergo in secundo, vt passio, &c. Item posse perficere, & informare est per se proprietas formæ, ergo posse perfici erit per se proprietas materiæ.

Secunda pars patet: nam si talis potentiam esset accidens superadditum, tunc compositum substantiale non esset vnum per se, sed per accidens, quod est falsum, ergo, &c. Sequela patet, quia esset ex his, quæ per accidens essent ordinata ad inuicem, &c. Item materia per accidens haberet inclinationem ad suam perfectionem, &c.

Obijc. primò. Contra primam concl. materia est ita potentia, sicut forma est actus, quia sicut forma definitur per esse actum ex secundo de Anima tex. 2. ita materia per esse potentiam, scilicet per esse subiectum formarum ex primo Phys. tex. 82. sed forma est essentialiter actus perficiés materiam, ergo materia est essentialiter potentia perfectibilis à forma.

Resp. Disting. min. forma est essentialiter actus in secundo modo, concedo; in primo modo, nego; vel forma est essentialiter actus in primo modo radicaliter, non vero formaliter: nam actus radicaliter est ipsa forma; formaliter verò est ipsa potentia ad posse perficere, ita dicendum de materia.

Dices. Differentia est de essentia illius, cuius est differentia, sed potentia est differentia materiæ, actus est differentia formæ, quia per potentiam materia distinguitur à forma, & è contra; ergo, &c.

Resp. Disting. min. in primo modo, nego; in secundo modo, concedo: nam potentia in materia pro aptitudine gerit vicem differentiæ: pro principio talis aptitudinis, sic est de essentia in primo modo, & est ipsa entitas materiæ.

Obijc. secundò. Materia essentialiter in primo modo est ens incompletum, ergo essentialiter in primo modo petit compleri, sed non petit compleri, nisi per modum potentia passiuæ, ergo talis potentia passiua est essentialiter in primo modo.

Resp. Disting. consequens, radicaliter, concedo; formaliter, nego: nam materia cum sit ens incompletum essentialiter petit compleri per modum potentiæ passiuæ radicaliter, nempe quatenus dicit principium talis potentiæ formalis; potentia enim formalis est illa aptitudo ad formas; & ita potentia passiua materiæ radicaliter, seu

prout dicit principium talis potentiæ, seù aptitudinis est de eius essentia in primo modo, non verò formaliter, quatenus dicit aptitudinem.

Obijc. tertiò. Compositum essentialiter constat ex per se potentia, & ex per se actu, quia vnum per se, est ex per se potentia, & per se actu ex octauo Met. 15. sed quod ingreditur in composito vt potentia est materia, ergo materia est per se, & essentialiter potentiá.

Resp. Disting. consequens, est essẽtialiter potentia radicaliter, concedo; formaliter, nego: nam ad hoc, vt ex materia, & forma fiat vnum per se, sufficit, vt sint actus, & potentia formaliter in secundo modo, & radicaliter in primo.

Obijc. quartò. Quod inexistit alicui (circumscripto omni eo, quod non est de eius essentia in primo modo) pertinet ad essentiam eius per se primo, sed circumscripto à materia omni eo, quod est extra eius essentiam in primo modo, adhuc esset in potentia ad formã; aliter enim in nullo signo sequenti posset recipere formam, ergo, &c.

Resp. Disting. min. esset in potentia ad formam radicaliter, concedo; formaliter, nego; nam materia secundum se considerata formaliter, nec est capax, nec incapax formæ, sed tantum radicaliter, & fundamentaliter; ideò potentia materiæ radicaliter sumpta est de eius essentia per se primò, non verò formaliter, nisi in secundo modo.

Obijc. quintò. Materia est potentia ad omne id, quod est extra suam essentiam, ergo si potentia non esset de essentia materia, tunc esset in potentia ad potentiam.

Resp. Disting. anteced. quod est extra suam essentiã, & realiter distinctũ, concedo; non realiter distinctum, nego: nam potentia non est realiter distincta à materiá, sed est eius naturalis aptitudo, ideo non est in potentia ad potentiam, quia connaturaliter habet illam. Item subiectum non est in potentia ad aptitudinem, sed ad actum talis aptitudinis.

Obijc. sextò. Contra secundam concl. quoad secundam partem naturalis potentia est in secũda specie qualitatis ex Arist. in cap. de qualitate; sed potentia materiæ est naturalis ipsi materiæ, ergo est in secunda specie qualitatis, & consequenter est accidẽs prędicamentale; Item sicut mollities ceræ est potentia ad recipiendam impressionem sigilli, & durities columnæ ad substinendam domum, ita potentia materiæ ad recipiendas omnes formas, sed mollities est accidens prædicamentale, ergo potentia materiæ est accidens prædicamentale.

Resp. Disting. maior. prout dicit agilitatem ad facile operandum, concedo; simpliciter loquendo, nego: nam proprie loquẽdo non est naturalis potentia, vel actiua, vel passiua, quæ ponitur in secunda specie qualitatis, sed illa facilitas ad agẽdum, & patiendum; ideo non dicit Philosophus in Textu simpliciter potentiam, sed facilitatem superadditam, quæ est accidens: nam intellectus est potentia naturalis, & tamen non est sub illa specie qualitatis; ideo nec intellectus, nec aliæ simplices

ces potentiæ naturales sunt collocandæ sub illa specie, sed tantum illæ potentiæ, quæ facilitatem præseferunt; Ad aliud peri dem resp. nam mollities in cera, vt est in secunda specie qualitatis, non est propriè potentia passiua recipiendi impressionem sigilli, sed facilitas illa, quam habet cera ad recipiendam impressionem cuiuscunque sigilli, &c. Idem dicendum de duritiæ columnæ, &c.

Obijc. septimo. In causa efficienti assignatur potentia actiua de genere qualitatis, vt calor in igne, grauitas in lapide ad descendendum, ergo in causa materiali eius potentia est de genere qualitatis, &c.

Resp. Neg. consequentiam: nam potentia actiua causæ efficientis est instituta ad obeundas operationes quasdam accidentales, quibus illa potentia accidentalis est proportionata; sed potentia passiua materiæ est instituta ad constituendum vnum per se cum forma substantiali, cui non erit proportionata, si ipsa potentia erit accidentalis.

QVAESTIO V.

An materia habeat naturalem appetitum ad omnes formas.

APpetitus triplex est scilicet naturalis, sensitiuus, & intellectiuus. Naturalis est inclinatio naturæ ad proprium bonum, nulla præsupposita cognitione appetentis; vt lapis appetit esse deorsum; ignis sursum, vt conseruentur. Sensitiuus est, qui fertur in aliquod bonum mediante cognitione sensitiua, vt appetitus equi ad herbam viridem. Intellectiuus est qui fertur in aliquod sibi bonum mediante cognitione intellectiua, vt appetitus voluntatis ad sibi bonum, mediante intellectu.

Potentia receptiua (pro nunc) est triplex ex Scot. quæst. 1. Prologi, scilicet naturalis, violenta, & neutra; Potentia dicitur naturalis, quia naturaliter inclinatur ad aliquem actum, sub quo ita naturaliter quiescit, vt si talis potentia sit sub actu opposito, violenter esset, vt patet de potentia naturali lapidis ad motum sursum; Potentia violenta est illa, quæ contra suam naturalem inclinationem est sub aliquo actu, & violenter est sub illo, vt patet de lapide, respectu motus sursum, sub quo violenter detinetur; potentia neutra est illa, quæ nec naturaliter ad aliquam formam, nec ad eius oppositum, tamen naturaliter recipit illam formam; quam neutraliter respicit; vt patet de superficie, quæ non naturaliter inclinatur ad albedinem, neque ad nigredinem; naturaliter tamen recipit albedinem, & nigredinem disiunctiuè. Pro qua sit.

Prima Concl. Materia appetit formas, vt formæ sunt, appetitu naturali; Probatur: nam omne perfectibile appetit suam perfectionem, tanquam suum bonum, sed materia est quodam perfectibile, forma est eius perfectio, ergo, &c. Item materia dicit inclinationem ad formam nulla præsupposita cognitione, ergo appetit appetitu naturali. Item patet ex sufficienti diuisione:

re; nam non appetit formam appetitu sensitiuo, nec intellectiuo, vt patet, ergo appetitu naturali,&c.

Queres? causa quare materia appetit formam est ne priuatio, cum dicat Aristoteles in tex. materia appetit formam propter priuationem.

Resp. Quod causa principalis est, quia materia cupit perfici ab illa forma; priuatio dicitur tantum causa dispositiua, quia si materia non esset priuata forma, non appeteret illam.

Secunda Concl. Materia in ordine ad hanc, & illam formam dicitur esse in potentia neutra est Scot. quæst. 1. Prol. & in 4. dist. 43. quæst. 4. Contra Thomistas negantes, dari potentiã neutram, & contra aliquos, qui volunt, materiam appetitu naturali eque inclinari ad omnes formas, & potentiam esse æquè naturalem ad singulas formas. Probatur, illud dicitur esse in potentia neutra, quod nec naturaliter inclinatur ad aliquam formam, nec ad eius oppositum, tamen naturaliter recipit illas, quas neutraliter respicit, vt patet de superficie in ordine ad albedinem, & nigredinem, quæ est susceptiua albedinis, & nigredinis, sed materia sic se habet respectu formæ aquæ, & formæ ignis, ergo neutraliter se habet,&c. Item si materia diceret potentiam naturalem ad formam aquæ, tunc ad formam ignis violenter se haberet, quod est falsum; sequela probatur: nam potentia naturalis dicit inclinationem ad aliquem actum, sub quo ità naturaliter quiescit, quod si sit sub actu opposito violenter esset sub illo, vt patet de lapide sursum, ergo si materia diceret potentiam naturalem ad formam aquæ, violenter esset sub forma ignis.

Resp. Quod formæ aquæ, & ignis sunt substantiæ, & ideo non sunt oppositæ respectu materiæ; sed

Contra. Incompossibilitas formarũ incompossibilium in eodem subiecto est etiam in subiectis, ergo, &c. Item materia non solum respicit formas, sed etiam dispositiones præuias, quia vt disposita respicit formas, sed dispositiones sunt per se primo contrariæ, ergo si materia naturaliter respiceret vnam, violenter respiceret aliam, &c.

Obiec. primò. Contra primam conclusionem, omne simile appetit sibi simile, sed materia non est similis formæ, quia est potentia, ergo, &c.

Resp. Disting. maior. appetitu sensitiuo, & intellectiuo, concedo; naturali, nego: nam,&c.

Dices. Appetitus naturalis consequitur formam, vt patet de graui ad vbi deorsum, sed appetitus materiæ non prouenit à forma, ergo appetitus materiæ non est naturalis.

Resp. Disting. maior. in rebus perfectis habentibus appetitum formalẽ, vt patet de lapide, concedo; in rebus imperfectis, vt est materia, nego, nam,&c.

Obiec. secundò. Si materia appetit formam, vel appetit illam, quam habet, vel quam non habet; non primum, quia appetitus est ratione carentiæ; nec secundum, quia appetitus formæ absentis, spectat ad desiderium, quod solum competit cognoscentibus, ergo,&c.

Resp. Materiam appetere formam quam

quam habet, vt bonum præsens; quam non habet, vt bonum absens; quando dicitur appetitus, spectat ad desideriũ, dicimus quod propriè desiderium cõuenit cognoscentibus, quia desiderium boni oritur ex cognitione, tamen impropriè, & largè conuenit etiam non cognoscentibus, & idem est ac appetitus boni: nam Aristoteles primo Physicorum tex. 81. ait nata est appetere, & desiderare secũdum suam naturam, idest quod est consonum naturæ, &c.

Obijc. tertiò. Natura appetit bonum, & non malum, ergo si materia naturaliter appeteret aliam formam, tunc appeteret corruptionem formæ, quam habet, sed corruptio est malum naturæ, ergo, &c.

Resp. Disting. sequelam consequẽtiæ per accidens, concedo; per se, nego: nam materia per se tendit in nouam formam; in nouum compositum, in nouas generationes; si ex illo succedit malum, nempe corruptio formæ habitæ, id non est nisi per accidens.

Instabis materia existens sub forma hominis habet perfectiorem formam, quam possit habere, ergo non appetit aliam formam, tanquam sui perfectiuum.

Resp. Disting. consequens, materia non appetit aliam formam, si forma habita esset inseparabilis à materia, concedo; si esset separabilis, nego: nam materia licet dum esset sub forma hominis sit sub forma perfectiori, tamen quia illa forma est separabilis, & non potest semper esse sub illa, ideò appetit aliam sic dicendum de formis corruptibilibus.

Obijc. quartò. Sicut se habet materia ad formam, ità forma ad materiam, sed forma nõ appetit materiam, ergo nec materia formam.

Resp. Negando paritatem in casu; nam paritas tantum habet veritatem in hoc, quod sicut materia non est sine forma, ita forma non est sine materia, sed non vltra; nam materia perficitur à forma, forma verò non perficitur à materia; ideo materia appetit formam tanquam sui perfectiuum, &c.

Obijc. quintò. Contra secundam conclusionem. Potentia respiciens aliquod commune naturaliter, respicit etiam naturaliter omnes eius species, sed materia respicit naturaliter formã in communi, ergo similiter quamlibet formam; maior patet: nam potentia visiua naturaliter respicit colorem, & omnes eius species, ergo, &c.

Resp. Disting. maior. respicit etiam naturaliter omnes eius species sub ratione communi, concedo; sub ratione propria, nego; nam potentia visiua licet naturaliter respicit colorem, & omnes eius species sub ratione coloris, tamen sub ratione talis coloris indifferenter se habet; si enim sub vno colore quiesceret naturaliter, sub alio esset violenter, sic dicendum de materia, nam materia naturaliter respicit hanc, & illam formam sub ratione formæ in communi, non verò sub ratione talis formæ, quia sic addit differentiam distinctam ab illa forma, ideo, &c.

Dices. Differentia specifica non minuit rationem generis, ergo si materia naturaliter se habet ad genus formarũ, etiam

etiam naturaliter se habet ad species formarum, &c.

Resp. Neg. consequentiam, quia differentia specifica licet non minuat rationem generis, tamen addit oppositionem contrariam, & facit quod si est connaturalis vni, eidem eius species opposita est violenta. Deus enim, vt ens est) naturaliter respicitur, non verè, vt tale ens, & sub propria ratione.

Obijc. sexto. Materia naturaliter perficitur à qualibet forma, ergo naturaliter respicit illas.

Resp. Disting. consequens sub ratione formæ, concedo; sub ratione talis formæ, nego: nam vt talis forma addit differentiam oppositam, & sic respicit illas indifferenter, &c.

Obijc. septimo. Potentia comparatur ad actum quem suscipit, & eo modo, quo illum recipit ex nono Met. tex 13. 15. 16. Sed materia naturaliter recipit formam ignis, & aquæ, ergo eius potentia est naturalis ad ignem, & ad aquam, &c.

Resp. Disting. maior. sine præcisione, concedo; cùm præcisione, nego: nam potentia non solum comparatur ad actum, quem suscipit, sed etiam ad actum, quem potest suscipere; superficies enim comparata ad albedinē, quam suscipit, naturaliter suscipit; sed comparata ad illam vt recipiendam, tunc neutraliter respicit; fit igitur transitus in argumento à potentia recipiente ad potentiam respicientem.

Quæritur primo. An materia habeat potentiam naturalem ad omnes formas, etiam corruptas?

Resp. Affirm. quia materia est capax omnium formarum quantum est ex se, ergo, &c.

Dices. Non datur potentia naturalis actiua ad formam corruptam reproducendam, ergo nec potentia passiua in materia ad eam recipiendam, consequentia sequitur, quia omni potentiæ passiuæ naturali correspondet actiua naturalis.

Resp. Neg. consequentiam. Ad probationem dicimus, quod non est necesse, vt semper potentiæ passiuæ naturali creatæ correspondeat naturalis actiua creata, sufficit quod respondeat actiua, siuè naturalis, siuè supernaturalis: nam in corpore est potentia naturalis passiua ad animam intellectiuā recipiendam, tamen nulla est potentia actiua naturalis potens deducere ad talem potentiam: ità dicēdum in casu.

Not. Potentia materiæ potest tribus modis respicere formam, scilicet proximè, remotè, & remotissimè, seù radicaliter; potentia proxima in materia est capacitas recipiendi formam cum dispositione ad illā recipiendam; remota est eadem capacitas absque dispositionibus ad formam, quas potest naturaliter habere, seù ab agente naturali produci; remotissima est eadem capacitas materiæ ad formam sine dispositionibus quas nec naturaliter potest habere; & hoc tertio materia dicitur habere potentiam naturalem ad formas corruptas dicitur esse in potentia naturali remotissima; si ad agens tunc non habet potentiam naturalem ad formas corruptas, sed supernaturalem, & obedientialem, ideo, &c.

Quæritur

Quaeritur secundò. An potentia receptiua formarum distinguatur à potentia substentatiua ipsarum?

Resp. Affirm. formaliter ex natura rei, non realiter; patet nam modus substentationis est ex natura rei distinctus à modo receptionis, ergo, & potentia substentatiua à receptiua; consequentia sequitur, nam distinctio potentiarum arguitur ex distinctione specifica actuum. Item receptio materiæ in ordine ad formam non potest à Deo suppleri in nullo genere causæ, bene tamen substentatio, vt patet de accidentibus in sanctissimo Sacramento Altaris. Item potentia receptiua dicit imperfectionem, & potentialitatem, ideo vnum recipit aliud, quia perfectionem expectat ab eo; potentia substentatiua potius dicit perfectionem in re substentante, quatenus substentando perficicit aliud, vel saltem non dicit necessariò imperfectionem in ratione substentantis.

Quaeritur tertiò. An appetitus materiæ sit solum ad formas in communi, vel potius ad singulas in particulari?

Resp. Affirm. nam appetitus materiæ tendit ad formas in communi, & ad formas in particulari, quatenus formæ sunt.

Quaeritur quarto. An materia æqualiter appetat omnes formas in particulari, vel nobiliores magis, & dum est sub nobiliori an appetat minus nobilẽ?

Resp. Materiam æqualiter appetere omnes formas, & non magis perfectas, quam imperfectas, & dum est sub perfectiori adhuc retinet appetitũ ad minus perfectam, &c.

QVAESTIO VI.

An materia sit vna specie, vel numero.

VNitas triplex est scilicet numerica, specifica, & generica, numerica est illa per quam res est indiuisa in se, & diuisa ab alijs; specifica est per quam res est indiuisa in plures rationes specificas, tamen diuisa in plura numero; generica est per quam res est diuisa in plures rationes formales specificas; sensus quæsiti est num materia in omnibus scilicet in leone, equo, aëre, aqua sit vna numero, vel specie, vel genere pro, qua sit.

Concl. Materia non est vna numero, nec vna genere, sed vna specie, ac vnius rationis in omnibus. Est Scoti in 4. dist. 11. quæst. 3. littera H. contra Henricum Runium, & quamplures; substinentes, materiam primam esse vnam numero loquendo de materia prima remota, de proxima verò compositi, dicunt, ipsam multiplicari numero à pluribus formis numero distinctis; prima pars probatur idem numero non potest naturaliter esse actu in pluribus locis, sed materia diuersorum suppositorum est in pluribus locis, ergo materia non est vna numero, &c.

Secundo materia est prior natura quacunque forma, quia est fundamentum formarum, sed prius, vt prius essentialiter non variatur ad variationem posterioris, ergo si materia per se esset essentialiter vna numero, non possit plurificari numero propter variationẽ formarum, & sic materia eadem nu-

mero reciperet diuersas formas substātiales contrarias, vel saltem incompossibiles, vt aëris, & ignis, &c.

Secunda pars patet, nam materia prima non habet sub se diuersas species, ergo non est vna genere; consequentia sequitur, quia vnum genere, diuiditur in plures species; antecedens probatur, nam materia est vnius rationis in omnibus, & si poneretur in Cælo adhuc esset eiusdem rationis cum materia sublunari; Thomistæ verò, qui dicunt aliam esse materiam sublunarē, & aliam corporum cælestium tenentur dicere ipsam esse vnam genere, &c.

Tertia pars, patet ex sufficienti diuisione, nam non est vna genere, neq; vna numero, ergo vna specie. Item materia est communicabilis, ergo est vna specie; antecedens patet de hac, & illa materia; item materia ex se habet, vt sit species incompleta, & pars intrinseca corporis, ergò esto coniungatur formis diuersæ speciei, cum quibus constituit diuersa composita, id tamen est extrinsecè, non intrinsecè, quia vno modo subest omnibus, & præstat suos effectus.

Obijc. primò. Subiectum transmutationis est vnum numero quod manet sub vtroque termino, ex primo Physicorum tex. 60. Sed omnia naturalia sunt ad inuicem transmutabilia, ergo materia cum sit subiectum omnium transmutabilium erit in eis vna numero, &c.

Resp. Disting. maior, simul, & semel, nego.; successiue, concedo: nam Aristoteles in illo textu vult, quod materia successiuè sit vna numero in pluribus, non vero simul, & semel; vel secundo idem numero subiectum manet sub vtroque termino in vno genito, concedo; in duobus genitis, nego: nam eadem materia quæ erat in corrupto, manet in genito, & eadem materia, quæ erat sub forma aëris, eadem manet in igne genito ex aëre, tamen in duobus genitis non est sic; quia tunc duo numero, scilicet ignis, & aër existerent in materia eadem numero, quod est absurdum. Item si est eadem numero in genito, & corrupto, sequitur quod non est eadem numero in vtroque illorum existentibus in suo esse, &c.

Obijc. secundò. materia si esset continua, & non distincta per formas, esset vna numero, ergo intrinsecè, & ex se est vna numero; licet per formas, & extrinsece distinguatur numero; antecedens patet: nam sicut aqua indistincta, & continua est vna numero, & tota diuisio per formas est sibi extrinseca; ita dicendum de materia, &c. Item si omnes materiæ expoliarentur omni forma, fieret vna numero materia; ergo signum est quod ex se non habet distinctionem numericam.

Resp. Neg. antecedens: nam si materia esset in se, non esset vna numero, sed specie, quia esset communicabilis pluribus; nec oportet speciem esse actu in pluribus actu existentibus, sed sufficit quod possit esse in pluribus. Ad aliud nego antecedens: nam in tali casu omnes materiæ amitterent vnitatem numericam prædicamentalem, non verò substantialem, & intrinsecam, qui adhuc essent distin-

ctæ

& per proprias differentias indiuiduales, & licet continuarentur opere agentis extrinseci, tamen adhuc distinctæ hoc modo manerent, &c.

Dices. Species est illa de qua genus prædicatur in quid, sed de materia nullum genus prædicatur, vt patet; quia est diminuta; ergo non est vna specie, & consequenter est vna numero, &c. Item terminus creationis est vnum numero, sed materia secundum se est terminus creationis, ergo, &c.

Resp. Disting. maior. species subijcibilis; concedo, prædicabilis tantum, nego; nam illa definitio est de specie completa, quæ est prędicabilis, & subijcibilis; materia vero est tantum prædicabilis, quia incompleta, dicitur tantum species, quatenus prædicatur de pluribus materijs; sicut enim risibilitas pro vt dicitur de hac, & de illa risibilitate est species diuisa à flebilitate, ita in casu, &c. Tamen risibilitas, & flebilitas non dicuntur species propriè, sed tantum species prædicabiles; sic dicendum de materia, &c. Ad aliud dicimus quod si argumentum aliquid probaret, probaret etiam hominem esse vnū numero, & non specie, quia est terminus creationis; tamen sicut homo non existit in se vltimate, sed in suis singularibus; ita materia in singularibus contracta per differentiam indiuidualem.

Obije. tertiò. Materia prima à parte rei est primum, & vltimum subiectum omnium, ergò est indiuisa in se, & diuisa à quocunque alio quod non est ipsa, & consequenter est vna numero, &c.

Resp. Quod licet materia sit primū, & vltimum subiectum, tamen habet vnam rationem pluribus communicabilem.

Dices. Quod est à parte rei, ideo est, quia vnum numero est, sed materia est à parte rei, &c.

Resp. Disting. maiorem complete, & incommunicabiliter, concedo; incomplete, & communicabiliter, nego: nam, &c. materia enim si per Dei potentiam esset sine omni forma, adhuc haberet rationem specificam, & aptitudinem ad communicandum pluribus, esset tantum indiuisa actu, non aptitudine, tamen vnum numero est illud quod est indiuisum actu, & aptitudine sicut patet de Petro cui repugnat communicari pluribus, non est sic dicendum de materia, &c.

Obijc. quartò. Contra secundam partem ex 12. Met. 27. habetur quod sicut principiata sunt alia, ita & eorum per se principia, & hoc secundum genus, speciem, & numerum, ergo cum materia sit per se principium generationis, erit alia, & alia secundum genus, speciem, &c. Sicut forma; Item tria sunt genera principiorum, scilicet, materia, forma, & priuatio; ergo inter se differunt genere.

Resp. Neg. consequentiam, nam Aristoteles ibi non loquitur de materia prima, sed de materia secunda disposita proximè ad certam formam, & materia sic disposita vtique est alia ab alia, & distinguitur ab alia materia iuxta distinctionem reconstituta secundum genus, speciem, & numerum? Ad aliud disting. antecedens tria sunt genera principiorum, in ratione principiandi,

piandi, concedo; in ratione essendi, nego. nam principium materiale non habet plures species sub se, vt supra, sicut principium formale, ideo,&c.

Obijc. quintò. Forma est illa quæ dat speciem rei cui aduenit, ergo formæ diuersæ tribuunt materijs diuersum esse specificum.

Resp. Disting. antecedens; dat speciem rei quam constituit, concedo; cui aduenit, nego: nam materia, cui aduenit forma, recipit ab ipsa esse formale, & specificum extrinsecè, non verò esse materiale, & intrinsecè; forma enim tribuit composito esse formale, forma variat esse extrinsecum, & formale in materia, non speciem intrinsecam incompletam,&c.

Obijc. sexto. Compositum est intrinsece, & essentialiter constitutum in sua specie ex materia, & forma; ergo vbi sunt composita specie distincta, etiam materiæ, & formæ sunt specie distinctæ, &c.

Resp. Neg. consequentiam loquendo de materia: nam materia variatur extrinsecè per formam, non intrinsecè in sua natura in ratione subiecti; natura enim primi subiecti est vt constituat cum formis distinctis distinctas essentias, inuariata tamen eius natura,&c.

QVAESTIO VII.

An in materia detur forma corporeitatis sibi coæua, & coæterna.

Forma corporeitatis (pro nunc) idem est ac ratio seminalis, siue inchoatio formarum, quatenus ex illa tanquam ex seminario, & radice educuntur omnes formæ; & quæritur num in materia detur talis inchoatio formarum ei coæterna; pro qua sit,&c.

Concl. Neg. est Scoti in secũdo distinctione 18. quæstione vnica, contra Albertum, Henricum, & quamplures, qui per formam corporeitatis intelligunt quandam formam imperfectam inseparabilem à materia, & illi coæuam, tamen dat materiæ, vt sit receptiua omnium formarum, & ponitur in materia ad euitandam creationem, & ponendam generationem. Probatur primo, ideo talis forma ponitur (per aduersarios) vt saluent generationem non esse creationem; sed tali forma non posita adhuc generatio non est creatio; ergo frustra ponitur; minor patet, nam creatio nullum præsupponit subiectum, generatio præsupponit materiam, qua posita illa actio non est creatio.

Secundò talis forma corporeitatis in materia, aut est pars formæ generandæ, aut non, si secundum, ergo quando illa forma generanda ponitur in esse, createtur, vt supra; si primum ergo nihil de nouo producitur in generatione.

Obijc. primò. Si in materia non datur talis forma corporeitatis, tunc sequeretur generationem esse creationẽ, quod est falsum; sequela probatur: nam creatio est productio rei ex nihilo, ergo non admissa tali forma, dum generatur alia forma esset genita ex nihilo,&c.

Resp. Neg. sequelam. Ad probationem,

tionem, nego: consequentiam, nam forma genita, licet sit ex nihilo sui, non tamen ex nihilo subiecti, & hoc sufficit, vt generatio non sit creatio, &c.

Dices. Anima verè creatur, & tamen fit in corpore, ergo si forma fit ex nihilo sui dum fit in materia verè creatur, &c.

Resp. Disting. Secundam partem antecedentis; anima fit in corpore, vt in subiecto ex quo, nego; vt subiecto in quo, concedo: nam forma fit in materia tanquam in subiecto ex quo educitur, & ideo non creatur, sicut anima quæ fit in corpore tanquam in subiecto in quo, non ex quo, &c.

Obijc. secundò. Violentum est illud cuius principium est extra non conferente vim passo ex tertiò Æthicorum, ergo, passum naturale econtra debet conferre vim ab intrinseco, sed non confert vim nisi per formam corporeitatis, ergo, &c.

Resp. Disting. consequens passum naturale confert vim passiuè, concedo; actiuè, nego: nam ad hoc vt mutatio sit naturalis, sufficit, quod passum dicat inclinationē, & hoc modo dat vim, in motu violento passum tollit vim, & resistit, &c.

Obijc. tertiò. In materijs particularibus determinatis necessariò ponitur inchoamentum formarum in ordine ad formas recipiendas; ergo in materia prima in ordine ad omnes formas; cōsequentia sequitur, quia sicut se habet materia particularis ad formam particularem, ita materia communis ad cōmunem; antecedens patet: nam cur ex semine hominis fit homo, ex semine leonis fit leo? non alia de causa, quia in tali semine, vel materia est quædam inchoatio formæ habendæ, & hanc appellamus rationem seminalem, seu formam corporeitatis, &c.

Resp. Neg. consequentiam. Ad probationem, nego paritatem: nam materia particularis est materia secunda, quæ subest actioni agentis à quo intelligitur iam disposita; materia prima nuda præscindit ab actione agentis, & à quolibet alio; ideo in materia particulari non inconuenit quod sit ratio seminalis, vt in semine est vis formatrix; semen enim est corpus imperfectum ordinatum ad perfectionem formā, &c. Paritas enim tantum valet, quod sicut causa vniuersalis tribuit esse effectui vniuersali, ita causa particularis tribuit esse effectui particulari.

Obijc. quartò. Principium artificialium est in cognoscente, principium naturalium in motu ex sexto Meth. tex. 1. Ergo quod respondet cognoscenti in artificialibus, respondet motui in naturalibus; sed in artificialibus principium est actiuum extra; ergo in naturalibus principium est actiuum intra; sed tale principium est forma corporeitatis, ergo, &c.

Resp. Disting. antecedens principiū est in cognoscente, & in motu difformiter, concedo, vniformiter, nego; nam in motu in naturalibus principiū est passiuum; in cognoscente in artificialibus principium est actiuum, quia artificialia non dicunt inclinationem, sed tantum non repugnantiam, &c.

Obijc. quintò. Ex quolibet non fit quolibet, quia ex determinato fit determi-

terminatum ex primo Physicorum, ergo ex materia de se indeterminata, fit hæc vel illa forma per determinationem factam ab hac; vel illa inchoatione formarum, &c.

Resp. Disting. consequens sit hæc, vel illa forma per determinationem factam ab inchoatione formarum, nego; per præuias dispositiones, concedo: nam materia determinatur ab agente per præuias dispositiones, per quas potius introducitur vna forma, quam alia in materia, &c.

Obyc. sexto. Datur corpus in Cathagoria substantiæ, quod est genus vniuocum omnibus corporibus caducis, & mortalibus, ergo debet dari forma sibi correspondes, per quam dicitur vniuocè de illis; sed hæc est forma corporeitatis materiæ, &c.

Resp. Neg. minorem subsumptam; nam datur forma corporeitatis generica, idest forma mixti, non autem ista, quam ponunt aduersarij, &c.

QVAESTIO VIII.

An materia sit per se cognoscibilis.

PRima Concl. Materia vt entitas absoluta est per se cognoscibilis, licet pro hoc statu non cognoscatur sic; est Scoti in 2. dist. 12. quæst. 1. Contra omnes illos negantes actum entitatiuum materiæ; prima pars probatur, omnis entitas absoluta est per se cognoscibilis, quia intelligibilitas est passio entis; sed materia est entitas absoluta, quia de se habet actum entitatiuum vt supra, &c.

Secunda pars patet, nam intellectus noster pro hoc statu non potest cognoscere, nisi ea, quæ sunt sensibilia in se, vel in suis effectibus propter ordinem potentiarum; sed materia non est sensibilis in se, quia sic est entitas absoluta remotissima à sensibus, nec per suos effectus, quia vt sic circumscribuntur ab ea omnes effectus, nempe substentare formas, ergo, &c.

Secunda Concl. Materia, vt subiectũ mutationis cognoscitur per Analogiã, seu habitudinem ad formam, patet ex tex. 69. &c. Secundo ratione, forma est magis cognoscibilis à nobis, quam materia, sed forma non cognoscitur, nisi ex operibus, ergo, &c. Minor patet: nam ex noua operatione arguimus nouam formam; sic etiam ex noua mutatione venimus in cognitionem materiæ, quia videmus subiectum manere, & consequenter materia, vt subiectum mutationis per habitudinem ad formam, &c.

Tertia Concl. Materia per hunc ordinem, quem dicit ad formam est cognoscibilis quo ad quia est, & quo ad quid est; primum patet, nam ex eo, quod datur continua mutatio formarum in subiecto venimus in cognitionem esse tale subiectũ primum, quod est materia; secundum etiam patet, nam in transmutatione materia modo recipit vnam formam, modo aliam ex qua cognoscimus informem, & puram potentiam respectu formarum, &c.

Obyc. primo. Contra primam Conclusionem, actus est causa intelligentiæ,

quia

quia tantâ entitatis est causa cognoscibilitatis, sed materia non est actus, quia tantum forma est actus, ergo, &c.

Resp. Disting. minorem, materia non est actus formalis, concedo; entitatiuus, nego: nam actus entitatiuus in materia sufficit, vt ipsa habeat propriā cognoscibilitatem sibi proportionatā, non eo modo quo forma, &c.

Dices. Percipi à mente est propriū formæ, ergo non est tribuendum materiæ; antecedens patet, nam recipi in alio, & informare pertinet ad formam, quia mens est locus formarum ex tertiò de Anima tex. 6. ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens. Ad probationem disting. antecedens; recipi in alio, vt actus, pertinet ad formam, concedo; vt species obiecti in intelligente, nego: nam omne ens siue sit materia, siue forma habet suam speciem intelligibilem secundum quam potest esse in intellectu; quando dicitur mens est locus formarum, intelligitur de speciebus quæ recipiuntur in mente; idest mens est locus specierum, nam materia si per se intelligeretur, non se ipsa intraret in intellectu, sed per speciem suam, vt contingit de quocunq; alio intelligibili præsertim materiali; & in hoc sensu entia materialia debent denudari, vt intelligantur, idest ab extensione; & materialitate quod fit per abstractionem specierum, &c.

Dices. Sensus recipit species sine materia ex secundo de Anima. 121. Non lapis est in anima, sed species lapidis, ergo multo magis intellectus, & consequenter non intelligit materiam. Item materiale, vt intelligatur debet materia abstrahi, &c.

Resp. Argumentum nihil concludit contra nos: nam sicut sensus recipit species rerum, ita intellectus recipit species materiæ, & consequenter materia est per se cognoscibilis, &c.

Obijc. secundo. Quæ sunt potentialia non sunt per se intelligibilia, sed materia est potentialis, ergo, &c. Maior patet: nam quæ sunt potentialia sunt aliquo modo latentia, sed latentia non se ostendunt intellectui ex se, sed per aliud, nempe per similitudinem, ergo per illud sunt intelligibilia.

Resp. Neg. maiorem. Ad probationem disting. maiorem, latentia omnino, concedo; latentia tantum pro hoc statu, nego: nam materia cum sit ex se insensibilis cognoscitur in hoc statu per res sensibiles, tamen ex se non latet intellectui, & sic, &c.

Obijc. tertiò. Potentia, & actus sunt relatiua, sed materia est per se potentia, forma per se actus, & vnum relatiuum non cognoscitur absque correlatiuo, ergo, nec materia absque forma; &c.

Resp. Disting. minorem, in genere physico, concedo; in genere entis, nego: nam materia dicitur potentia subiectiua per se, vt subiectum mutationis, & sic dicit ordinem ad formam per quam cognoscitur, tamen in genere entis sunt duę entitates absolutę, ideo, &c.

Obijc. quartò. Contra secundam Conclusionem, materia, vt subiectum mutationis cognoscitur per Analogiā ad artefacta, seu ad materiam artefactorum, ergo non per Analogiam ad

ad formam; antecedens patet ex tex. 60. vbi Aristoteles comparat materiã naturalem ad materiam artefactorum, & dicit sicut se habet æs ad statuas, ita materia ad formas naturales; ergo,&c.

Resp. Neg. consequentiam, nam licet ibi Philosophus asserat analogiam ad artefacta, vt similitudo, & exemplum sensibile ad manifestandam naturam materiæ primæ, non tamen, vt methodus ad inueniendum, quid est, ipsius materiæ, quia sic cognoscitur per analogiam ad formam, & licet mutatio substantialis sit occulta, ratione formarum substantialium, tamen ratione operationis earum arguimus nouas formas, & nouas mutationes substantiales circa idem commune subiectum; Scotus enim non loquitur de transmutatione substantiali nude sumpta, sed quatenus cadit sub sensu ratione quorundam accidentium,&c.

QVAESTIO IX.

An materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis.

ALiquod esse generabile, & corruptibile stat dupliciter, scilicet subiectiue, quatenus est subiectum generationis, & corruptionis, & hoc dupliciter; vel propinque, vt compositum, vel remote vt materia prima; secundo terminatiue, idest esse terminus generationis, & corruptionis, vt forma,& compositum, forma, vt quo; compositum, vt quod, &c. pro qua sit, &c.

Concl. Affir. patet ex tex. 82. vbi Aristoteles habet necesse est ingenitam, & incorruptibilem materiam ipsam esse ergo, &c. Secundo, ratione. Illud est generabile, & corruptibile quod acquiritur, vel deperditur; sed materia non est huiusmodi, quia ipsa præsupponitur in generatione, & remanet in corruptione, ergo,&c. Item materia non accipit esse, post non, quia non esset primum, & vltimum subiectum ex quo res fiunt, ergo nec generatur, nec corrumpitur; materia dicitur generabilis, & corruptibilis per accidens, quatenus est subiectum remotum generationis: nam materia est subiectum ex quo educitur forma, & in quo recipitur, ideo, &c.

Obijc. primò. Illud quod est subiectũ generationis, & corruptionis, est per se generabile, & corruptibile, sed materia est subiectum generationis, ergo,&c. Maior patet: nam sicut quod est subiectum motus est per se mobile; ita,&c. Item materia est subiectum generationis, ergo generatio (cum sit forma) intrinsecè denominat eam, &c.

Resp. Disting. maiorem, subiectum propinquum, concedo; remotum, nego: nam subiectum propinquum generationis, est compositum,quod propriè generatur; materia verò est subiectum remotum, ideo non dicitur propriè, & per se generari, sed tantum per accidens quatenus habet coniunctam generationem, & corruptionem, quia in ipsa est priuatio formæ, & acquisitio alterius,&c. Ad aliud per idem respondetur: nam generatio denominat eam; vt subiectum primum non

vt

vt res, seù vt subiectum quòd generatur; vel materialiter, non formaliter: nam generatio formaliter est habitudo producentis ad productum ex præsuppo sito subiecto; generatio materialiter est forma substantialis de nouo in materia, &c.

Obijc. secundò. Agens, quod potest in ens perfectius, potest etiam in ens imperfectius, sed agens naturale potest corrumpere perfectius, scilicet formã, & compositum, ergo, &c.

Resp. Disting. maior. quando non adest repugnantia, concedo; quando adest repugnantia, nego: nam agens naturale cum in generatione supponat subiectum, non potest agere in ipsam, quia generaret ex nihilo, seù ex nullo præsupposito subiecto; vel secundò maior est vera de agente respectu passi intra limites suæ actionis, modo esse materiæ non est terminus actionis naturalis, aliter ageret ex nihilo; homo enim potest generare hominem, non tamen formicam, quæ non includitur intra limites actionis suæ.

Obijc. tertiò. Compositum est corruptibile propter materiam; ergo materia magis corruptibilis; consequentia sequitur ex primo Posteriorum c. 2. propter quod vnum quodque tale, ex illud magis, &c. Item corruptibilium corruptibilia sunt principia ex primo Cæli tex. 61. ergo cum materia sit principium corruptibilium, ipsa erit corruptiblis, &c.

Resp. Neg. consequentiam; ad probationem dicimus quod illa regula valet in causis efficientibus vniuocis per se ordinatis, non in causis materialibus, & æquiuocis; aliter enim hæc propositio esset vera, homo est homo propter semen, ergo semen est magis, &c. Ad aliud dicimus quod Aristoteles ibi non loquitur vniuersaliter de omnibus principijs, sed indefinitè, ad quod sufficit, vt aliqua sint corruptibilia, scilicet forma, & priuatio, & non omnia, &c.

Obijc. quartò. Generatio est mutatio totius in totum ex primo de Generatione, ergo quando generatus totũ, seù compositum, generatur etiam materia; aliter non esset mutatio totius in totum vt, verbi gratia, quando ex aëre fit aqua, totum esse aëris deperditur, & totum esse aquę generatur, &c. Item sequeretur, materiam esse nobiliorem forma, & composito; sequela patet: nam incorruptibile est nobilius corruptibili, sed forma est corruptibilis similiter compositum, & materia est incorruptibilis, ergo, &c.

Resp. Disting. antecedens, in totum Cathegorematice, concedo; Syncathegorematice, nego: nam generatio est mutatio totius in totum, capiendo totum Cathegorematice, scilicet pro ipsa tertia entitate, non verò Syncathegorematice, idest pro singulis partibus. Ad aliud nego, sequelam, ad probationem disting. maiorem incorruptibile, quod est extra materiam (vt Angeli) concedo; incorruptibilę, & æternum quod sustentat generationem, seù quod est subiectum mutationis, nego: nam, &c.

QVAESTIO X.

An materia sit causa corruptionis.

IN hac quæstione non loquimur de causa extrinseca corruptionis, quæ est virtus agentis contraria, vt virtus ignis contrariatur ligno; sed de causa intrinseca, quæ est potentia passiua, qua aliquod est aptum corrumpi, nec etiam loquimur de causa totali corruptionis, quia sic tam materia, quam forma integrant vnam totalem causam corruptionis, cum corruptio compositi fiat per separationem materiæ à forma, sed loquimur de causa prima, & radicali, à qua originatur corruptio; pro qua sit, &c.

Concl. Affirm. est Scoti in quarto dist. 49. quæst. 6. littera C. & dist. 12. quæst. 3. contra Auicennam asserentem corruptionem prouenire à contrario; & contra aliquos nostrates nempe Ioannem Canonicum primo Physicorum quæst. 9. artic. 2. dub. 2. Putantem primam causam corruptionis esse formam. Probatur ex tertiò Physicorum tex. 22. & primo cæli tex. 36. & primo de Generatione, vbi habetur materiã esse causam cur entia possint esse, & non esse; Imò forma ideo potest destrui, quia est in materia, à qua si esset separata, non posset destrui ab agente naturali, ergo materia est prima causa corruptionis, &c.

Secundo à quo habetur primo generabilitas, ab eo habetur primo corruptibilitas, sed generabilitas primo habetur à materia, ergo, &c. Minor patet: nam posse generari desumitur ab aliquo existente in re ad ipsum terminato, sed non ab aliqua forma, quæ non est, ergo à materia, & consequenter materia est prima causa corruptionis, &c.

Obijc. primò. Ex primo Physicorũ, & secundo de Generatione tex. 2. Aristoteles sæpè numerat formam inter causas corruptionis. Item terminus à quo intrinsecè est principium generationis; ergo terminus à quo intrinsecè est principium corruptionis, sed in corruptione forma est terminus à quo, ergo, &c.

Resp. Ad primum dicimus, quod forma vtique est causa intrinseca corruptionis, sed non prima, & radicalis; nam forma ideò destruitur, quia est in materia; ad aliud per idem respondetur, &c.

Obijc. secundò. Materia est per se incorruptibilis, ergo non potest esse causa corruptionis; consequentia sequitur, quia vnum oppositorum non est causa alterius, vt frigiditas non est causa caloris. Item materia est ens necessarium, quia non potest non esse, ergo non est causa corruptionis; consequentia sequitur, nam ex necessario non sequitur contingens ex primo priorum, &c.

Resp. Disting. consequens ea ratione qua est incorruptibilis, concedo; ea ratione qua est potentia possiua, nego: nam materia licet quoad esse, & formaliter sit incorruptibilis, tamen dicitur causa corruptionis in alijs, quatenus est subiectum, & est in potentia

con-

contradictionis ad omnem formam; sol enim etiam est incorruptibilis, tamen est causa generationis, & corruptionis rerum; ita dicendũ in casu,&c. Ad aliud dicimus quod materia licet in se sit ens necessarium, tamen est contingẽs,& radix cõtingentiæ in alijs,&c.

Obijc. tertiò. Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis ex primo priorum, sed forma est causa cur compositum sit ens in actu, ergo est similiter causa non essendi in actu,&c.

Resp. Disting. maiorem, in causis præcisis, concedo; in causis non præcisis, nego: nam compositum non solum est ens in actu per formam, sed etiam per materiam; sed quia materia est prima radix contingentiæ; & potentia contradictionis; sequitur quod potius materia, quàm forma est causa prima,& radicalis corruptionis,&c.

Obijc. quarto. Præsentia formæ est prima ratio essendi; ergo eius absentia est prima ratio non essendi; cõsequentia sequitur: nam idem est causa contrariorum, sicut enim potentia nautæ est causa salutis nauis, & eius absentia est causa naufragij, ita,&c. Argumentum desumitur ex primo Physicorum tex. 8.

Resp. Neg. consequentiam. Ad probationem dicimus quod idem est causa contrariorum, sed per se vnius, & per accidens alterius: nam sicut ignis per se est causa caloris, frigiditatis vero per accidens, nempe ad eius remotionem, sic forma per se est causa essendi, tamen per accidens est causa nõ essendi, quatenus ipsa forma corrumpitur, & causa quare ipsa forma corrumpatur est ipsa potentia passiua materiæ, &c. Vel dicimus quod forma est prima ratio principalis corruptionis, sicut generationis, tamen non est prima ratio radicalis, de qua loquimur in præsenti; nam huiusmodi est materia qua aliquod potest esse, & non esse; argumẽtum enim tantum probat formam esse causam corruptionis præcipuam, sed non primam,& radicalem.

Dices. Proprium materiæ est pati, & non agere, ergo non est causa corruptionis,&c.

Resp. Disting. consequens, non est causa actiua corruptionis, concedo; passiua, nego: nam materia est causa passiua intrinseca cur ab agente naturali corrumpantur alia, nam ipsa materia est nata pati ab omnibus, & est subiectum actionis omnium,&c.

QVAESTIO XI.

An materia habeat dimentiones interminatas?

SEnsus quæsiti est num materia ante aduentum formæ substantialis sit quanta, idest habeat longitudinem, latitudinem, & profunditatem sine terminis.

Concl. Negat. est Scoti in 2. dist. 3. quæst.4. Diui Thomæ,& ferè omniũ, contra aliquos Auerroistas,& Recentiores opinantes materiam (ante aduentum formæ) habere quantitatem interminatam, nempe sine terminis; tamen talis quantitas non est actualiter infinita, sed dicitur carere termi-

nis, quatenus de se nullam habet præfinitam figuram, sed omnes habet in potentia; quod idem est, ac si dicatur omnis quantitas est ex materia, sed à forma determinatur, &c. Probatur primo, substantia est prior accidente, natura, cognitione, & tempore ex septimo Met. text. 4. sed forma substantialis est substantia, dimentio est accidens, quia quantitas, ergo forma illa in materia præcedit dimentiones, & consequenter ante aduentum formæ in materia non sunt dimentiones, &c.

Secundo. Nihil potest esse subiectum accidentis, nisi existat existentia singulari, sed materia se sola non existit existentia singulari, ergo, &c. Minor patet, nam existentia singularis idem est (pro nunc) ac subsistentia, sed materia se sola non subsistit, ergo, &c.

Tertio. Materia cum quantitate facit vnum per accidens, cum forma facit vnum per se, sed prius est vnum per se, quam vnum per accidens, ergo, &c.

Quarto. Ex quinto Physicorum tex. 8. mutatio distinguitur à motu, quia illa habet pro subiecto ens in potentia, iste verò ens in actu; sed ad quantitatem est motus, & non mutatio; ergo quantitas quæcunque sit habet pro subiecto ens in actu, scilicet compositum, & non materiam, quæ est in potentia, & præcipuè per aduersarios, &c.

Obijc. primo. Quantitas est ingenerabilis, & incorruptibilis, ergo inest subiecto ingenerabili, & incorruptibili, quod est materia, & est ipsi coæua: consequentia sequitur, antecedens probatur: nam non generatur à forma, quia non est quanta, non à quantitate, quia non est actiua, non à qualitate, quia est posterior, ergo ingenerabilis, &c. Item nec etiam est corruptibilis, quia omne quod corrumpitur à suo contrario corrumpitur, sed quantitati nihil est contrarium, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens; Ad probationem dicimus, quod licet quantitas non sit generabilis propriè, quia hoc est proprium substantię, est tamen impropriè, quatenus est effectibilis, & defectibilis ad productionem, & corruptionem subiecti sicut cætera accidentia; & illud quod producit quantitatem, non est forma, nec quantitas, nec qualitas, sed agens naturale, quod producendo subiectum, producit etiam quantitatem, quatenus ab eo dimanat, &c. Ad aliud dicimus, quod illa propositio omne quod corrũpitur, &c. est vera de illo quod corrumpitur per se, quantitas vero corrumpitur ad corruptionem subiecti, & sic concomitanter dicitur corrumpi non per se, &c.

Obijc. secundò. Si materia prima per se non esse quanta, ergo quod constat ex materia, & forma non esset quantum; consequentia probatur: nam ex non quantis, non fit quantum, ex sexto Physicorum tex. 2. Sed materia non esset quanta, nec forma, quia indiuisibilis, ergo nec compositum, &c.

Resp. Neg. sequelam; Ad probationem disting. maiorem, ex non quãtis in genere quantitatis, vt punctum, concedo; in genere substantiæ, nego: nam non quantum in genere substantiæ

riæ est virtualiter quantum, vel effectiue; dicitur virtualiter propter materiã, quæ virtualiter, & passiue est apta recipere quantitatem; vel fieri quanta; dicitur effectiue propter agens quod producit quãtitatem; vel dicitur quod ab agente quanto producitur quãtitas.

Obijc. tertiò. Quando ex aqua generatur aër, quantitas aquæ non perit, sed extenditur, & fit maior, vt sensu patet, ergo signum est quantitatem semper manere, & esse coæuã subiecto.

Resp. Neg. antecedens: nam sicut corrumpitur aqua, sic etiam quantitas eius: nam generans quod producit nouam substantiam, producit quoque noua accidentia, quæ consequuntur illam substantiam.

Dices. Accidentia communia manent eadem in genito, & corrupto, ex secundo de Generatione tex. 26. sed quantitas est accidens commune, ergò manet semper eadem.

Resp. Disting. antecedens, manent eadem numericè, nego; similitudinariè, & specificè, concedo; nam, &c.

Obijc. quartò. Ex septimo Met. t. 8. quãtitas primo inest materiæ, ergo, &c. Item est commune axioma quantitatem se tenere ex parte materiæ; qualitatem ex parte formæ, ergo, &c.

Resp. Disting. antecedens, quantitas primo inest materiæ tanquam in subiecto, nego; tanquam in principio exigitiuo, vel in ratione propter quam quantitas inest composito, concedo: nam, &c. Ad aliud dicimus quod illud axioma intelligitur appropriatè, non propriè, aliter in cælo etiam esset materia; nam quantitas assimilatur materiæ, sicut enim materia est proximum, & immediatum subiectum formarum substantialium, sic quantitas continua est subiectum accidentalium; & sicut materia non est actiua, sed mere passiua, sic quantitas; & hoc fuit causa, vt indè dictum sit quantitatem se tenere ex parte materiæ, non quod re vera quantitas sit proprietas materiæ, &c.

Obijc. quintò. Si quantitas inest cõposito tanquam in subiecto, & non in materia, sequeretur quod non quantum, & indiuisibile (vt est forma substantialis, scilicet anima) esset subiectum diuisibilis, & quanti quod est falsum, ergo, &c.

Resp. Neg. sequelam, nam subiectum quantitatis, & aliorum accidentium, est compositum, quod resultat ex materia, & forma; seu illa tertia entitas; quod autem forma sit hoc modo subiectum quantitatis, nullum est inconueniens, &c.

Obijc. sextò. Materia est subiectum formæ mediante quantitate, ergo ante aduentum formæ habet quantitatẽ; antecedens probatur; nam materia extra quantitatem non habet partes distinctas; sed forma non informat nisi recipiatur in alia, & alia parte materiæ, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens; Ad probationem disting. maiorem; materia extra quantitatem non habet partes formales distinctas, concedo; entitatiuas, nego: nam, &c.

Quæritur. An materia sit merè passiua, & nullo modo actiua?

Resp. Negatiuè; est Scoti in 2. d. 12. quæst. 1.

quæst. 1. & 2. vbi habetur quod materia habet talem actiuitatem, qualem habet quodcumque subiectum, in ordine ad suas proprietates; potest etiam habere actiuitatem in ordine ad propriam cognitionem causando, imprimendo sui speciem, &c.

Dices. Materia est pura potentia passiua, ergo nullo modo est actiua; Item non esset necessarium agens extrinsecum ad productionẽ formæ, &c.

Resp. Disting. consequens, nullo modo est actiua physicè, concedo; metaphysicè, & intentionaliter, nego: nam materia est actiua, metaphysicè, quatenus ab ea est dimanatio suarum proprietatum, & intentionaliter quatenus producit cognitionem sui ipsius: Ad aliud dicimus negando assumptum, quia materia non habet talem actiuitatem, qualem habet generans, nempe physicam; ideo, &c.

QVAESTIO XII.

An materia absque quantitate habeat partes, & sit diuisibilis in illas.

SEnsus quæstionis est, an materia, seu substantia materialis (seclusa quantitate) sit adhuc diuisibilis in partes; & loquimur de partibus entitatiuis integrantibus; pro qua sit, &c.

Concl. Affirmatiua est Scoti in 2. dist. 12. quæst. 1. Contra Albertum, Iandunum, asserentes materiam accipere diuisibilitatem à quantitate; Probatur, implicat portionem substantiæ, quæ est in brachio, esse in pede, ergo alia portio est illius substantiæ, ab ista, & consequenter datur diuersitas partium substantialium.

Secundo. Seclusa quantitate materiam habet partes formarum distinctarum, quarum vna est extra aliam in entitate, ergo illis formis debent correspondere diuersæ partes materiæ, & sic est diuisibilis in illas; Item si Sacerdos dimidiam hostiam signat quam intendit consecrare, alia medietas non consecratur, & in ea remanet substantia partis, ergo substantia materialis habet partes, & partes; aliter enim idem maneret, & non maneret, esset diuisum, & non diuisum, quod est falsum. Item quantitas est accidens, ergo non causat partes integrales substantiæ &c.

Obijc. primò. Materia sine quantitate, vel est simplex, vel composita; si implex ergo non habet partes; si cõposita, tunc vel ex actu, & potentia, & hoc non quia vna pars materiæ non est actus respectu alterius; Vel ex subiecto, & accidente, & sic cum primum accidens inhærens materiæ sit quantitas, tunc materia habebit partes per quantitates.

Resp. Materiam esse simplicem simplicitate quæ excludit compositionem ex materia, & forma substantiali non vero simplicitate, quæ excludit compositionem partium entitatiuarũ integrantium.

Dices. Ergo istæ partes haberent rationem actus, & potentiæ; sequela patet, nam; quod est vnum speciè, habet actum, & potentiam, sed mate-

ria

ria est sic, ergo &c. &, consequenter materia esset composita compositione Physica &c.

Resp. Neg. sequelam: Ad probationem dicimus, quod vnum specie completum requirit tales partes, non vero vnum specie incompletum, vt est materia, &c.

Obije. secundò. Diuidi in partes est passio quantitatis, sed materia (vt supponitur) non habet quantitatem, ergo &c.

Resp. Disting. antecedens, diuidi in partes quantitatiuas, & extensas, concedo, in partes entitatiuas, & substantiales, nego; nam &c.

Dices. Intra, & extra sunt passiones quantitatis, ex primo cæli, ergo si materia habet partes extra partes, habet à quantitate.

Resp. Dist. Antecedens, intra, & extra quoad extensionem quantitatiuã, concedo entitatiuam, nego, nam &c.

Obije. tertiò. Si materia habet, partes seclusa quantitate; ergo illæ partes, separatæ manerent vna extra aliam, & consequenter extensio partium in ordine ad locum non erit à quantitate, quod est inconueniens &c.

Resp. Disting. sequelam secundum commensurationem localem, & modo sensibili, nego, per præsentiam rei ad locum diffinitiuè, concedo; nam primò modo est proprium quantitatis, non vero secundo modo &c.

Obije. quartò. Omne, quod est diuisibile est per magnitudinem ex tertiò Physicorum, sed materia (seclusa quantitate) non est magna, ergo &c.

Resp. Disting. maiorem diuisibilitate quantitatiua, concedo, entitatiua, nego; nam &c.

QVAESTIO XIII.

An materia sit pars quidditatis substantiæ materialis.

QVidditas idem est (pro nunc) ac essentia; Essentia; duplex est, scilicet, totius, & partis; essentia totius est forma totius quæ non dat esse, nec informat, sed resultat ex partibus, scilicet ex materia, & forma; dicitur forma totius, quia est illa qua compositum est ens quidditatiuè, & tertia entitas, causata ab eis; forma partis habet informare, & dare esse; pro quà sit &c.

Concl. Affir. est Scoti in tertio d. 22. quæst. vnica art. 1. contra Auerroem, Albertum, & Thomistas, substinentes formam esse totam quidditatem; Probatur ex 8. Meth. t. 9. dicit, quod definitio debet esse oratio longa hoc quidem vt materia, illud, vt forma; Item ex 7. Met. t. 20., in rebus, quæ constant ex materia, quod quid est nõ est separatum ab eo cuius est, ergo ad veram quidditatem concurrit etiam materia; consequentia sequitur, nam aliter quod quid est esset eiusdem rationis in abstractis, & coniunctis, &c.

Secundò. Ratione materia ponitur in definitione substantiæ materialis, ergo est de eius quidditate vt pars; antecedens patet ex 2. de anima, & 8. Met. nam Physicus definit per materiam, & formam; consequentia probatur,

nam

nam definitio substantiæ materialis est quidditatiua &c.

Tertio. Si sola forma esset tota quidditas, ergo quando vnitur materiæ nō facit vnum per se; Consequentia sequitur, quia quidditas completa non vnitur intrinsecè alteri vt faciat vnum per se cum eo.

Quarto. Essentia cuiuscunque rei est causa sufficiens essendi rei, sed sola forma non est sic, quia tunc ignis v.g. esset verè ignis per solam formam, sine materia; patet quia essentia rei est principium intrinsecum sufficiens essendi ipsi rei, reliqua vero quæ requiruntur adesse rei sunt externa, ergo &c.

Obijc. primo. Materia est quà res potest esse, & non esse ex 7. Met. sed quiddditas (quæcunque sit) non est huiusmodi, quia tunc posset corrumpi, quod est contra Aristotelem ibidem t. 34. ergo &c.

Resp. Neg. minorem; Ad probationem dicimus, quod quidditas rei materialis dicitur corruptibilis secundum illud esse quod habet in singularibus, quia destructis primis substantijs, impossibile est aliquid remanere: dicitur tamen incorruptibilis in sè, nempè secundum prædicata essentialia; Item quidditas est corruptibilis propter materiam potentia remota, tamen actu non corrumpitur in sè, sed solum in singularibus; & vt contracta ad existentiam &c.

Dices. Scientiæ sunt de incorruptibilibus tantum ex 1. Posteriorum c. 22. sed scientiæ contemplantur quidditates rerum, ergo tales quidditates sunt incorruptibiles, & consequenter non possunt admittere materiam pro parte &c.

Resp. Disting. maiorem quo ad existentiam, nego; quo ad connexionem prædicatorum essentialium, concedo: nam homo est animal rationale, quamuis secundum existentiam possit corrumpi; tamen est æternæ veritatis, quod animal rationale insit homini, & hoc modo scientiæ sunt de incorruptibilibus, quia considerant ipsas quidditates secundum talia prædicata, & consequenter quidditates materiales sunt incorruptibiles hoc modo.

Obijc. secundo. Materia prohibet ne quod quid est sit idem cum eo cuius est, ergo non pertinet ad quidditatem; cōsequentia sequitur, nihil potest prohibere identitatem inter rem, & quidditatem, nisi sit extraneum à quidditate rei, antecedēs patet ex septimo Met. in cōceptis cum materia non est idem quod quid est cum eo cuius est; seu non est idem quidditas cum eo quod habet quidditatem.

Resp. Quod Aristoteles in illa auctoritate; in conceptis cum materia, &c. intelligit quod non est idem quidditas cum eo, &c. Per se primo, sicut est in separatis à materia, vbi quidditas, & habens quidditatem sunt idem per se primo, quod quid est hominis est idem cum hoc homine, sed non per se primo, quia est in conceptis cum materia, &c.

Obijc. tertio. Vna res distinguitur ab altera per suam essentiam, sed in materia omnia conueniunt, ergo, &c.

Resp. Disting. maiorem per essentiam

tiam ſpecificam, & magis principalem, concedo; per eſſentiam genericam, & minus principalem, nego: nam forma eſt pars quidditatis ſpecifica, & principalis, & per hanc vna res diſtinguitur ab altera, vt homo per animam rationalem diſtinguitur à brutis, materia eſt pars quidditatis generica, & minus principalis, dicitur generica, quia materia, vt ſic eſt pars quidditatis vniuerſalis, vt ſi quæratur, quod eſt corpus corruptibile, optime dicitur, eſt quod conſtat ex materia, & forma, vt materia particularis eſt pars quidditatis particularis, vt ignis conſtat ex materia, & forma ignis; & hic ignis ex hac materia, & hac forma ignis.

Obijc. quarto. Res poteſt perfecte intelligi, & eſſe intra quidditatem ſine materia, ergo quidditas non includit, materiam; antecedens patet: nam quidditas ſpecifica eſt abſtracta ab omni coniunctione cum materia, quia quidditas habet rationem formæ,&c.

Reſp. Diſting. antecedens ſine materia ſignata, & contracta, concedo; ſine materia in ſpecie, & incontracta, nego: nam,&c. Materia enim totius, (quæ eſt differentia indiuidualis) non ſpectat ad quidditatem, ſed materia partis, vt incontracta, & in ſpecie, &c.

Dices. Quidditas eſt tota actus, ſed materia partis non eſt actus, ergo, &c.

Reſp. Diſting. maiorem quidditas, quæ informat eſt tota actus, concedo; quæ ſubijcit, nego: nam quidditas primo modo eſt forma; ſecundo modo eſt materia; vel ſecundo, quidditas quæ reſultat eſt tota actus, vt eſt forma totius,&c.

Obijc. quinto. Quidditas eſt principium cognoſcendi illud cuius eſt ſeptimo Met. tex. 21. ſed Materia non eſt huiuſmodi, cum ſit ignota, ex tex. 31. ibidem, ergo, &c.

Reſp. Neg. minorem, cum dicitur materia eſt ignota, diſting. ſimpliciter, nego; comparatiue, concedo: nam materia non eſt ignota ſimpliciter, quia eſt vere ens; eſt tamen ignota comparatiuè; nempè eſt ignotior forma, & ideo poteſt eſſe quidditas minus principalis.

Obijc. ſexto. Partes definitionis ſunt formæ ex quinto Met. tex. 11. ergo cum materia non ſit forma, non pertinet ad quidditatem. Item ex ſecundò Phyſicorum tex. 28. Forma eſt quod quid eſt rei, ergo ſola forma eſt de eſſentia rei,&c.

Reſp. Diſting. antecedens reſpectu definiti de quo prædicatur formaliter, concedo; comparate inter ſe, nego; vel partes definitionis ſunt formæ, quia tota quidditas reſultans in materia, & forma; vocatur forma totius, & ideo eius partes etiam dicuntur formæ; Ad aliud diſting. antecedens, magis principalis, concedo; tota quidditas, nego: nam forma eſt quidditas principalis,&c.

DISPVTATIO QVARTA.

De principio formali.

EXPLETA disputatione de materia, nunc verò disputandum est de forma, quæ est alterum principium mutationis naturalis, quæ cum materia constituit compositum substantiale, & ordine dignitatis, & perfectionis præcedit priuationem, quæ est tertium principium; & primo videndum est an præter materiam danda sit in qualibet re naturali forma substantialis.

QVAESTIO I.

An detur forma substantialis, & quid sit.

IN presenti loquimur de forma Physica, quæ facit vnum per se cum materia, & est principium generationis, tum in fieri, tum in facto esse; pro qua sit, &c.

Prima Concl. Datur forma substantialis physica, quæ facit vnum per se cum materia; ita Arist. primo Physic. tex. 65. contra Veteres Philosophos dicentes, totam rei substantiam aliud non esse, nisi materiam præditam varijs accidentibus. Probatur: Datur compositum substantiale, sed illud nō constat ex materia tantum, & accidente, quia ex his non fit vnum per se, ergo, ex materia, & forma; & consequenter datur forma substantialis.

Secundo. Datur generatio substantialis, quæ non est materiæ, quia est ingenerabilis, ergo formæ substantialis, cum non possit assignari alia substantia, quæ fiat per generationem substantialem: nam per hoc generatio, distinguitur ab alteratione, augmentatione, &c. quæ terminantur ad accidens.

Tertio. Si non daretur, tunc eodem modo differret homo albus, ab homine nigro, sicut homo, ab equo, quod inconuenit; sequela patet: nam non differret per materiam, cum sit eadem in omnibus, ergo per formas accidentales.

Quarto. Datur materia prima essētialiter imperfecta, & incompleta in ratione substantiæ, ergo debet dari forma substantialis ipsam essētialiter perficiens, & complens in genere substantiæ; consequentia sequitur, quia forma nihil

nihil aliud est nisi actus essētialiter perficiens materiam in ratione substantię, ergo, &c.

Not. Forma duplex est scilicet naturalis, & artificialis; Naturalis adhuc duplex est; scilicet substantialis, & accidentalis; forma substantialis, alia est informans, quæ dat esse rei, & alia est tantum assistens, vt intelligentiæ; forma informans, etiam est duplex; scilicet separabilis à materia, vt anima rationalis, & alia inseparabilis, vt forma materialis, nempe forma ignis, &c.

Secunda Concl. Forma substantialis est actus primus substantialis faciens vnum per se cum materia, & est principium operationum naturalium; ita Scot. in 4. dist. 1. quæst. 1. H. H. patet explicatione; dicitur actus ad differentiam materiæ, quæ est potentia; dicitur primus ad differentiam operationum; quæ sunt actus secundi; dicitur substãtialis, ad differentiam formarum accidentalium; dicitur faciens vnum per se cum materia, ad differentiam substantiarum spiritualium, vt substantiæ separatæ, quæ sunt actus completi, forma substantialis est actus incompletus; dicitur principium operationum, vt quo, non vt quod, vt illud, quod mouetur est animal, quo mouetur est anima, ergo, &c.

Obijc. primò. Contra primam concl. substantiæ nihil est contrarium, vt in cap. de substantia, sed formæ sunt contrariæ, quia sunt actiuæ, ergo non sunt substantiæ, & consequenter formæ substantiales non dantur.

Resp. Disting. min. formæ sunt contrariæ ex se, & immediatè, nego; mediatè, idest mediantibus accidentibus, concedo. nam substantiæ habent dispositiones contrarias, vt substantia aquæ, & ignis, & ideo secundum dispositiones contrarias dicuntur esse inter se contrariæ; similiter formæ sunt actiuæ mediante suarum dispositionum, qualitatum scilicet frigiditatis, & caliditatis, &c.

Dices. Primas qualitates esse differentias Elementorum ex secundo de Gener. tex. 24. ergo formæ elementorum non sunt substantiæ, & consequẽter, nec formæ aliorum corporum, quia non est maior ratio de vno, quam de alio, &c.

Resp. Disting. maior. primas qualitates esse differentias constitutiuas elementorum inesse substantiali, nego; notificantes elementa, concedo: nam ibi ponuntur loco formarum, quatenus per earum cognitionem, deuenimus in cognitionem formarum substantialium; Vel dicimus quod illæ formæ sunt sensibiles; ideo, &c.

Obijc. secundò. Si datur ideo esset, quia est vnum ex principijs, sed non principiat, quia est terminus, ergo, &c.

Resp. Neg. min. nam est proprium motus, & mutationis, vt termini à quo, & ad quem sint principia.

Quæritur. Quibus nominibus appellatur forma, ab Arist.

Resp. His nominibus; primò, forma, quia informat materiam, secundo species, quia est pulchritudo materiæ; tertio ratio, seu definitio, quia est præcipua pars quidditatis; quarto, dicitur actus, quia actuat; nam sicut res per materiam est in potentia, ita

per formam est in actu; quinto terminus, quia terminat materiam, quæ est indeterminata, sexto dicitur exemplar, quia sicut artifex iuxta similitudinem exemplaris, qnod habet in mente agit, sic agens naturale producit ad similitudinem suæ formæ.

QVAESTIO II.

An forma naturalis præexistat aliquo modo in materia? & quid sit, formam educi de potentia Materiæ?

P*Rima Concl.* Forma materialis nō præexistit actu in materia ante generationem, sed tantum potentia; est Scot. in 2. dist. 18. A. contra Henricum ponentem illam formam imperfectam in materia, quæ dicitur (per ipsum) inchoatio formarum, & acquiritur de nouo in generatione quo adesse perfectum, & completum vt visum est in quęst. 7. disputationis pręcedentis. Probatur primo ex primo Phys. & 10. de Generat. Omne, quod fit non fit ex ente in actu, sed ex ente in potentia, ergo, &c.

Secundò. Probatur ratione. Si forma præexistit in materia, ergo tollitur generatio substantialis; sequela sequitur: nam ideo fit generatio substantialis, ad hoc vt producatur compositum, sed dum actu est forma in materia, iā est compositum, ergo frustra esset generatio.

Tertiò. Compositum de nouo producitur in generatione; aut hoc esset ratione materiæ, aut ratione formæ, aut ratione neuterius; non primum, quia materia non fit de nouo, nec tertium, quia nouus effectus arguit nouā causam, ergo ratione formæ quæ actu fit de nouo.

Secunda Concl. Formam educi de potentia materiæ est ipsam dependere à materia, in fieri, inesse, & conseruari, dicitur in fieri, quia producitur ab Agente naturali dependenter à materia, in cuius potentia passiua erat, defectu cuius, anima rationalis, non dicitur educi de potentia materiæ, quia fit à Deo independenter ab ea, dicitur inesse, & conseruari, quia in ipsa recipitur, vt in subiecto, & separata naturaliter non manet, sicut anima separata manet; Est Scot. in 2. d. 18. & in 4. dist. prima quæst. 1. ante Hh; Prob. Eductio formæ de potentia materiæ opponitur creationi, quæ est productio ex nihilo, sed non potest explicari, qua ratione eductio differt à creatione, nisi quia eductio fit depēdenter à materia, creatio non, ergo dependentia rei in subiecto in fieri, & conseruari est eductio.

Not. Quod illa potentia passiua materiæ ex qua educitur forma debet esse naturalis, non vero obedientialis, alioquin illa eductio non fieret naturaliter.

Obijc. primo. Contra primam Concl. Naturalia differunt ab artificialibus, quia ibi in materia est aliqua pars rei faciendæ ex 7. Meth. tex. 29. hic est tantum materia apta obedire Artifici, ergo aliqua pars formæ fiendæ manet in materia.

Resp.

Resp. Neg. consequentiam; nam in naturalibus est aliqua pars rei fiendæ, idest aptitudo intrinseca ad formam; in artificialibus est tantum capacitas, seu obedientia ad formam fiendam ab Artifice; Vel secundo in materia est aliqua pars fiendæ, idest materia est pars intrinseca compositi fiendi, & hoc modo explicatur illud Arist.&c.

Obiic. secundo. Si forma præexisteret in materia tantum in potentia, & non in actu, ergo similiter anima; consequentia sequitur, nam forma dicitur præexistere in potentia materiæ, quia materia est potens recipere illam formam, sed etiam dicitur potentia receptiua respectu animæ, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam, ad prob. disting. causalem maioris, cum præcisione nego, sine præcisione concedo: nam forma dicitur præexistere in potentia materiæ, non tantum quia materia dicitur potentia receptiua illius, sed etiam quia eductiua, nam forma pendet ab ea inesse, & in fieri, & actio agentis est dependenter ab ea.

Obiic. tertiò. Contra secundam Concl. materia non est de genere actionis, sed merè passiuè se habet, ergo non habet causalitatem respectu formæ, vt ex ea educatur.

Resp. Disting. consequens, Non habet causalitatem actiuam, concedo; passiuam, nego; nam causalitas materiæ est vt supponatur vt subiectum productionis formæ, ex quo fit ipsa forma, & ipsam informat.

Dices. Istud potentiale passiuum, ex quo fit forma; vel est pars formæ, vel est subiectum tantum; non primũ, quia tunc materia esset pars formæ; si secundum ergo potius dicitur inductio, quam eductio; patet; nam educi est extrahi ex eo, in quo est, & sic nulla esset differentia inter formam, & animam rationalem, quæ inducitur in materia.

Resp. Est subiectum, in quo, & ex quo, in quo, quia in ipsa materia recipitur ipsa forma; ex quo, quia ex ipsa educitur, quatenus ex ea pendet in fieri, & in facto esse, & sic illa forma dicitur inducta, quatenus recipitur in materia; dicitur educta, quatenus ex ipsa dependet in fieri, & per hoc distinguitur ab anima rationali, quæ licet recipiatur in corpore, tamen in fieri non dependet ab illo.

Dices. Compositum etiam diceretur educi de materia, nam dependet in fieri ab ipsa, ergo,

Resp. Neg. antecedens, nam compositum constat ex materia, tanquam ex parte sui &c.

Obiic. quartò. In principio mundi Deus creauit terram, ex illo Genesi 1. Sed illa forma fuit creata dependenter à materia, ergo dependenter à materia in fieri, & in esse non est educi; minor patet: nam non esset verum dicere, terram fuisse creatam, si forma illius non fuisset creata, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus terram dici fuisse creatam ratione partis, eo quod fuerit creata materia; Vel secundo dicimus, quod creatio materiæ primæ, & eductio illius formæ fuit simul, non simultãte naturæ, sed temporis.

poris. Sic dicendum de homine, & de alijs creaturis.

Obijc. quintò. Formæ continentur in virtute Agentis, & per virtutem ipsius educuntur in actum, ergo possunt educi de potentia Agentis.

Resp. Neg. consequentiam; nam eductio est proprie causalitas causæ materialis, non efficientis, quare tam materia, quam efficiens continent effectus in sua potentia, tamen diuerso modo; Agens enim illum continet virtualiter; materia verò potentialiter, seu in potentia passiua.

QVAESTIO III.

An omnes formæ materiales educantur de potentia materiæ.

C*Oncl. affir*. Est Scot. in 2. dist. 17. q.i. contra quamplures Thomistas, nempè Suarium, Fonsecam, de formis Cælorum, & Elementorum; Prob. Omnis forma materialis dependet intrinsecè inesse à materia, ergo omnis forma materialis educitur de potentia materiæ; consequentia sequitur ex ratione eductionis; antecedens prob. nam si aliqua forma materialis esset independens a materia, tunc non esset forma materialis, sed spiritualis, sicut anima rationalis, ergo forma materialis dependet inesse à materia.

Item. Agens naturale non potest producere independenter à materia, quia producere hoc modo arguit potentiam infinitam, sed plures formæ fiunt ab agente naturali, ergo dependenter à materia, & consequenter ex eius potentia educuntur; patet nam educi nihil aliud est, quam fieri dependenter a materia inesse, & conseruari, ergo, &c.

Secundo. Prob. de formis Cælorũ, & Elementorum; Nam eductio distinguitur a creatione per hoc, quod eductio sit actio productiua formæ dependenter a subiecto, creatio est actio productiua ex nihilo, sed Deus ab initio produxit formas Cælorum, & Elementorum dependenter a materia, ergo, &c. min. patet, nam Deus eadem actione produxit illas formas, qua nunc eas conseruat, sed nunc illas conseruat dependenter à materia, quia si materia tolleretur, tunc tales formæ desinerent, cum non sint formæ subsistentes, sicut anima rationalis, ergo, &c.

Not. quod in hac quæstione non negamus, formas Cælorum posse creari a Deo extra compositum, quia quodcumque ens positiuum Deus potest producere ex nihilo, solum intendimus ostendere, formas Cælorum non exigere creationem ex natura propria, vel ex vi productionis Cæli; Ideo est dicendum in productione Cælorum, & Elementorum fuisse duas actiones; prima creatiua, per quam fuit producta materia prima; Secunda eductiua, per quam forma fuit educta ex materia, & resultauit totum ideo, &c.

Obijc. primò. Formæ materiales viuentium non possunt produci ab aliquo agente naturali, ergo non omnes, formæ materiales educuntur de potētia

tia materiæ, antecedens patet ex dicẽdis infra; consequentia probatur, nam ad eductionem requiritur principium passiuum naturale in materia, sed omne principium naturale passiuum respicit agens naturale, ergo cum tales formæ producantur a solo Deo, non erit in materia virtus passiua respectu illius.

Resp. Neg. consequentiam; ad prob. dicimus, quod principium naturale passiuum respicit naturaliter agens, siue creatum, siue increatum; vnde materia disposita ad formam viuentis, vel ad aliam formam, si agens non est præsens, tunc Deus vt auctor naturæ educit illam formam ex materia, ita Scot. in 4. dist. 43. quæst. 2. §. potest dici, versiculo, sed quare, numero 21. &c.

Dices. Deus (vt Auctor naturæ) producit animam rationalem juxta exigentiam materiæ, ergo similiter anima educeretur de potentia materiæ.

Resp. Neg. consequentiam, nam ad eductionem non sufficit tantum hoc, sed etiam requiritur quod forma, & compositum producantur eadem actione, modo in casu est alia actio respectu animæ, & respectu compositi vt supra.

Obiic. secundò. Ex Thomistis ex illo Genesis primo. In principio creauit Deus Cælum, & Terram, ergo eorum formæ non eductæ ex materia; consequentia sequitur, quia sic essent genita.

Resp. Neg. consequentiam, nam Cæli, & Elementa dicuntur creati, quia materia non præcessit tempore formas: nam creatio materiæ, & eductio illius formæ fuit simul tempore, ideo dicitur Cælum creatum, & terram creatam largo modo, nempè ratione partis; homo enim dicitur creatus, & tamen fuit factus de limo terræ.

Obiic. tertio. Cælum est incorruptibile, ex lib. de Cælo, ergo eius forma non fuit educta; consequentia sequitur, &c.

Resp. Disting. antecedens, cælestia corpora esse ingenerabilia respectu agentium naturalium, concedo; absolutè, nego: nam, &c. Item forma cæli non supponit materiam transmutabilem, ideo dicitur ingenerabile in ratione mutationis, non vero productionis; quando enim Arist. vocat cælum ingenerabile, loquitur de generatione in ratione mutationis.

Obiic. quartò. Vbi non est generatio totius, nec potest esse eductio formæ de potentia materiæ, sed cæli non fuerunt geniti, vt patet, ergo nec formæ illorum eductæ, sed creatæ; maior patet: nam eductio, & generatio non distinguuntur:

Resp. Disting. minorem, non fuerunt geniti in ratione mutationis, concedo; in ratione productionis, nego: nam actio productiua cæli habet rationem productionis, non vero mutationis, & sic dicitur aliquo modo generatio.

Dices. Cælum, & elementa in eodem instanti temporis fuerunt creata cum suis partibus, nam creatio primo fuit terminata ad totum, & consequẽter ad partes, ergo istæ formæ possunt

dici

dici concreatæ cum suis compositis, & nullo modo eductæ.

Resp. Ad antecedens quodlicet in eodem instanti temporis fuit totum, & partes, non tamen eadem actione, quia totum dependet à partibus in esse, & ità ipsæ partes supponuntur productæ antecedenter ad totum, totum vero dicitur primus terminus dignitatis, & adæquationis, non vero originis.

Quæritur. An formæ accidentales educantur de potentia subiecti.

Resp. Affirm. patet, nam dependent à subiecto in fieri, & inesse, ergo, &c. Formæ accidentales (in casu) sunt duplices, scilicet naturales, & artificiales; per subiectum non intelligitur materia prima, sed compositum respectu formæ naturalis accidentalis, & quantitas respectu formæ artificialis, & sic forma accidentalis naturalis educitur de potentia totius, forma artificialis de potentia sui subiecti.

Quæritur. An accidens naturale possit creari à Deo independenter in fieri à subiecto?

Resp. Affirm. patet, nam potest separari à subiecto, & sine eo conseruari, vt patet in sanctissimo Sacramento Altaris, ergo poterit à Deo creari sine concursu subiecti.

QVAESTIO IV.

An formæ materiales viuentium educantur de potentia materiæ ab agente naturali?

PRima Concl. Probabile est, formas materiales viuentium educi de potentia materię ab agente naturali, probat. solutione argumẽtorum: Nam si.

Obijc. Si aliquod agens naturale immediatè attingeret formam viuentis, vt leonis, equi, &c. vel esset mas, vel femina, vel sol, vel intelligentiæ, vel semen; Non mas, quia ipsum non est, dum fit eductio formæ viuentis; nec fęmina, quia passiuè se habet, & si actiuè sic est causa minus perfecta; nec sol, quia est imperfectior forma viuentis; nec intelligentiæ, quia istæ agunt mediante motu Cæli; nec semen, quia non est dum fit forma viuentis, cum forma seminis, & forma rei productæ ex semine sint incompossibiles, ergo, &c. & quod non est, non potest esse principium entis.

Resp. Tale agens naturale esse semẽ vitaliter decisum, & in vtero matris enutritum, & conuersum in prolem, concurrente Sole, & astris, vt causis vniuersalibus, & Deo, vt causa prima. Ad illud quod dicitur, contra hoc, dicimus, quod in eo instanti temporis semen non est sub forma seminis; est tamen conuersum in fætum, & prolem, & ideo aliquo modo est, &c.

Dices. Non viuens non potest facere viuens, sed semen est non viuens, ergo, &c.

Resp.

Resp. Disting. min. semen est non viuens absolutè, concedo; principiatiuè, nego: nam semen licet sit non viuens formaliter, tamen principiatiuè est viuens, quia est semen viuentis; semen enim viuentis enutritum à matre, & dispositum facit viuens; non quia est non viuens, sed quia est semen viuentis, sicut enim in terra semen decisum, & ibi enutritum germinat plantam, ita semen viri immissum in vtero matris viuentis ministrantis materiam, fouentis vsque ad certam dispositionē organorum, natum est conuertere in aliud viuens simile illi, cujus est semen.

Dices. Semen est per imperfectius viuente, ergo non potest producere formam viuentis.

Resp. Disting. antecedens formaliter, concedo; ratione illius cuius est semen, nego: nam semen producit formam viuentis ratione illius cuius est semen, non verò secundum se, & formaliter.

Secunda Concl. Probabilius est, tales formas educi de potētia materię à Deo Auctore naturæ: est Scot. in 2. d. 18. I. Prob. solutione argumentorum.

Obijc. primò. Si Deus produceret tales formas, tunc nulla esset generatio vniuoca viuentis, quod est falsum, ergo, &c. Sequela prob. nam in generatione vniuoca productum est simile producenti, sed nullum viuens est eiusdem rationis cum Deo, ergo, &c.

Resp. Neg. sequelam, ad prob. dicimus, quod ad generationem vniuocam viuentis sufficit, vt productum assimiletur in natura illi, quod attingit dispositiones necessariò requisitas ad vitam quamuis Deus det formam vitalem, quia ab ipso omnia viuunt, ideo, &c.

Dices. Dispositio vltima est annexa formæ, sed agens naturale attingit vltimam dispositionem ad formam viuentis, ergo similiter ipsam formam.

Resp. Disting. major. tempore, cōcedo; natura, nego: nam dispositio vltima, licet sit cum ipsa forma introducenda in eodem instanti temporis, non vero in eodem instanti naturæ; in eo enim instanti temporis, in quo corpus est vltimo organizatum, Deus Auctor naturæ educit formam viuentis, idest producit ipsam formam dependenter ab ipso corpore.

Dices. Ergo talis forma esset creata, quia esset producta ab agente supernaturali. Item generatio non esset naturalis, quia ab agente supernaturali.

Obijc. Neg. sequelam nam talis forma non esset producta ex nihilo, sed ex substantia materiæ præ requisitis dispositionibus.

Ad aliud nego sequelam; nam talis forma educitur ab agente in natura, vt est Deus Auctor naturæ.

Obijc. secundo. Leo generat leonem, sed disponere non est generare, ergo leo producit formam leonis.

Resp. Neg. min. nam homo generat hominē, & tamē attingit solum dispositionem ad animæ productionem; sufficit enim, vt pro eodem instanti temporis, in quo vltimo disponit corpus necessitat Deum de lege, & statuto naturæ ad introductionem animæ; ita leo attingit vltimam dispositionem

I ad

ad formam leonis, & Deus pro illo instanti producit illam formam dependenter à subiecto.

QVAESTIO V.

An forma substantialis immediatè vniatur materiæ absque vlla qualitate mediante?

AGens naturale quãdo introducit formam substantialem in materia; primo disponit ipsam materiam per aliquas præuias qualitates antecedentes formam introducendam, quæ qualitates non habent corrumpere formam substantialem, quæ est in materia, sed cum ipsa forma substantiali cõpatiuntur, vsquequo disponatur materia, & qualitates formæ expellendæ expellantur, quibus expulsis agens substantiale producit formam, ad quam insequuntur dispositiones incompossibiles cum forma iam expulsa, vt v. g. quando ignis introducit formam ignis in ligno; primo disponit ipsam materiam ligni per præuias qualitates, scilicet per calorem, siccitatem, leuitatem, & alia huiusmodi accidentia, & istæ qualitates non habent corrumpere formam substantialem ligni, sed manent cum ipso vsquequo disponatur materia ligni, & expellantur qualitates, formæ expellendæ scilicet humiditatis frigitatis, & cætera huiusmodi, quibus expulsis expellitur illa forma ab igne, & pro illo tunc idem ignis habet producere formam ignis in eodem ligno, ad quam formam insequuntur dispositiones incompossibiles cum forma iam expulsa, scilicet caliditas, siccitas in gradu incompossibili cum forma inde expulsa. Item dispositiones, quas agens inducit in materiam ad expellendam formam contrariam, vt suam introducat, recipiuntur in toto composito præcedente, tamen in instanti, in quo introducitur forma, non permanent, ideo tales dispositiones non concurrũt ad vnionem his positis sit.

Concl. Affirm. est Scoti in 2. dist. 3. quæst. 4. super M. & in 4. dist. 12. q. 3. F. contra Auer. Thomist. Acchillinũ, & quem plures oppositum sustinentes; Prob. primo. Forma substantialis inesse ex prior quocunque accidente, ergo etiam in informare, & consequẽter ad hoc vt forma informat non necessariò præsupponit accidentia; consequentia prob. nam sicut res se habet adesse, ita ad operari, sed quo adesse forma non supponit accidentia, ergo quo ad operari, aliter enim non esset essentialiter prior accidente.

Secundò. Accidentia non introducuntur in materia ante aduentum formæ necessitate materiæ; quia ex se est actuabilis, & magis à forma substantiali, quam accidentali, nec necessitate formæ introducendæ, quia ex se est apta informare materiam, sed tantum ponuntur necessitate formæ corrumpendæ, quia non potest expelli à subiecto, nisi præuijs alterationibus, ergo si materia quantum est de se est disposita, forma similiter potest informare, non est necesse, vt ponantur talia accidentia in materia, vt possit informari à forma.

Tertio,

Tertio. Tales dispositiones recipiũtur in toto composito præcedente, & non immediatè in materia prima, ergo tolluntuntur ad interitum compositi, consequentia sequitur, quia si remanerent, tunc in eodem instanti migrarent de subiecto in subiectum, ideft de toto composito, in materiam solam, quod est falsum; antecedens patet experientia, nam dum ignis calefacit lignum, vt ex hac alteratione introducat formam ignis, ille calor recipitur in toto ligno ex 5. Physic. t. 3. ergo, &c.

Quarto. Dispositiones incompossibiles cum forma corrumpenda, & quæ sunt necessariæ pro conseruatione formæ genitæ non præcedunt illam in materia, sed comitantur, & dimant ab ea statim, ac est genita, ergo aliæ dispositiones præcedentes corrumpuntur in instanti generationis, & non remanent in materia, & consequenter forma substantialis informat materiam nudam.

Obiic. primo. Forma substantialis nõ introducitur in quacumque materiam, sed in materiam dispositam, & determinatam, sed talis dispositio, & determinatio fit per præuias qualitates disponentes materiam ad talem formam suscipiendam, ergo si forma introducenda non reperiat in materia has dispositiones non poterit illam informare.

Resp. Disting. mai. in materiam dispositam per qualitates corrumpentes formam expellendam nego; quæ compatiuntur, seu manent cum ipsa forma expellenda concedo, nam dictæ dispositiones sunt semper compossibiles cum forma expellenda, tamen non manent cum forma sequente, nẽpe introducenda, quia corrumpuntur ad corruptionem illius formæ; & postquam forma sequens est introducta, insecuntur aliæ qualitates incompossibiles cum forma expulsa, vt patet exẽplo superius allato, &c.

Dices. Organizatio corporis est dispositio in ordine ad animam rationalem, sed illa manet cum forma sequente scilicet cum anima, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam illa organizatio manet, quia manet etiã sua forma organica, nempe forma corporeitatis. Itaque non negamus præuias dispositiones in materia, sed negamus ipsas manere, quando forma ipsam materiam informat, & dispositiones incompossibiles formæ corrumpendæ præcedere in materia ante formam de nouo genitam, nam illæ insequuntur ipsam formam genitam.

Obijc. secundo. Qualitates dispositrices materiæ sunt in ipsa materia ante aduentum formæ, ergo non debent negari; antecedens patet; nam agens v. g. ignis prius inducit calorem in materia ligni, quam formam ignis, prius enim materia ligni alteratur præuijs dispositionibus, quam informetur, ergo, &c.

Resp. Disting. antecedens; compossibiles cum forma corrumpenda concedo: incompossibiles nego, nam tales dispositiones sunt in materia ante aduentum formæ, & sunt compossibiles cum forma corrumpenda, & corrupta forma illa corrumpuntur omnia

accidentia, quæ cum ipsa forma compatiuntur, ideo, &c.

Dices. Quando generatur aliquod, tunc corrumpuntur tantum qualitates contrariæ non simbolæ, nam cum ex aëre fit ignis, qualitas aëris scilicet humiditas, quæ contrariatur formæ ignis corrumpitur, caliditas vero aeris remanet, & magis perficitur per aduentum formę ignis, quia est qualitas symbolica, ergo qualitates symbolæ remanent.

Resp. Neg. antecedens; ad Prob. dicimus, quod manet caliditas aeris, non manet cum igne genito, quia corrumpitur cum forma substantiali eius, sed tunc fit caliditas ignis, quia accidentia sequuntur suas formas; vel manet eadē specie, nō numero, nam calor aeris corrumpitur ad corruptionem formæ aeris, & fit calor ignis, ideo est idem calor specie, vel est idem, quia similis; non vero idem calor.

Obijc. tertiò. Forma substantialis non agit nisi mediante qualitate ex 2. de Anim. Calor est, quo anima agit, ergo talis qualitas præcedit formam substantialem.

Resp. Disting. antecedens; mediante qualitate dispositiuè concedo; corruptiuè, nego; nam substantia est quæ corrumpit, & producit substantiam, calor enim est quo ignis agit calefaciēdo, sed igniendo est ipsemet ignis.

Obijc. quartò. Illæ præuiæ qualitates nō possunt perire in instanti generationis, nec nouæ a noua forma dimanere, ergo remanent; antecedens patet, nam non potest assignari, à quò ille corrumpuntur vt patet; nec a quo istæ generantur, quia dum homo interit frigore post mortem manet adhuc aliquis calor in cadauere, sed ille calor non potest produci a generante cadauer, nempe à frigore, neque a noua forma cadaueris, cum illa potius sit productiua frigoris, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens; ad Prob. dicimus ad primum, quod calor à nullo per se corrumpitur, sed per accidens ad corruptionem subiecti. Ad aliud dicimus, quod ille calor non producitur de nouo, sed est idem qui prius erat in animali interituro, cum nos ponamus pluralitatem formarum in composito; argumentum verò vrget Thomistas negantes pluralitatem formarum, ideo, &c.

Dices. Non potest assignari tempus, vel instans, in quo illæ qualitates præuiæ corrumpuntur, & nouo generantur, vt patet, ergo.

Resp. Neg. antecedens; nam tales qualitates corrumpuntur in ipso instāti generationis, ita quod primum esse formæ sit primum non esse illarum; illæ nouæ insequuntur formam nouam in eodem instanti temporis, licet posterius natura ipsa forma; dicuntur dispositiones ad formam conseruandam.

Quæritur. In quo genere causæ concurrunt tales dispositiones præuiæ ad generationem nouæ formæ?

Resp. Quod in quantum præparant materiam pro introductione nouæ formæ concurrunt in genere causæ materialis; quatenus introductæ in subiecto expellunt formaliter qualitates contrarias, possunt dici concurrere in genere causæ formalis, & quatenus sunt

stru-

instrumenta, quibus vtitur agens ad expellendam formam, & dispositiones contrarias, possunt dici concurrere in genere causæ efficientis instrumentalis.

QVAESTIO VII.

An vnio qua materia, & forma dicuntur substantialiter vniri sit entitas absoluta substantialis, vel respectiua.

PRima Concl. Vnio materiæ, & formæ non est entitas absoluta, sed respectiua est Scot. in 3. dist. 1 q. 1. & in 4. dist. 12. quæst. 1. contra Suarium, Ruuium, & quamplures Recentiores dicentes, talem vnionem esse modum substantialem absolutum mediantem inter materiam, & formam.

Probatur prima. Ex 2. de Anim. tex. 2. & 8. Math. tex. 5. vbi Arist. enumerans entitates substantiales, nullam mentionem fecit huius vnionis, ergo talis non est substantia.

Secundò. Ratione, talis vnio vel dicitur entitas absoluta substantialis, quia est vniens substantialiter extrema, vel quia terminat actionem vnitiuam, quæ est substantialis, & debet habere terminum substantialem, vel quia fundat nouam relationem vnionis; non primum quia vnio dicitur substantialis, quia est inter substantias substantialiter vnitas, in se tamen est accidens, sicut actio productiua substantiæ, in se est accidens, tamen dicitur substantialis à termino producto, &c. Nec secundum quia actio non dicitur substantialis intrinsecè, quasi attingat terminum substantialem, sed tantum extrinsecè eo modo, quo generatio pro prauia alteratione solet dici substantialis. Item sequeretur materiã prius substantialiter mutari recipiẽdo in se vnionem, quam formam, & sic in qualibet mutatione vnius entis in aliud interueniret duplex generatio substantialis, scilicet vnionis, & formæ; nec tertium, quia ratio proxima fundandi vnionem relatiuam inter materiam, & formam, ex parte materiæ est per se potentia, ex parte formæ est per se actus. Item talis vnio non est intrinsecus adueniens, quæ consequatur entitatem alterius, sed extrinsecus adueniens producibilis per veram actionem, & verum motum, ergo, &c.

Tertio prob. Omne absolutum potest intelligi quidditatiuè nõ intellecto alio extrinseco, sed implicat intelligere vnionem formæ cum materia, non intelligendo materiam, & è contra, ergo talis vnio non est absoluta, & consequenter est essentialiter relatio. Item vnio non potest intelligi sine ordine ad aliud, quia vnio est vnitorum vnio, sed substantia potest prẹscindi à tali respectu, ergo, &c.

Quarto prob. Conceptus substantiæ primarius est, esse ad se, relatiui est esse ad aliud, sed vnio primo dicit vnire, & ordinare extrema, ergo non est substantia, & consequenter est relatio.

Secunda Concl. Vnio materiæ, & formæ est respectus extrinsecus adueniens

niens de genere actionis, vel passionis, vel potius habitus; prima pars patet: nam respectus extrinsecus aduenien non necessariò sequitur extrema posita inesse, sed huiusmodi est talis vnio, ergo, &c. Minor patet, nam Deus potest conseruare materiam, & formam separatas sine vnione, ergo, &c. Item talis vnio potest per se terminare actionem vnitiuam agentis, ergo non est respectus intrinsecus aduenient; consequentia sequitur, quia ad nullum talem respectum est motus, ex 5. Physic. tex. 10. &c.

Secunda pars. Patet: nam respectus de genere actionis est agẽtis ad passũ, vel formę informantis ad informatum; de genere passionis est respectus passi ad agens, vel ad formam, ergo, &c.

Melius est dicendum, vnionem formæ ad materiam esse in prædicamento habitus, quia à passione, v. g. subiectum dicitur calefactum, sed ab vnione caloris subiectum dicitur calidum, & in ista denominatione exprimitur sola receptio, non autem passio, quia cum passio sit actus huius ab hoc non dicit receptionem formæ quocumque modo, sed vt est in fieri ex vi agentis.

Obijc. primo. Contra primam conclus. Substantia non potest constitui in esse suo stantiæ, nisi per entitatem substantialem, sed hæc vnio est huiusmodi, quia per eam vere constituitur compositum substantiale, ergo, &c.

Resp. Neg. min. nam vnio solum præexigitur, vt conditio necessaria ad constitutionem compositi, & eius conseruationem: compositum enim non constituitur ex vnione, sed ex partibus.

Obijc. secundò. Terminus formalis generationis substantialis debet esse substantia, sed talis terminus est ipsa vnio, ergo, &c. Min. patet, in generatione hominis, vbi nec materia, nec forma generatur, sed tantum vnio, & ideo homo dicitur generare hominem, quia attingit vnionem.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod terminus (quod) est ipsum compositum, terminus (quo) est forma; vnio vero est terminus actionis distinctæ à generatione, quæ actio dicitur vnitiua: nam in generatione hominis homo dicitur generare hominem, quia per actionem substantialem introducit formam mixti in materia, quæ est veluti dispositio vltima, ad quam sequitur necessariò infusio animæ.

Obijc. tertiò. Hæc vnio dicitur substantialis, ergo debet esse substantia, non quia est res, aliter esset pars compositi, & indigeret alio modo vnitiuo, vt ipsa vniretur, sed quia est aliquis modus substantialis, quo partes vniuntur in ordine ad compositum; consequentia sequitur aliter non esset vnio substantialis.

Resp. Neg. consequentiam: nam vnio non dicitur substantialis, vel accidentalis, quia fundatur in modo substantiali, vel accidentali, sed quia partes vnitæ sunt substantiæ, & substantialiter vnitæ, vel accidentaliter vnitæ, modo in casu materia, & forma sunt substantiæ, & substantialiter vnitæ, ideo vnio quæ resultat dicitur substantialis, tamen in se est accidens.

Obijc. quartò. Relatio realis non potest consurgi, nisi aliquid de nouo acqui-

acquiratur in extremis, vel saltem in vno extremo, sed inter materiam, & formam vnitam est relatio realis scilicet vnio, ergo aliquid de nouo acquiritur, quod est iste modus substantialis, in quo fundatur relatio.

Resp. Disting. consequens; aliquid de nouo acquiritur, quod est ipsum compositum, concedo; quod est talis modus substantialis, nego: nam illud nouum inter materiam, & formam est effectus vnitorum, nempe vnum per se.

Obiic. quinto. Per actionem agentis fit aliquid de nouo, sed non fit materia, nec forma, quia supponuntur, dum vniuntur, ergo fit iste modus substantialis.

Resp. Neg. consequentiam: nam illud, quod fit de nouo per actionem agentis est compositum.

Obiic. sexto. Forma accidentalis vnitur subiecto per inhærentiam accidẽtalem. ergo forma substantialis per informationem, & modum substantialẽ.

Resp. Disting. consequens; forma vnitur materiæ per informationẽ substantialem, quia est à forma substantiali, concedo; quia est à modo superaddito per actionem agentis, nego: nam sicut inhærentia accidentalis est à natura accidentis; ita informatio substantialis à forma substantiali.

Obiic. Contra secundam concl. Ad relationem non datur per se motus, nec actio, sed vnio producitur propriè actione, ergo, &c. Item relatio non præsupponitur ab substantiam, nec est necessaria ad eius esse, sed vnio est necessaria ad esse compositi, ergo, &c.

Resp. Disting. maior. ad relationem intrinsecus aduenientem, concedo; extrinsecus aduenientem, nego: nam vnio est relatio extrinsecus aduenieus. Ad aliud distinguo maiorem, vt principium constitutiuum illius, concedo; vt conditio necessaria, & præexigita, nego: nam, & c.

Obiic. octauo. Compositum substãtiale est per se vnum, sed si vnio esset relatio, esset vnum per accidens, quia compositum est vnum per vnionem, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod compositum non est vnum per illam vnionem, sed per propriam vnitatem; nam per vnionem materia, & forma dicuntur vnitæ; dicuntur per se vnitæ sub rationibus substantialibus actus, & potentiæ.

QVAESTIO VII.

An vnio inter materiam, & formam ad constituendum compositum sit tantum vna, vel duplex.

CONCL. Duplex datur vnio inter materiam, & formam ad constituendum compositum est Scot. in 2. dist. 1. quæst. 5. §. contra omnes illos Auctores ponentes, vnionem esse modum substantialem, & consequenter affirmantes sufficere tantum vnam vnionem; probatur vbi est alius, & alius respectus vnionis realis; ibi est alia vnio realis, sed formæ ad materiam & è contra, est alius, & alius respectus

spectus vnionis realis, ergo, &c. min. patet; nam materiæ ad formam est respectus realis perfectibilis ad perficiens; formæ ad materiam est respectus perficientis ad perfectibile, ergo, &c.

Secundò. Prob. Vbi sunt duo fundamenta, & duo termini, ibi sunt duæ relationes, sed in casu est duplex fundamentum, & duplex terminus, ergo, &c. min. patet; nam in vnione formæ ad materiam, terminus vnionis est materia, in vnione materiæ ad formam, terminus est forma; similiter fundamenta sunt diuersa, vt patet, ergo, &c.

Obijc. primo. Vnio est nexus duorum, sed materia, & forma sunt duæ vnitæ, ergo, vnus nexus, & vna vnio.

Resp. Disting. min. sunt duæ vnitæ vnico modo, nego; diuerso modo, concedo; nam alius modus est, quo materia vnitur formæ, & alius, quo forma vnitur materiæ, sicut enim in duobus similibus est duplex similitudo, & in duobus æqualibus duplex relatio æqualitatis; ita dicendum in casu.

Dices. Per vnam vnionem, quæ est in materia, & terminatur ad formam, vel forma est vnita materiæ, vel non; Si primum, ergo alia superfluit; si secundum, ergo neque materia erit vnita formæ, quod est contra suppositum.

Resp. Quod in tali casu forma erit vnita materiæ extrinsecè tantum, quia terminat, materia verò intrinsecè, quatenus recipit illam vnionem terminatam; ad formam; ad constitutionem enim compositi tam materia, quam forma debent intrinsecè vniri, ideo, &c.

Dices. Ex vi talis vnionis, tam materia, quam forma sunt in composito, ergo ex vi talis vnionis, ambæ sunt intrinsecæ vnitæ.

Resp. Neg. consequentiam; nam terminus est extrinsecus rei, quia terminat, ideo vt forma dicatur intrinsecè vnita debet recipere vnionem, & non sufficit quod terminet, & quamuis sit simul cum ipsa materia in composito, tamen non diceretur ei intrinsecè vnita, idest per formam vnionis in ipsa receptam, quod tamen est necessarium in relationibus mutuis, quãdo ambo extrema sunt capacia. Item in tali casu ambo extrema sunt vnita, sed vnum subiectiuè, & per sui mutationem; alterum terminatiuè, & sine sui mutatione, quod naturaliter non potest fieri, quia vtraque pars constituendo compositum, &c.

Obijc. secundò. Sufficit vnica vnio subiectata in natura humana, & terminata ad personalitatem verbi, vt ista extrema infinitè distantia vniantur, ergo sufficit vnica vnio, vt materia, & forma perfectissimè vniantur; consequentia sequitur, quia sicut natura humana, & subsistentia verbi vnitæ constituunt vnum Christum, ita dicendum de materia, & forma, quæ constituunt vnum compositum, &c.

Resp. Neg. consequentiam. Ad probationem nego paritatem; nam in vnione hypostatica alterum extremum est incapax accidentis, scilicet personalitas Verbi, & ideo non potest esse subiectum

subiectum talis vnionis, sed tantum est terminus; in casu verò materia, & forma sunt capaces talis vnionis subiectiuè, & ideò docet Scotus in 3. dist. 1. quæst. 1. quod in vnione hypostatica est relatio disquiparentiæ, &c. Item Verbum non vnitur naturæ humanæ, vt perficiatur, sed potius vt perficiat; materia, & forma vniuntur in toto vt compleat totum, & participent communem perfectionem totius, ideo, &c.

Obijc. tertiò: Vnicum punctum vnit duas partes lineæ, ergo vnica vnio vnit materiam, & formam; consequētia sequitur ex paritate, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam illa, quæ vniuntur essentialiter immediatè vniuntur inter se, quæ verò integraliter vniuntur, vt partes lineæ, tabulæ, non vniuntur immediatè ad inuicem, sed vniuntur in aliquo tertio, cui tanquam termino communi copulantur; & ideo est dispar ratio de partibus essentialibus, & integralibus, &c.

Obijc. quartò. Vnio partium ordinatur ad vnitatem compositi, sed in cōposito est vna vnitas, ergo inter partes vna vnio.

Resp. Neg. consequentiam, nam ex vnitate compositi non bene arguitur vnica vnio inter partes: vnitas enim importat negationem plurium, vnio verò dicit plura inuicem vnità; Vnitas est passio compositi, & facit ipsum per se vnum, & vnio facit partes per se vnitas, &c.

Dices. Tales vniones quomodo vniuntur inter se?

Resp. Quod illæ vniones cum sint rationes vniendi, non res vnibiles, propriè non dicuntur ad inuicem vniri, sed vnire extrema ad quorum vnionē, dicuntur etiam concomitanter ipsæ vniri, &c.

QVAESTIO VIII.

An materia, & forma vnitæ faciant vnum per se, & an in illo vno per se maneant secundum proprias entitates?

VNum dicitur quinque modis. Primò aggregatione, vt cumulus lapidum. Secundò ordine, vt exercitus. Tertiò per accidens, vt homo albus. Quartò per se, vt homo constitutus ex anima, & corpore. Quintò per simplicitatem, quia caret compositione; in præsenti loquimur de vno, quarto modo, à quo dicitur vnum compositum per se; pro qua sit.

Prima Concl. Ex materia, & forma fit vnum per se scilicet compositum; ita Aristoteles octauo Metaphysicæ, & Scotus in secundo dist. 12. quæst. 1. & communiter omnes; probatur, ex per se potentia, & per se actus proportionatis vnitati per se fit vnum per se, sed materia, & forma sic se habēt, ergo, &c. Minor probatur, nam materia est per se potentia, & forma per se actus in genere substantiæ, ergo, &c.

Item ad constituendum vnum per se requiruntur tres conditiones; prima quod talia sint entia incompleta essentialiter: secunda quod sint inter se

ordinata per modum potentiæ, & actus. Tertia quod pertineant ad idem prædicamentum, ſed materia, & forma habent iſtas conditiones, vt patet, ergo, &c.

Secunda Concl. Materia, & forma manent in compoſito ſecundum proprias entitates; eſt communis, tamen videtur eſſe contra Fabrum aſſerentem, tales partes permanſiſſe in tertiam entitatem, ita vt amittentes proprias entitates, fiant penitus illud tertium; probatur ex prim. Phyſicorum, materia, & forma non ſolum sũt principia generationis naturalis in fieri; ſed etiam in facto eſſe, quia remanent in compoſito, ergo, &c.

Secundò, ſi materia, & forma non manent ſecundum proprias entitates in compoſito, tunc compoſitum eſſet ſubſtantia ſimplex; ſequela patet, nam non contineret in ſe duas entitates realiter diſtinctas, ergo in ſe eſſet ſimplex, &c.

Obiic. primo. Contra primam concl. materia, & forma ſunt duæ entitates multum diſtantes, quia vna eſt potentialis, & alia actualis ergo non faciunt vnum per ſe, &c.

Reſp. Diſting. antecedens, ſunt diſtantes quoad entitatem, concedo; quoad proportionem; nego: nam compoſitum, quod eſt vnum per ſe non reſultat ex conuenientia entitatũ, ſed ex proportione actus per ſe, ad potentiam per ſe; &c.

Obiic. ſecundò. Quæ magis diſtant minus ſunt nata facere vnum per ſe; ſed materia, & forma maximè diſtant, quia ſunt alterius, & alterius rationis, & vnum habet rationem potentiæ, & aliud habet rationem actus ergo, &c.

Reſp. Diſting. mai. minus ſunt facere vnum per ſe vnitate identitatis concedo; vnionis nego; nam in cõſtitutione compoſiti per ſe, non requiritur ſimilitudo in entitate, ſed in proportione actus, & potentiæ. Immo quanto aliqua ſunt alterius, & alterius rationis, tanto magis nata ſunt facere vnum vnitate vnionis; vel diſtinguo minorem magis diſtant diſtantia entitatiua, concedo; diſtantia proportionis, nego; nam, &c.

Dices. Partes homogeneæ continui magis efficiũt vnum vnitate vnionis, quam partes hæterogeneę, ſed illæ ſunt eiuſdem rationis, iſtæ ſunt diuerſæ rationis, ergo inter conſtituentia requiritur ſimilitudo in entitate. &c

Reſp. Diſting. conſequens, inter cõſtituentia vnum per ſe integratiuè requiritur ſimilitudo in entitate, concedo, vnum per ſe eſſentialiter, nego; nam in præſenti loquimur de vno per ſe eſſentialiter, non verò integratiuè.

Obiic. tertiò. Materia, & forma ſunt primo diuerſa in genere ſubſtantiæ, ergo non ſunt per ſe vnibilia, &c.

Reſp. Diſting. antecedens in ratione entitatis concedo; proportionis, nego; nam, &c. Vel nego conſequentiam, nam primo diuerſa, & incommunicabilia vtique non ſunt vnibilia, vt ſuppoſita, non vero primo diuerſa, & communicabilia, quæ ſunt partes alicuius, vt eſt in caſu, &c.

Dices. Quæ ſunt minus vnum in ſe, minus nata ſunt facere vnum in

tertiò,

tertio, sed sic se habent materia, & forma, ergo, &c.

Resp. Disting. min. in entitate concedo; in ordine ad vnionem, nego: nam, &c.

Obijc. quarto. Diuersæ entitates absolutæ non vniuntur, nisi per aliquod aliud; quia absolutum non est ordinatum ad aliud, sed materia, & forma sunt absolutæ, ergo si vniuntur inter se, hoc esset per aliquem modum ab eis distinctum, & consequenter non sunt ipsæ, quę faciunt vnum per se, &c.

Resp. Disting. maior. diuersæ entitates absolutæ, & completæ, concedo; incompletæ, nego; nam materia, & forma sunt entitates absolutæ incompletæ, ideo, &c.

Obijc. quintò. Contra secundam Concl. materia, & forma fiunt cōpositum, ergo trāseunt in eius entitatem.

Resp. Neg. antecedens, nam materia, & forma non fiunt compositum, sed compositum fit ex his, aliud enim est dicere hoc fit hoc, & ex hoc fit hoc; per primum modum loquendi significatur versio, & transubstantiatio, per secundum significatur generatio compositi ex suis partibus.

Obijc. sexto. Si partes non transirēt in tertiam entitatem, scilicet in entitatem compositi, tunc sequeretur compositum esset nihil, quia esset distinctum realiter à partibus, v. g. homo esset realiter à corpore, & anima, in se verò nihil esset, quia nihil aliud est in homine, ergo, &c.

Resp. Nego sequelam, nam homo, v. g. est tertia entitas distincta realiter ab anima, & corpore, & constituta ex illis, non tamen est illa; homini enim competit viuere per animam, habere corpus etherogeneum per carnem, & ossa; proprietates enim conueniunt toti ratione partium radicaliter, & principiatiuè; Imò si transirent, verè sequeretur, quod homo nihil esset, quia non essent, nec corpus, nec anima, cum hæc ponantur desinere secundum proprias entitates, ideo, &c.

Obijc. Si partes vnitæ incomposito manerent secundum proprias entitates, tunc sequeretur, quod Verbum Diuinum prius assumpsit animam, & corpus deinde humanitatem, Scot. in 3. dist. 2. quæst. 2. docet totum oppositum, ergo, &c.

Resp. Disting. min. Scot. docet oppositum loquendo de assumptione ad personalitatem, concedo: de assumptione simpliciter, nego: nam partes prius natura fuerunt vnitæ Verbo Diuino, quam totum, totum verò prius fuit vnitum personaliter, quia erat capax personalitatis, &c.

Obijc. octauo. Materia, & forma non causant compositum, nisi per cōuersionem seipsarum in illud, ergo non manent in eo secundum proprias entitates, antecedens patet, nam per hoc differunt causæ intrinsecæ ab extrinsecis.

Resp. Neg. antecedens; Ad probationem dicimus negando antecedens: nam differunt, quia intrinsecæ sunt inexistentes effectui suo, & illi se intimè communicant, extrinsecæ verò non, ideò, &c.

Quæritur primò. An forma sit prior materia, vel è contra?

 Resp.

Resp. Forma est prior materia prioritate perfectionis, materia est prior forma prioritate naturæ, & durationis: primum patet, nam actus est perfectior potentia, sed forma est actus, materia est potentia, ergo,&c. Secundum etiam patet, nam primo fuit creata materia, ex qua postea fuit educta forma, ergo,&c.

Quæritur secundò. An forma sit nobilior composito?

Resp. Neg. prob. nam ens completum est perfectius ente incompleto, sed compositum est completum, forma est incompleta, ergo, &c. Item compositum continet perfectionem formæ, materiæ, & totius, ergo est perfectior. Item totum continet partes, & non continetur; Item totum simpliciter generatur, forma verò non simpliciter, sed propter totum, ergo, &c.

Dices. Compositum est perfectum per formam, ergò forma est perfectior; sequela probatur ex illa regula Aristotelica primo Posteriorum. Vnumquodque propter quodquè,&c.

Resp. Neg. consequentiam; Ad probationem dicimus illam regulam habere veritatem in causa efficienti vniuoca, & præcisa; modo forma nec est efficiens, nec præcisa causa, sed simul cum materia causat compositum,&c.

Dices. Quod inuenitur in causa, & in effectu, perfectiori modo reperitur in causa, quam in effectu, sed forma est causa perfectionis compositi, ergo, &c.

Resp. Disting. maior. in causa præcisa, concedo, non præcisa, nego; nam forma non est causa præcisa perfectionis compositi, sed simul cum materia, ideo, &c.

QVAESTIO IX.

An plures formæ possint informare eandem numero materiam.

PRima Concl. Neg. naturaliter loquendo; patet, nam formæ diuersæ, & disparatæ requirunt diuersas dispositiones, & incompossibiles, vt forma ignis, & aquæ, &c. Sed tales dispositiones non possunt naturaliter simul coniungi, ergo, &c.

Dices. In materia hominis naturaliter, & de facto datur forma corporeitatis, & anima; ergò,&c.

Resp. Distign. consequens, subordinatæ, concedo, disparatæ, nego; nam formæ subordinatæ vtique possunt esse in eadem materia numero, vt in exemplo allato; non verò formæ disparatæ, vt forma ignis, & aquæ, de quibus in hac quæstione loquimur, &c.

Secunda Conclus. Supernaturaliter possunt plures formæ informare eandem numero materiam; colligitur ex Scoto in 4. dist. 10. quæst. 2. sub P. & ex Scotistis (excepto Tatareto) contra aliquos; prob. plures formæ naturaliter possunt informare eandem materiam numero successiuè, ergo supernaturaliter possunt informare simul; consequentia probatur, nam quidquid naturaliter potest fieri successiuè, supernaturaliter potest fieri simul, vt patet

tet de organizatione corporis Christi, quę simul fuit facta in instāti, ergo, &c.

Item non implicat multiplicari posterius absque eo quod multiplicetur prius, sed materia est prior quacunque forma, ergo non implicat formas multiplicari in eadem materia, ipsa non multiplicata; maior patet de eodem fundamēto fundante plures relationes.

Secundo. Deus potest reponere duo corpora in eodem loco, vt suo loco dicemus cum Scoto, ergo similiter duas formas in eadem materia; consequentia prob. nam sicut in loco pleno est capacitas alterius corporis, ita in materia informata forma, est capacitas alterius formæ, ergo sicut potest Deus tollere impedimentum simultatis corporum, ita impedimentum simultatis formarum, &c.

Obijc. primò. Contra secundam Conclusionem. Implicat idem simul esse vnum, & plura; sed dato casu esset sic, ergo, &c. Minor probatur, nam esset vnum propter vnitatem materiæ, esset plura propter diuersitatem formarum, ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ad prob. dicimus, quod dato casu essent simpliciter plura composita; nam sicut eadem materia numero manens in genito, & corrupto, & illa non dicuntur vnum, sed plura numero propter diuersitatem formæ; ita in casu quamuis materia vtriusque compositi, v. g. panis, & lapidis sit vna numero: tamen composita essēt inter se simpliciter diuersa, solum secundum quid possent dici eadem numero propter identitatem materiæ, ideo, &c.

Dices. Ex quinto Metaphys. cap. 9. ea sunt vnum numero, quorum materia est vna numero, ergo, verè illa essent vna numero, &c.

Resp. Disting. antecedens quorum materia est vna loquendo de materia totius, concedo; loquendo de materia partis, nego: nam materia totius est differentia indiuidualis, quæ in casu essent plura, nempè plures differentiæ indiuiduales, &c.

Obijc. secundo. Si sic, ergo, duo supposita possent se inuicem communicari, quod est falsum; falsitas patet, quia suppositum est incommunicabile vt quo, & vt quod; sequela probatur, nam ideo valet dicere hoc album est dulce, quia talia accidentia sunt in eodem subiecto, scilicet in lacte, ergo si duæ formæ substantiales sunt in eadem materia, tunc supposita resultantia dicerentur de se inuicem, vt lapis est panis, & è contra, &c.

Resp. Neg. sequelam; Ad probationem dicimus, quod accidentia ideò de se inuicem possunt prædicari, quia explicantur nomine connotatiuo, vt dicendo album est dulce, & è contra, & cum vtroque nomine connotatur idem subiectum; formæ verò in casu si explicantur etiam nomine connotatiuo, vt humanatum, equinatum, & cetera, sic poterit fieri mutua prædicatio, vt dicendo humanatum est equinatum, quia sic esset sensus, quod subiectum informatum forma humana, esset etiam informatum forma equina, si vero explicentur nomine substantiuo, & absoluto, vt homo, equus, lapis, panis, &c. tunc non posset

posset fieri mutua prædictio, &c.

Dices. Deus, & homo sunt nomina substantiua, sed ideò possunt de se inuicem dici, quia natura Humana, & Diuina sunt vnitæ in eodem supposito vt patet in Christo, ergo, sic dicendum in casu, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam in Christo Domino est vnicum suppositum vtriusquæ naturæ, & ideò valet mutua prædicatio; in casu verò essent duo supposita, & ideo non posset fieri mutua prædicatio, quia suppositum est omninò incommunicabile, &c.

Dices. Materia eadem numero esset pars essentialis vnius, & alterius suppositi, ergo vnum suppositum communicaretur alteri, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam de facto etiam materia vnius suppositi est communicabilis alteri, disiunctim, nec proinde dicitur suppositum communicabile alteri, quia aliud est loqui de supposito, aliud de partibus, &c.

Obijc. tertiò. Ex Scoto in tertio, distinctione prima, quæstione secunda. Implicat eandem naturam humanam triplici personalitate dependere, quia quælibet personalitas adæquatè terminat dependentiam eiusdem naturæ; & tunc sequeretur, quod eadem natura totaliter dependeret, & non dependeret, ergo implicabit, eandem materiam simul actuari alia adæquata forma, propter eandem rationem, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam natura in ratione communicabilis verè dependet ad suppositum, & per illud completur, & terminatur eius dependentia, & redderetur incommunicabilis; materia verò non dependet à forma inesse materiæ; sed tantum in existere completè, & ideò positis pluribus formis in materia, non sequitur idem dependere à pluribus causis totalibus, quia materia secundum suã entitatem non est effectus formæ, &c.

Dices. Materia existit completè ratione formæ, quamuis habeat proprium actum ex se, ergo saltem quãtum ad hunc effectum existendi completè dependeret à pluribus causis totalibus, quod implicat, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam in tali casu non haberet vnam tantum existentiam formalem, & completam, sed tot, quot formas haberet, & vna quęque existentia, quæ est extrinseca materiæ penderet totaliter à sua propria forma, &c.

Obijc. quartò. De ratione formæ substantialis est dare esse simpliciter, & facere vnum per se cum materia, sed si non esset expulsio præexistentis formæ, non posset hoc fieri, ergo talis expulsio non potest suspendi à Deo minor patet; nam materia cum priori forma est in actu completo; ergo cum posteriori non fit vnum per se, quia quidquid aduenit enti completo non fit vnum per se cum eo, ideo, &c.

Resp. Neg. min. Ad probationem dicimus, quod forma posterior etiam constituit cum eadem materia vnum per se, quia forma posterior non recipitur in toto constituto ex priori forma cum materia, sed in eadem materia immediatè, ideo resultat nouum ens

ens completum, & diuersum à priori, &c.

Dices. Vnius rei est vnum esse simpliciter, & completum, sed materia est vna, ergo, &c.

Resp. Disting. mai. est vnum esse simpliciter, & intrinsecum, concedo, extrinsecum, nego, nam materia ex se habet vnum esse simpliciter, & extrinsecum, & non potest multiplicari, nisi multiplicata ipsa materia; illud esse simpliciter, quod forma tribuit materiæ, est extrinsecum, & aduentitium ipsi materiæ, & ideò potest multiplicari ex multiplicatione formarum, absque eo, quod multiplicatur materia, &c.

Obijc. quintò. Si idem Corpus informaretur. V.g. duabus animabus rationalibus, ex istis resultarent duo composita, tunc operante supposito, aliud suppositum etiã operaretur, vel non operaretur; non primum, quia forma est principium operationis, ergo cum sint diuersæ formæ, possunt exercere diuersas operationes; nec secundum, quia actionum humanarum maior pars est organica, ergo operante vno supposito, operatur etiã aliud, cum organum, per quod exercetur, esset commune vtrique ex hypotasi.

Resp. Quod in tali casu, vno operante quoad actiones inorganicas nẽpè quoad intelligere, velle, &c. non est necesse vt alterum operatur; quoad actiones organicas potest in hunc modum; nempè, quod si illæ animæ sunt æqualis virtutis, & si vnum supposi-tum velit ambulare, alterum non, tunc animi cem se impediunt, vel ambo agerent ad quemdam effectum mediũ; Si verò sunt inæqualis virtutis, ita vt anima vnius suppositi vincat in mouẽdo potentias exteriores animam alterius suppositi, tunc ambulante illo, ambulabit etiam alterum, licèt inuitum, ob resistentiam factam ab eius voluntate, & sic illud suppositum tardius ambulabit; quod dicitur de ambulatione, dicitur etiam de alijs operationibus externis, & organicis, &c.

Obijc. sextò. Si idem corpus informaretur anima ouis, & canis, tunc viso lupo non potest determinate dici, quod ageret, nam persequeretur lupum, vel fugeret, ergo, &c. Item si informaretur anima ouis, & lupi non potest explicari quomodo se haberent hæc duo supposita in agendo, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam in his casibus est considerandum, quænam anima est vnionis virtutis in agendo, & sic est dicendum, sicut diximus de actibus organicis suppositorum, &c. &c. Vel secundo, vt aliqui dicunt, quod in hac quæstione loquimur de formis non viuentium disparatis; nam Corpus, quod est aptum perfectibile pro anima ouis, non est aptum pro anima lupi, quia huiusmodi perfectibilia inter se specie differunt, Vnde repugnantia non solum est ex parte formarum, quam Deus potest impedire, vt supra, sed etiam ex incapacitate materiæ, quæ sua natura est determinata ad illam formam, quam Deus non potest impedire, ideo, &c.

QVÆ-

QVAESTIO X.

An vna forma numero possit simul informare plures materias?

IN hac quæstione loquimur de plurimis materijs adæquatis, non verò inadæquatis coniunctis, quia sic de facto vna anima numero informat plures huiusmodi materias, nempe carnem, ossa, neruos, &c. Quæ constituunt vnam totalem materiam; sensus est, an vna anima, v.g. possit informare plura corpora, quorum quodlibet sit adæquatum perfectibile ipsius; potest etiam esse quæstio de plurimis materijs inadæquatis, si essent ad inuicem diuisæ; pro qua sit, &c.

Prima Concl. Neg. naturaliter loquendo; probatur, nam informatio formæ non potest fieri sine existentia in loco, sed vna forma non potest naturaliter existere in pluribus locis adæquatis, nec etiam inadæquatis discontinuis, ergo, &c.

Item maior dependentia est formæ à materia, quam corporis à loco, sed idem corpus non potest esse naturaliter in pluribus locis, ergo, &c.

Secundò. Particulariter de materijs inadæquatis disiunctis, nam continuatio partium materiæ est quædã dispositio necessaria ad informationem, ergo separata vna parte materiæ ab alia, tunc forma cessat informare, &c. Consequẽtia patet in animalibus perfectis, in quibus videmus, quod membrum abscissum eo ipso, quod separatur à toto, cessat informari ab anima, ergo, &c. In alijs compositis naturalibus, quorũ formæ sunt diuisibiles, si materia diuidatur, diuiditur etiam forma, ideo non amplius remanet eadem forma numero, sed per talem diuisionem, sicut fiunt plures numero materiæ, ità plures formæ numero ideo, &c.

Secunda Concl. Supernaturaliter, vna forma numero, licet possit informare plures materias inadæquatas, & diuisas, non verò plures materias adæquatas; est Scoti in 3. dist. 1. quæst. 2. Contra quamplures Recentiores, quos ex nostris sequitur Sghemma quoad secundam partem; probatur prima pars ex illo miraculo Diui Dionysij, qui proprijs manibus gestauit suum caput viuum per aliquot milliaria, & prædicabat, sed in hoc casu (verisimile est) animam supernaturaliter informare corpus, & caput inter se diuisa, ergo, &c. Minor patet, nam motus ille, tam diù durans non potest referri in virtutem spirituum, adhuc retinentium calorem, & motum, quia impetus in illis receptus, vel illis impressus ab anima, quæ de nouo recessit à corpore non solet, tam diù durare; nec in extrinsecam virtutẽ alicuius Angeli causantis, tunc illum motum, cum nulla possit ostendi implicantia, cur non poterit causari ab anima adhuc informante illas partes diuisas.

Item continuatio partium corporis pro informatione est tantum quædam dispositio necessaria ex naturali constitutione rerum, sed Deus potest facere sua potentia absoluta, quod forma informet

informet materiam nulla præcedente dispositione in materia dummodò illa materia sit capax, quod in casu supponitur, licet sit inadæquata, ergo, &c.

Secunda. Pars prob. forma materialis v.g. totaliter dependet à materia in fieri, & in conseruari, tunc sic, si vnica forma materialis informaret secundam materiam, tunc totaliter dependeret ab illis, sed hoc implicat; quia sic dependeret, & non dependeret totaliter, quod in dependentijs intrinsecis est maximum inconueniens, ergo, &c.

Secundò. Repugnat formæ creatæ simul informare infinitas materias adæquatas, ergo sibi repugnat informare plures; consequentia patet, nam non est maior ratio de pluribus, quam de infinitis si darentur, antecedens probatur, nam repugnat formæ creatæ perfectio infinita, sed si posset informare infinitas materias, esset infinitæ perfectionis, quia perfectior est forma in informando plures materias, quam pauciores, ideò anima intellectiua est perfectior cæteris formis, quia simul informat, & perficit omnes partes corporis. Item continens virtualiter infinitas perfectiones, vel non tot, quin plures, est formaliter infinitum, sed si daretur forma, quæ simul posset informare infinitas materias, vel non tot, quin plures, virtualiter contineret perfectionem illarũ formarũ, ergo, &c.

Obijc. primo. Contra primam Conclusionem; anima rationalis de facto informat Corpus pueri, vt perfectibile adæquatum, sed quando peruenit ad ætatem virilem informat illud Corpus duplò maius, ergo tunc informat plures materias adæquatas, & totales, &c.

Resp. Neg. maior. Nam anima rationalis determinat sibi naturaliter materiam quoad maximum, & illum terminum non intelligit homo in pueritia, & ideò quamuis Corpus pueri dicatur adæquatũ perfectibile illius animæ, vt contra distinguitur à suis partibus integralibus, tamen non potest dici adæquatum perfectibile, quasi sit terminus circà quem totaliter exhauritur virtus informatiua illius animæ.

Obijc. secundo. Contra eandem Conclusionem, caput hominis amputatum (vt experientia docet) non solum mouetur, sed etiam sæpè sæpius loquitur, sed huiusmodi operationes nõ possunt esse nisi ab anima, ergo, &c.

Resp. Neg. min. Nam motum illum, & locutionem non prouenire ab anima, sed à spiritibus animalibus, qui cum adhuc sint callidi retinent impetum denuò impressum sibi ab anima, & sic efficiunt illum motum, & alias actiones, quæ licèt videantur esse vitales, tamen non sunt vitales, &c.

Obije. tertiò. Angelus potest naturaliter esse in pluribus locis discõtinuis inadæquatis, ergo similiter anima in pluribus materijs inadæquatis, & discontinuis.

Resp. Neg. consequentiam; nam Angelus ideò potest esse in pluribus locis inadæquatis, & discontinuis, quia vnio partium loci non est necessaria ad hoc vt Angelus sit in loco; vnio verò partium materiæ est quædam dispositio necessaria naturaliter requisita, vt

exerceatur informatio cuiuscunque formæ.

Obijc. quarto. Contra secundam conclusionem, anima potest supernaturaliter informare duas materias inadæquatas, & discontinuas, vt patet de miraculo Diui Dionysij, vt supra, ergo multò magis duas materias adęquatas; consequentia probatur, nam actior est materia adæquata ad receptionem formæ, quam materia inadæquata, quia illa est integra, hæc verò non, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiā: Ad probationem nego consequentiam; nam in primò casu interuenit sola carentia dispositionis naturaliter necessariæ, qualis est integritas, qui defectus potest à Deo suppleri; sed in secundo casu interuenit carentia virtutis informatiuæ, quæ limitata est ad vnam materiam, & à Deo non potest suppleri, vt dictum est, &c.

Obijc. quintò. Materia potest supernaturaliter recipere plures formas, vt dictum est ergo similiter forma potest supernaturaliter informare plures materias; consequentia sequitur, quia non est maior ratio de vna, quam de alia, &c. Item idem Corpus potest esse supernaturaliter in pluribus locis adæquatis ergo forma in plurimis materijs.

Item idem accidens potest esse in duobus subiectis adæquatis quia in illo casu, quo duo corpora essent in eodem loco, haberent idem Vbi, sed Vbi est accidens, ergo, &c.

Resp. Neg. cōsequentiam: Ad probationem dicimus negando paritatem; nam potentia passiua materiæ non dicit perfectionem, & ideo si reciperet infinitas formas, adhuc esset sic; potentia informatiua formæ dicit perfectionem, ideò, &c.

Ad aliud. Dist. consequens, in plurimis materijs localiter, & intimè præsens concedo, informatiuè, nempè informando omnes illas materias, nego; nam, &c. Ad tertium nego antecedens: Ad probationem dicimus, quod in illo casu essent duo vbi; nam illa Corpora dicerentur esse in eodem loco ratione loci materialis, nempè superficiei, non verò ratione loci formalis, &c.

Quæritur. An naturaliter eadem numero forma possit successiuè informare plures materias?

Resp. Neg. tam de forma materiali, quam immateriali; patet de forma materiali, quia ex secundo Physicorum text. 12. formæ materiales eo ipso, quod à materia separantur, corrumpuntur; ergo, &c. Patet etiam de forma immateriali ex determinatione Ecclesię in Cōcilio Lateranensi sub Leone Decimo sessione octaua, vbi damnatum est illud dogma, vel potius paradoxum Petagoricum de transmigratione animarum: Item patet ex primo de anima textu quinquagesimo tertio, &c.

Dices. Materia potest successiuè recipere plures formas naturaliter ergo similiter forma; consequentia sequitur, quia est eadem ratio, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam materia instituta est à natura, vt sit commune subiectum omnium formarum, formæ verò sunt institutæ ad constituenda varia composita, & ideò ex po-

postulant varias dispositiones in materia, in qua ita pendent in existentia, quod si separantur, statim destruuntur.

Dices. In nutritione eadem anima informat successiuè diuersas portiones materiæ, vt patet, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam in tali casu non sunt plures materiæ totales, & adæquatæ, de quibus loquimur in præsenti, ideò, &c.

DISPVTATIO QVINTA.

DE PRIVATIONE.

QVAESTIO PRIMA.

An detur priuatio, & quid sit?

NEGATIO duplex est ex Scoto in primo, distinctione vigesimaocta ua, quæstione prima, littera B. scilicet in genere, & extrà genus; negatio extrà genus est illa, quæ verificatur tam de ente, quam de non ente, vt non homo æqualiter dicitur de æquo, & de chimera, vt dicendo æquus est non homo, chimera est non homo; negatio in genere est illa, quæ determinat sibi aliquod genus, de quo dicatur, de qua loquimur in præsenti, quæ est carentia formæ in subiecto apto, quæ est multiplex secundum multiplicem aptitudinem; nam vel est carentia formæ in subiecto apto secundum rationem entis, & cæcitas in lapide; vel secundum rationem genericam, vt cæcitas in talpæ; vel secundum rationem specificam, vt cæcitas in homine; vel secundum rationem indiuidualem, vt materia ligni dicitur priuata forma ignis, quia secundum se est capax talis formæ; & secundum hanc vltimam acceptionem loquimur in præsenti de negatione, seu priuatione, pro qua sit.

Prima Concl. Priuatio verè datur in rerum natura; ità Aristoteles primo Physicorum, & quinto Metaphysicæ vigesimo secundo capite de oppositis, vbi habetur, priuari dicimur, quando

id, quod natum est haberi, non est, &c.

Secundò. Ratione priuatio est carentia formæ in subiecto apto, sed de facto datur talis carentia, ergo, &c. Probatur minor, nam in cœco datur carentia visionis, in materia ligni carentia formæ ignis, ergo, &c.

Secunda Concl. Priuatio est carentia formæ in subiecto apto secundum rationem specificam, & tempus; patet explicatione, dicitur secundum rationem specificam, quia talpa licet ratione generis sit apta ad videndum, non verò ratione speciei; dicitur secundum tempus, quia catuli antè nouem dies non dicuntur priuati visione, quia antè illud tempus non sunt apti ad videndum; sed materia ligni dicitur priuata propriè forma ignis, quia est apta ad ipsam recipiendam secundum speciem, & tempus, &c. Item tunc aliquid dicitur priuari, quando non habet id, quod habere aptum natum est, ergo talis definitio, seu descriptio priuationis est vera, &c.

QVAESTIO II.

An priuatio habeat aliquod esse præter opus intellectus?

PRima Concl. Priuatio pro formali, non est ens positiuum; probatur ex primo Physicorum decimoseptimo, priuatio non est, ergo non est ens positiuum; item priuatio pro formali est carentia, sed carentia non est quid positiuum, ergo, &c.

Secundò. Cuiuslibet entis positiui, quod potest esse in aliquo subiecto datur priuatio, ergo si priuatio esset ens positiuum daretur priuatio priuationis, quod est falsum, quia tunc daretur processus in infinitum, &c. Item ens positiuum, quod potest esse in subiecto dicit quemdam habitum, sed priuatio opponitur habitui, ergo, &c.

Secunda Concl. Priuatio habet esse negatiuum in subiecto ante opus intellectus; est Scotistarum omnium; contra aliquos putantes, priuationem nullum habere esse, nisi obiectiuum in intellectu; probatur nihil remouetur ab aliquo subiecto realiter extrà animam, nisi per aliquod sibi incompossibile positiuum, vel negatiuum existens extrà animam, sed lumen, v.g. in aëre realiter remouetur, & non per aliquod sibi incompossibile positiuũ extrà animam, cum lumen non habeat formam positiuam contrariam ergo per aliquod priuatiuum existens extrà animam, quod est priuatio luminis scilicet tenebræ, ergo, &c.

Obyc. primò. Contra primam Cõclusionem ex Thoma Angelico, ex Sghemma, qui putant, priuationẽ etiã in recto dicere positiuum; priuatio est principium entis positiui, ergo multo magis ipsa priuatio est ens positiuum; consequentia sequitur ex illi Aristotelis primo Posteriorũ vnumquodq; &c.

Resp. Dist. antecedens; est principium per influxum, nego; siue influxu, & vt terminus à quo concedo; nam de ratione principij, vt terminus à quo, est nõ esse dum est motus, &c.

Obyc. secundò. Quod à sensu percipitur dicit aliquam entitatem positiuam,

tiuam, sed priuatio percipitur à sensu, nam tenebra est priuatio luminis, & percipitur à sensu, ergo, &c.

Item, quod nihil est nullum determinat sibi subiectum ergo cum priuatio sibi determinet subiectum, formaliter erit aliquid.

Resp. Dist. maior. quod à sensu percipitur per se, & propriè dicit entitatem positiuam, concedo; per accidens, & impropriè, nego; nam tenebræ percipiuntur à sensu tantum impropriè, & per accidens, idest, non quod ipsæ videntur; sed quia lumen non videtur, &c. Ad aliud dicimus, quod priuatio licet in recto, & pro formali dicat carentiam, tamen pro connotato, & in obliquo dicit aptitudinem.

Obijc. tertiò. Illud, de quo verificatur, esse, in propositione debet esse quid positiuum, sed de priuatione verificatur esse in propositione de secundo adiacente, vt cœcitas est, ergo, &c.

Resp. Dist. maiorem, si illud esse non æquiualet esse negatiuo concedo; si æquiualet, nego, nam quando dicitur, cœcitas est, idem est dicere, ac visus non est; tenebræ sunt idest lux non est; silentium est, idest sonus nō est.

Obijc. quartò. Tenebræ inuitantur ad dicendas diuinas laudes, sicut lux, vt patet ex Cantico trium puerorum, Benedicite lux; & tenebræ Domino, ergo debent esse quid positiuum, sicut lux, &c.

Resp. Dist. antecedens, more oratorio, concedo; philosophico, nego; nam tenebræ inuitantur ad laudandū Deum, vt ostendatur, quod etiam ea, quæ habent minimam entitatem debent laudare Deum.

Obijc. quintò. Priuatio habet propriam definitionem, ergo est ens positiuum.

Resp. Dist. antecedens, habet propriam definitionem explicantem esse positiuum, nego; negatiuum, concedo; nam, &c. Priuatio enim formaliter dicit carentiam, & connotatiuè dicit subiectum aptum, &c.

Obijc. sextò. Contra secundam Conclusionem; si priuatio habet esse extra animam, vel illud esse est in se, vel in alio; non primum, quia esset substantia; nec secundum, quia esset accidens, quod non est dicendum, ergo, &c.

Resp. Priuationē esse in alio; quando dicitur, ergo est accidens; negatur consequentia; nam accidens non constituitur simpliciter inesse accidentis per id, quod est in alio, sed debet esse positiuum, quod in casu non est sic, ideo, &c.

QVAESTIO III.

An priuatio sit realiter distincta à materia?

C*Oncl. affirmat.* Est communiter Scotistarum, & Recentiorum; contra Occham, Burleum, &c. Probatur illa distinguuntur realiter, quorum vnum potest separari ab altero, sed materia potest separari à priuatione, quia adueniente forma in materia, priuatio

uatio illius formæ recedit, & materia manet, ergo, distinguuntur realiter nõ positiuè, quia talis distinctio versatur inter extrema positiua, sed negatiua distinctione, qualis est inter ens, & non ens; vel saltem non sunt idem realiter maior patet, nam ad distinctionem realem non est semper necesse, vt extrema mutuò possint separatæ existere, aliter creatura non distingueretur realiter à Deo.

Obijc. primò. Materia, & priuatio sunt idem numero, ex textu sexagesimo, & sexagesimo sexto, sed vnum numero non est realiter distinctum à se ipso, ergo, &c.

Resp. Dist. maior. sunt idem numero, quia sunt vnum subiectum, cõcedo, quia sunt vna entitas nego; nam etiam accidens est vnum numero cum substantia, & tamen non est idem realiter cum ea, &c.

Obijc. secundò. Inter quæ est realis distinctio, est realis relatio, quia distinctio est quædam relatio, sed inter materiam, & priuationem non est realis relatio, quia relatio realis exigit extrema realia realiter existentia, & priuatio non est vnum extremum reale, imò est priuatio alicuius existẽtis, ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ad probationem dicimus, quod priuatio est vnum extremum reale priuatiuum, & hoc sufficit, quod inter ista sit realis distinctio, & relatio, vel dicimus, quod distinctio propriè non est relatio, sed propriè est non identitas, &c.

Dices. Materia prima non potest naturaliter informari omni forma ergo, nec priuatio potest separari ab ea.

Resp. Neg. consequentiam; nam totum non potest esse sine partibus, tamen non est idem realiter cum illis; ità dicendum, &c.

Obijc. tertiò. Quod inest materiæ circumscripto quocunque ab ea, quod non est ipsa, est idem realiter cum ipsa materia, sed priuatio est huiusmodi, nam circumscripto à materia quocunque, tunc non habet formam, & sic habet priuationẽ formæ, ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ad probationem dicimus, quod stante casu, tunc materia, nec habet formam, nec priuationem formaliter, & sic nec dicitur priuata, nec non priuata, &c.

Dices. Tunc esset carentia in subiecto apto, ergo esset priuatio.

Resp. Dist. antecedens fundamentaliter concedo; formaliter negó, nam, &c.

Dices. Inter contradictoria non est dare medium, sed priuatum, & non priuatum contradicunt, ergo materia in eo casu, vel diceretur priuata, vel non priuata, &c.

Resp. Dist. maiorem, si contradictoria sumantur simpliciter, & præcisè, concedo, si cum aliqua modificatione, vt in casu, nego; nam additur ly formaliter, & sic potest esse medium inter contradictoria, ità Scotus in tertio, distinctione tertia, quæstione prima, vbi quærit de peccato originali Beatæ Virginis, &c.

QVÆ-

QVAESTIO IV.

An in materia sint distinctæ priuationes in ordine ad distinctas formas?

PRiuatio dupliciter consideratur; scilicet proximè, & remotè; priuatio proxima dicitur illa, quæ est formæ, quæ proximè respicitur à materia, ratione suarum dispositionum; remota dicitur illa, quæ est priuatio formæ: quæ immediatè non respicitur à materia, quia non est disposita proximè per dispositiones illius; & sic materia est indifferens, & non magis respicit vnam formam, quam aliam. Priuationes inter se distinguuntur, sicut formæ, quibus opponuntur siue in genere, siue in specie, siue numero, &c. pro qua sit, &c.

Prima Concl. In materia est vnica tantum priuatio numero proximè; est Scoti in primo distinctione 28. quæstione 2. littera D. Probatur. Priuatio est carentia formæ in subiecto apto cum omnibus requisitis, sed subiectum aptum proximè dispositum est tantũ respectu vnius formæ, ergo, &c. Item cæcitas est tantum priuatio visus non auditus; tenebra est tantum priuatio luminis nõ frigoris; item materia non est apta nata aptu informari, nisi vnica forma; ergo non est actu proximè priuata, nisi vnica forma, ergo, &c.

Secunda Concl. In materia tot sunt priuationes remotæ, quot formas potest ipsa recipere; est Scoti quolibeto 18. & in 1. dist. 2. quæst. 4. litteris B. & C. Probatur. Priuatio intrinsecè mensuratur suo habitu, ergo formis possibilibus distinctis respiciunt priuationes distinctæ; item priuatio vnius formæ non est priuatio alterius, sicut nec vna forma est alia, ergo, quia materia est capax omnium formarum mediate, & successiue, ita in ea sunt priuationes omnium illarum formarum, &c.

Obijc. primò. Idem subiectum est proximè capax plurium formarum, nam lignum est capax, vt floreat, & vt fiat ignis, ergo priuatio non est proximè vna. Consequentia sequitur, quia priuatio proxima dicitur in ordine ad formam proximè recipiendam, ergo cum plures sint formæ proximè recipiendæ sequitur, quod plures sunt priuationes, &c.

Resp. Neg. antecedens ad probat. dicimus, quod lignum est capax remote, vt floreat, & vt fiat ignis, proximè vero est tantum capax huius, & non illius propter dispositiones disponentes ipsum ad talem formam, &c.

Obijc. secundo. Tot priuationes proximè in materia debent esse quot formæ possunt proximè in ea introduci, sed plures formæ possunt proximè introduci; nam quodlibet agens potest immediatè introducere suam formam in materia, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod si materia esset nuda, tunc quodlibet agens posset suam formam introducere, sed quia materia semper est cum aliqua forma, ideo agens debet

prius

prius illam expellere; & materiam disponere, & sic mediantibus dispositionibus introducit formam, vt supra dictum est, sicut enim materia dicitur proximè disposita ad vnam numero formam sic dicitur proximè priuata vna forma, &c.

Obje. tertio. Materia non solum dicitur priuata proximè forma, quæ nondum suscepit, sed etiam ea, quæ amisit, ergo proximè semper dicitur priuata pluribus formis, &c.

Resp. Dist. secundam partem antecedentis materia dicitur priuata forma, quæ amisit priuatione extra genus concedo; in genere nego, nam priuatio extra genus est carentia tantum; priuatio est carentia cum aptitudine, secundum propriam naturam subiecti; vt homo cœcus propria natura dicitur priuatus visione, quia habet aptitudinem ad visionem sua natura; materia vero respectu formæ, quæ amisit habet tamen aptitudinem radicalem, vt supra.

Item priuatio est tantum potentiæ naturalis, sed respectu formæ numero, quæ amisit non est potentia naturalis, quia à priuatione ad habitum naturaliter non datur regressus, &c.

Dices. Naturaliter non datur regressus à priuatione ad habitum, ergo à priuatione ad formá naturaliter non est generatio.

Resp. Neg. consequentia; nam licet à priuatione ad habitum non detur regressus, datur tamen progressus, nempe forma, quæ fit non redit, sed quod non dum fuit potest fieri, nam ea forma numero, quæ fuit admissa, non redit, sed altera numero, ideo, &c.

Obje. quarto. Contra secundam conclusionem materia non potest recipere simul nisi vnicam formam, ergo in ea non potest esse nisi vnica priuatio, &c.

Resp. Dist. consequens proximè cõcedo, remotè nego; nam materia mediate, & successiuè, potest recipere plures formas, & ideo plures priuationes remote, &c.

Dices. Si materia potest recipere successiuè plures formas, ergo successiuè sunt plures priuationes, & non simul, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam priuatio in materia pendet à potentia, tam proxima, quam remota; non vero ab actu quo informatur proximè ideo cum potentia remota; materiæ sit in ordine ad omnes formas possibiles sequitur, quod tot debent esse priuationes.

QVAESTIO V.

An priuatio sit verè principium per se generationis, & quãdo principiat?

PRima Concl. Priuatio est per se principium generationis, & rerum naturalium in fieri cita Arist. t. 43. vsque ad 28. contra Albertum Iandunum, qui volunt priuationem esse tantum per accidens. Pro mutatio, & essentialiter est via inter duos terminos, nempe à quo, & ad quem, sed via non potest esse, nec intelligi sine his

his terminis, ergo vterque simul est principium per se, & intrinsecum.

Secunda. Concl. Priuatio tunc dicitur principiare quando primo non est; colligitur ex Scoto in secundo dist. 1. quæst. 5. littera I. contra Bacconum, Trombettam tract. formalitat. parte 4. art. 4. asserentes priuationem actu principiare quando ipsa est. Prob. Priuatio tunc principiat mutationem, quando actu est ipsa mutatio, sed quãdo actu est mutatio non est priuatio, ergo, priuatio principiat quando primo non est. Maior patet, quia actu principiare, & actu priuari, sunt correlatiua, nec vnum potest esse sine alio, ergo, &c. minor probatur; nam quando est mutatio est etiam forma, quæ acquiritur, quia subiectũ mutari, est aliter se habere nunc quam prius per nouã formam, sed quando est, forma non est eius priuatio, aliter eadem res esset simul, & non esset; quod implicat.

Secundò. Priuatio principiat recedendo, sed tunc recedit quando incipit non esse, ergo priuatio principiat quando primò non est. Item forma principiat per primum suum est; ergo priuatio debet principiare per primum suum non esse. Consequentia patet, quia forma, & priuatio principiant opposito modo; Item priuatio dicit negationem formæ, ergo quando forma incipit principiare, priuatio non est.

Obijc. primò. Contra primam conclusionem priuatio est non ens. ex tex. 75. & generatio est ens. Sed ens non potest dependere a non ente, ergo, &c. Item est principiũ per accidens tex. 79.

Resp. Disting. maiorem, priuatio est non ens positiuum concedo; priuatiuum nego; nam priuatio est vere ens priuatiuum a quo dependet generatio, tanquam a termino a quo.

Dices. Principium est nobilius principiato, & dicit relationem ad aliud, sed priuatio seu ens priuatiuum non est nobilior generatione, quæ est ens positiuum, nec potest esse fundamentum talis relationis, quia quod est ens non fundatur in non ente, ergo, &c.

Resp. Disting. mai. reduplicatiue, concedo, specificatiue nego; nam priuatio in ratione principij potest dici nobilior generatione, quia terminat habitudinem principiati, non vero specificatiuè.

Ad aliud dicimus, quod priuatio dicitur principium per accidens rerum naturalium in facto esse, in fieri vero dicitur principium per se.

Obijc. secundo. Terminus à quo nõ est intrinsecus mutationi, ergo priuatio non est principium intrinsecum per se mutationis. Antecedens patet; nam mutationes non specificantur à termino à quo, quia diuersi motus speciæ possunt habere eundem terminum à quo, vt ab eodem loco potest incipere motus deorsum terræ, & motus sursum ignis, ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens non est intrinsecus, vt quid cõponens illam mutationem concedo; vt id ad quod ipsa mutatio dicit necessariam habitudinem nego; nam extrema relationis non sũt intrinseca relationi cõstitutiuæ per modum generis, & differentiæ; sed sunt sibi intrinseca quatenus relatio est

M ha-

habitudo necessaria inter illa extrema. Quando dicitur diuersi motus specie possunt habere eundem terminum à quo, distinguo, materialiter, concedo; formaliter, nego; nam respectu ignis, est terminus à quo, deorsum; respectu terræ, est sursum.

Vel secundo est idem terminus à quo positiuus; concedo, negatiuus, nego.

Obijc. tertio. Contra secundam cõclusionem priuatio principiat vt terminus à quo, sed habet rationem termini à quo, quando vltimo est, ergo, &c. minor probatur: nam de ratione termini à quo est esse immediatè ante viam, ergo principiat quando est.

Resp. Neg. minorem, ad probat. distinguo antecedens, materialiter concedo; formaliter nego, nam, &c. vel in actu signato nego, exercito concedo; nam priuatio est formaliter terminus à quo; & exercitat talem rationem quando incipit non esse, sicut in prima hora noctis est id à quo est secunda hora; tamen nunquam denominabitur formaliter id à quo est secunda nisi ipsa præcessit, & aduenerit secunda.

Obijc. quartò. Nullum principium potest principiare, quando non est ergo priuatio nõ potest principiare quãdo non est. Antecedens patet. Item effectus in actu supponit principium in actu, sed generatio est effectus, & est in actu, ergo.

Resp. Dist. antecedens nullum principium per influxum potest principiare, concedo, sine influxu sicut priuatio, nego, nam, &c.

Ad aliud dicimus, quod aliud est loqui de priuatione secundum esse priuationis, & aliud secundum esse principij: Nam generatio quando est priuatio non est secundum esse priuationis, quia euanuit immediatè ante instans generationis, tamen est secundum esse principij, &c.

Dices. Priuatio tunc non est ergo non potest esse principium.

Resp. Neg. consequentiam; nam priuatio si principiaret per suum esse permaneret argumentũ concluderet, sed quia principiat per suũ esse immediatè recedens, nam per modum termini à quo, ideo argumentum nihil valet.

Not. quod aliud est quærere per quod priuatio principiat, & aliud quãdo principiat: nam priuatio vtique principiat per suum esse, sed quia principiat per illud quatenus tollitur, ideo dicitur principiare, vt immediatè præcedens, & quatenus primo non est.

Obijc. quinto. Priuatio tunc principiat quando expellitur à forma, sed expellens, & expulsum debent esse in pugna, ergo priuatio debet esse dum expellitur.

Resp. Dist. minorem, expellens per aliquam actionem, & contactum, concedo, per positionem alterius, nego: nam forma nõ expellit priuationẽ per aliquam actionem, quam exercet circa illam. Sicut quando clausus clauum tradit, quia sic deberent esse simul, sed illam expellit per formalem sui positionem in subiecto, forma enim collocando se in subiecto expellit priuationem in eodem istanti, ità vt cum primo

mo ponitur forma, tunc primo tollitur priuatio, & hoc benè intelligitur, si dicatur post ipsam priuationem sequitur immediatè forma in subiecto, nec est necesse vtrũque esse simul,&c.

Obijc. sexto. Principium, & principiatum sunt correlatiua, ergo debent esse simul.

Resp. Dist. consequens debent esse simul simultate durationis, nego: immediationis concedo; nam prius, & posterius sunt simul simultate immediationis, non vero durationis; nam quando est prius, non est posterius, sed post prius, sequitur immediatè posterius, &c.

DISPVTATIO SEXTA.

De Composito.

PRINCIPIVM dicit ordinem ad principiatũ, & principia Physica in facto esse componunt compositum Physicum, & quia hucusque vidimus principia Physicalia, nunc videndum est quid sit principiatum, & compositum, quod ex illis resultat, num sit distinctum ab illis, & qua distinctione, &c.

Quæritur primò. Quotuplex est compositum seu totum, & quid sit.

Resp. Totum est illud, quod ex omnibus partibus constet, ità vt nulla pars ei desit, ex tertio Physicorũ text. 63. Duplex est scilicet, per se, & per accidens; totum per se est illud, quod cõstituitur ex partibus eiusdem generis; quarum vna se habet, vt actus, & altera, vt potentia, vt homo ex Anima, & corpore; totum per accidens cõstat ex partibus, quarum vna non est in potentia ad alteram, vt omnis homo; omne tempus, vel tales partes sunt alterius naturæ, vt homo albus homo niger.

Totum per se est triplex, scilicet vniuersale, essentiale, & integrale. Totum vniuersale, quod prædicatur de pluribus, vt homo de Petro, & de Frãcisco: totum essentiale est duplex scilicet Physicum, & Metaphysicum; totum essentiale Physicũ est illud, quod cõstat ex materia, & forma, vt homo ex corpore, & Anima; Metaphysicum cõstat ex genere, & differentia, vt homo ex animalitate, & rationalitate. Totum integrale constat ex partibus quantis, vt corpus ex manibus, pedibus, brachijs, &c. Totum per accidens

est duplex, scilicet simpliciter, & per aggregationem primum cõstat ex substantia, & accidente, vt homo albus, homo niger: secundum cõstat ex pluribus actualiter collectis, vt cumulus lapidum.

Quæritur secundò. Quid est distinctio, & quotuplex sit.

Distinctio est relatio inter duo extrema, quorum vnum non est aliud; quæ prima sui diuisione secundum Scotum diuiditur in distinctionem ex natura rei, & rationis; distinctio ex natura rei, est oppositio inter aliqua duo, quorum vnum à parte rei non est alterum, & est quid superius ad omnes distinctiones, quæ sunt à parte rei, nempe realem, formalem, &c.

Notandum, ex Antonio Sirecto, qui dicitur Auctor formalitatum, ex Trombetta, Vallone, & Mayrone, quod septem sunt genera distinctionum, nempe distinctio rationis, ex natura rei, realis, formalis, essentialis, se totis subiectiuè, & se totis obiectiuè; distinctio rationis est illa, quæ inuenitur inter ea, quæ sunt ab intellectu, vel inter ea, quæ tantum distinguuntur per opus intellectus, vt genus, & species facta per opus intellectus hac distinctione distinguuntur, vel Petrus est Petrus; Petrus ex parte subiecti distinguitur à Petro ex parte prædicati tantum per opus intellectus.

Distinctio ex natura rei inuenitur inter illa de quibus verificatur duo cõtradictoria seclufo opere intellectus, vt definitio, & deffinitum, superius, & inferius; nam definitio est constitutiua, definitum est constitutum, superius est pars inferioris, & non è contra, & distinctio est superior omnibus distinctionibus à parte rei.

Distinctio realis inuenitur inter ea, quorum vnum potest esse sine altero, dummodo non sit repugnantia ab extrinseco, & vnum non dependat essentialiter ab altero, & non sint relatiua; dicitur dummodo non sit repugnantia ab extrinseco, quia substantia, & accidens distinguuntur realiter, similiter cælum, & eius motus, tamen vnũ non potest esse sine altero propter ordinem, & conseruationem vniuersi; dicitur & vnum non dependet essentialiter ab altero; quia relatio, & fundamentum realiter distinguuntur, tamen relatio non potest esse sine fundamento propter essentialem dependentiam; dicitur, & non sint relatiua, quia Pater, & Filius distinguuntur realiter, tamen non possunt separari ad inuicem in ratione relatiui.

Distinctio formalis est inter duas formalitates, quarum neutra includit alteram, vt in homine animal, & rationale sunt duæ formalitates, vel inter rem, & formalitatem, vt inter subiectum, & passionem.

Distinctio essentialis est inter ea, quę habent diuersas essentias, & naturas; vt inter hominem, & leonem, &c.

Distinctio se totis subiectiuè est inter ea, quæ non conueniunt in aliquo subiecto, vt albedo Petri distinguitur hoc modo ab albedine Francisci, vel inter ea, quæ non conueniunt in aliqua realitate potentiali, nempe contrahibili per realitatem differentiæ, vt Deus, & creatura.

Di-

Distinctio se totis obiectiuè est inter ea, quæ non conueniunt in conceptu entis quidditatiuè, vel inter ea, quæ in nullo conceptu, siue limitato, siue trascendenti quidditatiuè conueniunt, vt passiones entis, & omnes vltimæ differentiæ.

Notandum. Quod septem sunt identitates respondentes omnibus prædictis distinctionibus; prima identitas est rationis, quæ nullam admittit distinctionem, vt Petrus sic est idem sibi ipsi, quod nec etiam per intellectum a se ipso distinguitur; identitas ex natura rei est inter illa de quibus non possunt verificari prædicata contradictoria secluso opere intellectus, vt inter hominem, & hominem.

Identitas realis est inter ea quorum vnum non potest existere sine altero ex repugnantia intrinseca vt inter subiectum, & passionem.

Identitas formalis est inter ea, quorum vnum includit alterum in sua ratione formali, vt homo includit animal in sua ratione formali, sed non è contra; quia concipitur animal sine homine.

Identitas essentialis est inter ea, quæ conueniunt in essentia: licet tamen inter se realiter distinguantur, vt Petrus, & Paulus.

Identitas se totis subiectiuè est inter ea, quæ in aliquo subiecto singulari conueniunt, vt albedo, & dulcedo in lacte, vel in aliquo genere, vt homo, & equus, in animali.

Identitas se totis obiectiuæ est inter ea, de quibus potest prædicari aliquod prædicamentum quidditatiuum, vel inter ea, quæ conueniunt in aliquo prædicato in quid, vt Deus, & creatura conueniunt in ente in quid, similiter substantia, & accidens in ente, homo, & plancta in substantia.

Notandum, quod quot modis dicitur distinctio, & identitas, tot modis dicitur totum.

QVAESTIO I.

An Compositum, seu totum Physicum realiter distinguatur à suis partibus?

IN hac quæstione non loquimur de toto vniuersali, nec de toto per accidens, nec de toto per aggregationem, quia de istis cócedit Scotus, quod sint suæ partes; nec etiam loquimur de toto Metaphysico, quod tantum distinguitur à suis partibus ex natura rei; sed de toto essentiali Physico cópositó ex materia, & forma: partes sumuntur vnitæ, non vero diuisæ, quia sic non est totum pro qua sit.

Concl. Totum Physicum substantiale est realiter distinctum à suis partibus, simul sumptis, & vnitis; est Scoti 8. Meth. q. 4. & in 3. dist. 2. q. 2. & quamplurium; contra aliquos Tomistas, & Recentiores substinentes totum nihil aliud esse nisi partes vnitas, & sic totum non est alia entitas secundum se, nisi entitas illarum partium vnitarum. Probatur ex primo Physicorum vbi habetur, se toti vni vtraque est veluti indiuisibile quam, & ipsæ sibi ipsis; idest si totum esset idem cum

suis

suis partibus, vel si partes sint vnum toti, ergo tunc essent eadem inter se idest essent sibi ipsis idem, & 8. Meth. tex. 15. totũ nõ est partiũ coaceruatio, sed est aliquod aliud præter partes, & 2. de Anima tex. 2. Philosophus diuisit substantiam in materiam, formã, & compositum, ergo compositum distinguitur à materia, & forma.

Secundo ratione, quandocunque sunt aliqua duo, quæ sic se habẽt quorum vnum est causa alterius, tunc illa inter se realiter distinguuntur; quia inter causam, & causatum reale datur distinctio realis, sed materia, & forma vnitæ causant totum substantiale ergo, inter illas, & totum, datur distinctio realis minor probatur, nam materia, & forma, vt vnitæ vere sunt causæ, quia vt diuisim non sunt causæ, ergo aliquod causant, sed non causant, nisi compositum physicum, ergo.

Respondent, quod maior est vera in causis extrinsecis, quæ producunt effectum, & extra ipsum manent, tamen non est vera in causis intrinsecis, quæ remanent in effectu, quę constituunt, & causant. Sed

Contra causa, vt causa indifferens ad causam intrinsecam, & extrinsecam verè influit in aliud, idest in effectum, ergo talis effectus dicit alietatem in natura ab illis causis; consequentia patet. Item relatio realis exigit extrema realia realiter distincta, vt patet in disput. de relatione, sed inter causas intrinsicas, & totum productum est relatio realis ergo.

Item causæ intrinsicæ vnitæ, vel aliquid causant, vel nihil; si secundum ergo non sunt causæ si primum, & nõ causant seipsas, vt patet, ergo causant aliquod distinctum realiter ab eis.

Tertio illa distinguũtur realiter quorum vnum potest esse separatum ab alio, sed materia, & forma possunt separari à toto, ergo, &c. Maior patet ex regula distinctionis realis.

Si dicunt, quod maior est vera si ambo extrema manent, sed quia totum non manet separatum à partibus ideo.

Contra accidens realiter distinguitur à substantia, sed naturaliter non manet sine ea, ergo, &c. Item si totum non potest manere separatum à partibus hoc est propter dependentiam essentialem, relatio enim prædicamentalis licet realiter distinguatur à fundamento, vt in propria disputatione, tamen nõ potest manere separata à fundamento. Pater in ratione patris licet realiter distinguatur à filio, tamen non potest manere sine filio, ergo idem dicendum de composito substantiali in ordine ad partes intrinsecas vnitas.

Quarto, totum substantiale est adęquatus terminus generationis, & corruptionis, quia est illud, quod generatur, & corrumpitur, ergo est aliqua substantia distincta à materia, & forma; consequentia patet, quia terminus generationis, & corruptionis substantialis debet esse substantia.

Respondent, quod totum substantiale est terminus generationis, & corruptionis substantialis, secundum coniunctionem, & dissolutionem partium; ex 7. Meth. 27. vbi Arist. habet totũ fieri per hoc, quod forma fit in materia,

teria, siue per hoc, quod sit copulatio formæ in materia, sed

Contra vnio partium non est nisi respectus, sed per respectum nihil per se cōstituitur in genere absoluto, nec per se generatur, nec per se corrumpitur; ergo totum cum sit quid absolutum non est tale per respectum, nempè quia forma vnitur materiæ, totum enim licet præsupponat vnionem, tamen non est talis vnio, sed quid absolutum causatum ab illis partibus vnitis Arist. licet ibi dicat formam generari in materia, tamen propter hoc nō vult dicere, quod illa vnio sit terminus generationis, sed quod terminus generationis sit compositum resultans ex vnione formæ in materia, & est diuersa substantia ab ipsis.

Quinto terminus corruptionis substantialis est destructio alicuius substātiæ, sed datur aliqua corruptio substantialis, cuius terminus non sunt partes, sed totum, ergo signum est, quod totum est distinctum ab illis maior patet, minor probatur, nam in morte hominis Anima non corrumpitur, nec corpus, quia post mortem manet integrum, ergo, &c.

Respondent, quod essentia compositi est forma in materia, ideo cùm separatur forma à materia corrumpitur essentia compositi, & consequenter dicitur terminus corruptionis, sed

Contra formam generari in materia est formam vniri materiæ, sed vnio quæcunquè sit est accidens, ergo, &c. Minor patet; nam hæc vnio licet extrinsicè sit substantialis, tamen intrinseca est accidens, vt supra dictum est.

Sextò. Quod realiter à parte rei conuenit toti, non potest à parte rei attribui partibus etiam vt vnitis, ergo partes vnitæ non sunt totum; antecedens probatur; nam totum, vt totum est vnum vt vnum, & fundat vnitatem identitatis; partes vt vnitæ sunt plures vt plures, & fundant vnitatem vnionis. Item totum vt totum dicit absolutum, partes vt vnitæ dicunt respectiuum ergo partes vt vnitæ non sunt totum. Item operationes sunt simpliciter totius, & non partium; ergo.

Respondent, quod totum præter partes includit vnionem substantialem, quæ est modus substantialis absolutorum, & sic totum nihil aliud est, nisi illæ partes cum illa vnione substantiali, & consequenter non est quid distinctum à partibus vnitis, sed

Contra entitas realis totius est substantia per se subsistens, ergo totum non addit modum substantialem præter partes, quia modus non est per se subsistens. Item à causis per se non fit modus, sed vnum per se substantiale, sed materia, & forma vnitæ sunt causæ per se, ergo, &c.

Respondent aliqui ex nostratibus partes vt in fieri, & in via non sunt totum, sed vnitæ in facto esse, & vt transactæ sunt totum, & sic totum distinguitur primo modo, non secundo modo, sed

Contra. Implicat causam vt causam fieri effectum, ergo implicat partes, vt partes fieri totū, quia partes sunt causæ totius. Item causæ intrinsicæ differunt ab extrinsecis, quia illæ manent in

in causato in fieri, & in facto esse, istæ verò tantum in fieri non in facto esse, ergo intrinsicæ causæ semper sũt influentes ad causandum totum, nec tales causæ sunt totum, quia nunquam causa est sui ipsius causa, nunquam natura est habens naturam.

Obijc. primò. Ex 4. Physicorum 8. totum nihil aliud est, quam partes, & primo Physicorum 21. non inconuenit multa esse vt totum, & partes, & Augustinus de Ciuitate Dei capite 3. homo nihil aliud est, nisi Anima, & Corpus. Athanasius in Symbolo habet Anima rationalis, & caro vnus est homo, ergo ex istis auctoritatibus colligitur, quod compositum substantiale nihil aliud est, nisi suæ partes.

Resp. Neg. consequentiam; nam illæ locutiones non sunt accipiendæ in sensu formali, & per identitatem, sed intelligendæ sunt de prædicatione per continentiam, vt totum nihil aliud cõtinet intrinsicè, nisi partes essentiales, & hoc modo similiter respondetur ad alia loca.

Obijc. secundò. Ex Damasceno, verbum nunquam dimisit, quod semel assumpsit, sed si humanitas diceret tertiam entitatem, tunc verbum illam dimisisset in morte Christi; quia illa verè fuit corrupta, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam Damascenus locutus fuit de partibus essẽtialibus, scilicet de Anima, & Corpore; non autem de toto, siue de tertia entitate resultante ex illis; Verbum enim verè dimisit illam in morte Christi cum verè fuit corrupta, ideo, &c.

Obijc. tertiò. Omne absolutum, quod est res, potest esse sine eo à quo distinguitur realiter, saltem per diuinam potentiam; sed totũ esset huiusmodi, vt patet ergo, potest esse sine illis, quod implicat; nam implicat hominem esse sine Anima, & Corpore.

Resp. Disting. mai. omne absolutum prius, & quod non dependet essentialiter concedo, absolutum posterius, & quod essentialiter dependet nego; nam totum essentialiter dependet à partibus, & est posterius illis; ideo nec potest esse, nec concipi sine illis cum sint de eius essentia, &c.

Dices. Accidens essentialiter dependet à substantia, & est posterius ipsa, sed potest ab ea separari saltem per diuinam potentiam, ergo similiter totum à partibus quod implicaret,

Resp. Neg. Consequentiam, ratio disparitatis est, quia accidens non dependet a substantia vt à causa intrinseca sicut compositum dependet à partibus, sed in genere causæ materialis extrinsecæ solum, & ideo non potest simpliciter appellari depẽdentia essentialis, sed tantum secundum quid; dependentia compositi dicitur essentialis simpliciter.

Obijc. quarto. Si totum distinguitur realiter à partibus vnitis vel distinguitur ab eis secundum se totum, vel secundum aliquam sui partem, non primum quia sic secundum omnes partes suas distingueretur ab omnibus partibus suis, quod implicat, nec secundum, quia tũc secundum vnam sui partem distingueretur realiter ab omnibus partibus suis, quod etiam implicat; quia etiam illa pars inuoluitur

uitur in omnibus illis partibus.

Resp. Quod totum distinguitur à partibus suis vnitis secundum se totum cathegorematice sumptum; quia hoc totum se ipso est distinctum à suis partibus, nec ex hoc sequitur illud absurdum, quia tunc fit transitus à toto cathegoramatice sumpto, ad totum sincathegoremace, quod supponit pro toto, & pro qualibet parte totius.

Dices. Hoc totum, vel est aliquid additum materiæ, & formæ illas excludendo a sua entitate, vel illas includendo, non primum, quia tunc esset entitas simplex, nec secundum, quia tunc distingueretur ab illis, quia quod includit aliquod non distinguitur ab illo, ergo, &c.

Resp. Concedendo secundum membrum, quando dicitur, ergo non distinguitur ab illis; dicimus negando Consequentiam, nam valet consequentia si diceremus hanc tertiam entitatem secundum se totum sincathegorematicæ distingui à partibus inclusis, quod non asserimus, &c.

Dices. Distinctio secundum se totum cadit inter ea, quorum vnum non includit alium, ergo totum cum includit partes, non distinguitur ab illis secundum se totum; Antecedens patet; nam entia disparata, ideo se totis distinguuntur, quia vnum non includit alium, ergo.

Resp. Neg. Antecedens, vniuersaliter loquendo; nam etiam compositum secundum se totum distinguitur à partibus, quatenus formaliter, & realiter non sunt partes, & includit illas, & non è cõtra, sumẽdo cathegorematice.

Obijc. quinto. Totum includit partes, ergo non distingitur à partibus. Consequentia patet, quia includens non distinguitur ab incluso.

Resp. Dist. consequens, non distinguitur à partibus essentialiter concedo; realiter nego, nam sic includens distinguitur ab incluso.

Dices. Partes essentialiter, & intrinsicè sunt in toto, ergo non distinguuntur realiter ab illo. Consequentia patet, nam partes essentiales non distinguuntur realiter ab eo cuius sunt essentia, ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens partes intrinsicè sunt in toto per continentiam concedo; per identitatem nego, nam, &c. vel nego consequentiam ad probationem distinguo antecedens partes essentiales Metaphysicę concedo, Physicæ nego; nam essentialia Metaphysica, vt sunt genus, & differentia tantum ex natura rei sunt distincta ab eo cuius sunt essentialia, quia sunt realitates: essentialia Physica causant effectum distinctum, quia sunt res, & res, ideo, &c.

Dices. Materia, & forma sunt tota essentia totius, ergo totum non est aliud ab eis.

Resp. Dist. antecedens, in recto, nego, in obliquo, concedo; nam materia, & forma non sunt essentia totius in recto, sed in obliquo, idest continentur in essentia totius.

Obijc. sextò. Si sic, ergo ex coniunctione entitatis totius, & entitatis partiũ fieret aliud compositũ, & sic in infinitũ; sequela sequitur, quia ex vnione rerum distinctarũ consurgit cõpositũ-

N *Resp*.

Resp. Neg. sequelam ad probationem dicimus, quod compositum dum superadditur partibus, non dicitur illis vniri, quia vnio versatur inter partes, non inter partes, & totum; ideo illa tertia entitas non debet dici illis vniri, sed ex illis constitui.

Dices. Si entitas totius, non informat partes, ergo faceret aggregationem cum ipsis.

Resp. Neg. consequentiam, nam sicut non facit compositionem, quia non est pars, ita nec facit aggregationem, sed est entitas resultans ex illis partibus.

Dices. Ergo faciet ens per accidens, sequela probatur, nam quod aduenit enti in actu facit cum eo ens per accidens, sed hæc entitas totius ponitur aduenire materiæ actuatæ per formam, ergo, &c.

Resp. Neg. sequelam ad probationem dicimus, quod entitas totius non aduenit enti in actu, sed est vltima actuatio sine ipsa entitate totius.

Obijc. septimò. Totum physicum est diuisibile, sed non est diuisibile nisi in materiam, & formam, ergo nihil aliud est nisi materia, & forma vnitæ; consequentia sequitur, quia nihil amplius est præter ea ex quibus est, &c.

Resp. Dist. consequens, secundum continentiam concedo; secundum identitatem nego; nam secundum identitatem est aliud ab illis, non per separationem, sed per solam distinctionem realem.

Obijc. octauò. Si totũ differret realiter à partibus, tunc corrupto toto non rediret idem resumptis partibus per resurrectionem; sed hoc est falsum ergo, sequela maioris probatur; nam mutationes nouæ realiter distinctæ, & à causis distinctis habent etiam distinctos terminos, sed generatio, & resurrectio sunt duæ mutationes, vna naturalis, & alia supernaturalis, ergo, &c. falsitas patet, nam Christus ante mortem, & post resurrectionem semper fuit idem, ergo melius est dicere, quod totum non sit aliud, nisi vnio partium, quia sic essent diuersæ vniones.

Resp. Neg. sequelam maioris, ad probationem dicimus, quod si totum sit realiter distinctum à partibus etiam redit idem per nouam vnionem partium; nam non est nisi constitutum ex partibus, & sicut partes sunt ante mortem, & post resurrectionem, ita, & totum, &c.

Dices. Mutationes distinctæ habẽt distinctos terminos, sed in casu essent duæ mutationes, ergo, &c. & consequenter totum corruptum, non rediret idem.

Resp. Dist. minorem, essent duæ mutationes respectu agentis, concedo respectu eorum, quæ sunt intrinsecè res; nego, nam ex eadem materia, & forma redit idem, quod prius, esto agens non sit idem, &c.

Quæritur primò. An partes vnitæ possint concipi sine toto.

Resp. Neg. quia talis conceptus esset diuisiuus; nam sicut duo alba similia non possunt esse sine relatione similitudinis, ita partes vnitæ sine toto, & licet Deus possit impedire effectũ causarum extrinsecarum, non tamen intrin-

intrinsecarum: potest tamen præcisiuè, nempe possunt concipi non concepto toto, &c.

Quaeritur secundò. An distinctio realis totius, & partium debeat esse mutua.

Resp. Aff. est Scoti, vbi supra, contra aliquos ex nostratibus, nempe Trombettam probatur distinctio realis inter causam, & effectum est mutua; sed distinctio totius, & partium est sic ergo, &c. dicitur enim distinctio mutua inadæquata.

Dices. Partes possunt esse sine toto, non tamen totum sine partibus, ergo talis distinctio realis est non mutua.

Resp. Neg. consequentiam, nam ad distinctionem realem mutuam sufficit, quod extrema sint res, se habentes, vt causa, & effectus; vel quod vnũ sit extra rationem realem, & complexum alterius, quod sic est in casu; id quod dicitur in antecedente potius est necessarium ad inferendum mutuam separabilitatem inter illa, nõ vero mutuam distinctionem realem, vel dicimus, quod quæstio non est de distinctione reali inter totum, & partes per se sumptas, sed inter totum, & partes vnitas, & ideo sicut totum non potest esse sine partibus, ita partes vnitæ sine toto, vt supra.

QVAESTIO II.

An totum integrale distinguatur à suis partibus.

TOtum integrale est duplex scilicet continuum, & discretum; continuum est duplex nempe permanens, & successiuum: totum integrale permanens, est etiam duplex scilicet homogeneum, & etherogeneum, quęstio intelligitur de quolibet toto integrali num distinguatur realiter à suis partibus integralibus pro qua sit.

Concl. aff. Est Scoti in 2. dist. 16. quæst. vnica. Contra omnes Auctores, qui in præcedente quæstione negant talem distinctionem inter totum essentiale, & partes, contra etiam aliquos antiquiores Scotistas asserentes totum integrale esse idem cum suis partibus.

Probatur primò. Ex 5. Meth. tex. vltimo, vbi ait syllabam, Ba, nõ esse, B. & A; sed esse quid distinctum ab ipsis, & 5. Meth. 19. de toto discreto, sex non est bis ter, sed semel sex, & 8. Meth. 15. omnium quæcunque plures partes habent non est totum quasi coaceruatio, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes, ergo quodlibet totum integrale distinguitur realiter à partibus.

Secundò. Idem non potest esse cõponens, & compositum, causa, & causatum, sed totum integrale est compositum, & causatum, partes integrales sunt componentes, & causæ, ergo, &c. Item omnis effectus physicus distinguitur realiter à suis causis, vt patet de toto essentiali, sed totum integrale est huiusmodi, ergo, &c. Minor patet, quia totum integrale resultat ex illis partibus, sicut totum essentiale, ergo, &c.

Tertiò. Totum integrale componitur ex partibus, tunc sic vel illud

totum supponit pro aliquo distincto à suis partibus, vel supponit pro ipsis, si primum, ergo habetur intentum, si secundum ergo idem componeretur ex se ipso, idest partes ex partibus, quod est falsum ergo. Item non differret à toto per aggregationem; vel per accidens, quod dicit solam vnionem.

Quartò. Patet de toto discreto; nam si numerus ternarius non esset nisi tres vnitates, tunc non differet specie à numero quaternario, quod est falsum ergo, &c. Sequela maioris patet; nam esset eadem ratio vnitatum cum sola multiplicatione, quæ non facit differentiam specificam; sicut enim aqua non differt specie à minori aqua, ita terminus ternarius non differret specie à numero quaternario quod est falsum, ergo &c.

Obijc. primo. Pro toto continuo homogeneo. Si totũ integrale distingueretur à partibus tunc idem numero poterit bis reproduci; sed hoc est falsum ex 5. Physicorum 36. ergo, &c. Sequela maioris probatur; nam accipiatur aqua, & diuidatur in duas partes, tunc totum continuum est corruptum; si postea illę duæ medietates aquæ iterũ in eodem vase resumãtur, tunc erit eadem aqua, quæ prius erat cum sint eadem partes, & consequenter illa aqua erit bis producta, quod est falsum in Physica.

Resp. Disting. min. est falsum de corrupto per destructionem formæ substantialis concedo, de corrupto per solam diuisionem nego; nam in tali casu esset tantum per solam diuisionẽ continui, quod non est inconueniens iterum reproduci Arist. enim ibi loquitur de corrupto verè per destructionem formæ substantialis.

Obijc. secundò. Partes integrales nõ se habent sicut actus, & potentia, ergo non possunt causare vnum per se distinctum; Antecedens patet, nam manus, & caput potius se habent vt actus, & actus, quam vt actus, & potentia, ergo, &c. Consequentia sequitur quia vnum per se fit ex actu, & potentia, &c.

Resp. Disting. Antecedens, inter se comparatæ, concedo, in ordine ad aliud nempe ad tertium nego; nam partes integrales quamuis inter se cõparatæ sint in actu, tamen in ordine ad totum se habent vt potentia, & actus, brachium, vt potentia; manus vt actus; ideo, &c.

Dices. Ergo in quolibet continuo essent infinita tota, quia in ipso sunt infinitæ partes, quod est falsum, ergo.

Resp. Neg. falsitatem; nam essent infinita tota potentialia in ordine ad totum actuale, quod non est inconueniens.

Obijc. tertio. Pro toto discreto si sic ergo numerus quaternarius esset quinarius, consequentia patet; nam in numero quaternario sunt quatuor vnitates componentes numerum quaternarium; sed esset alia vnitas, nempe quaternarius distinctus ab illis, ergo, &c.

Resp. Neg. Consequentiam ad probationem dicimus, quod illa vnitas quaternarij; quod resultat non ponitur in numero, quia non quælibet vnitas addita alteri facit numerum de prędicamento quantitatis, sed solum vni-

tas quæ est per diuisionem continui, vel quæ est eiusdem rationis, vel materiæ,& si quatuor hominibus addatur alter homo, tunc in numero; in casu vero talis vnitas quaternarij, non causatur per diuisionem continui, nec est eiusdem rationis, quia est vnitas resultans ex illis ideo non numeratur, &c.

Obijc. quarto. Pro toto successiuo, quod non est,nec potest ab alio distingui, sed tale totum non est ergo, &c. maior patet; nam distinctio supponit esse, minor probatur; nam partes totius successiui sunt in fieri, seu simul sunt, & desinunt esse, ergo nec cōstituunt aliquod totum, & consequenter non est.

Resp. Disting. min. totum successiuum non est permanens, concedo, in fieri nego; nam totum successiuum est in fieri, ita vt semper sit aliqua pars succedens,aliter cōstaret ex indiuisibilibus, & sic eo modo quo est, sic distinguitur à partibus sicut sunt.

Finis Primi Libri.

LIBER

LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

Inuestigauit Arist. in primo lib. principia compositi naturalis, scilicet materiam, formam, & priuationem, nunc verò agit de eius natura, de causis, tàm intrinsecis, quàm extrinsecis, scilicet de causa materiali, formali, efficienti, & finali; deinde ad maiorem explicationem causarum per se agit de causis per accidens, scilicet de casu, & fortuna. Et nos sicut cum eo in primo libro considerauimus ipsamet principia corporis naturalis, ea diuidendo in Disputationes, & Quæstiones; sic etiam in hoc libro iuxta eius ordinem examinabimus Disputationes, & Quæstiones de natura, & de causis, &c.

Quæritur primò, quid est natura?

RESP. Est principium, & causa motus, & quietis, eius in quo est primò, & per se, & non secundum accidens, dicitur principium, & causa, quia idem significant, & vnum ponitur ad maiorem explicationem alterius, nam nō quodlibet principium est natura, sed tantum illud, quod est causa, sicut non quæuis substantia est homo, sed tantum illa, quod est viuens, & materialis, & ideo principium tollitur à ratione naturæ, quia non est causa motus, & quietis; dicitur motus, & quietis non collectiuè simul, sed successiuè, idest post motum sequitur quies, vel natura in aliquibus est principium motus, vt cælum semper mouetur, anima semper nutrit, & in aliquibus est principium quic-

quietis, vt terra in centro, ignis in sua sfera quiescit, dicitur eius in quo est, quia efficiens, & finis principia extrinseca motus non dicitur natura, quia essent principia, non in eo in quo sunt, vt ignis in aqua, quam calefacit, dicitur primo, quia aliqua accidentia sunt principia motus in eo in quo sunt, sed non primo, vt leuitas in igne, grauitas in lapide, dicitur per se, scilicet quatenus tale, quia artificialia habent principium, sed non quatenus talia, vt statua marmorea, est principium motus deorsum, non quatenus talis est, idest quatenus est opus artificiosũ, sed quatenus habet naturam, dicitur, & non secundum accidens, quia si medicus sibi ipsi medicatur, ars medendi licet sit in medico, tamen est principium recuperandæ sanitatis ipsius per accidens, quia accidit ei, vt infirmo esse medicũ; ita Arist. in hoc 2. tex. 3. &c.

2. *Quæritur*, quid est naturale.

Resp. Est illud, quod habet principium motus, & quietis per se primò, & non secundum accidens, vt statua licet habeat in se materiam, quæ est natura, non tamen dicitur res naturalis, quia in quantum est statua materia accidit illi, sicut accidit idolo lapideo tendere deorsum, & subdit postea Arist. qui tam natura, quam habẽs naturam sunt substantia, & c.

3. *Quæritur*, quid est ens secundũ naturam?

Resp. Est illud, quod inest alicui habenti naturam, vt proprietates, quæ insunt habenti naturã, vt crocitare in coruo, latrare in cane, &c.

4. *Quæritur*, quot modis potest sumi naturale?

Resp. Multipliciter primo prout opponitur supernaturali, & sic illud dicitur naturale, quod fit viribus naturæ: secundo prout opponitur libero, & sic est illud, quod est determinatum ad vnum, idest ad vnum modum agendi, vt intellectus ad intelligere, ignis ad ignire: tertio prout distinguitur ab artificiali, & sic est illud, quod habet in se principium motus, & quietis: quarto prout distinguitur à violento, & sic illud dicitur naturale quod est iuxta inclinationem, & illud, quod est contra inclinationem dicitur violentũ: quinto prout distinguitur à casu, & fortuna, & sic pluuia, & nix in hieme dicitur naturalis, quia vt plurimũ euenit: sexto pro eo, quod fit sine consilio, & sic operationes animæ vegetatiuæ dicuntur naturales, scilicet sine consilio factæ, vt nutrire, &c.

QVAESTIO I.

An definitio naturæ sit sufficienter tradita.

IN hac quæstione non sumitur natura pro quidditate, & essentia rei, quia aliqua habent talem naturam, scilicet essentiam, tamen in eo non est principium motus, & quietis, vt Deus; nec sumitur pro natiuitate, & origine, quia natiuitas transit, & res mouetur, & quiescit de nouo. Sed sumitur pro eo, quod est pars essentialis, & constitutiua rei naturalis, & quod est principium internum operationum, vt est materia, & forma in rebus corporeis; pro qua sit, &c.

Con-

Conclusio affirmatiua. Ita Arist. in hoc 2. tex. 3. & 5. Meth. capite de natura, est Scoti in 5. Meth. cap. de natura, & in 2. d. 2. q. 10. probatur, nam in hac definitione ponitur genus, & differentia, ergo, &c. antecedens patet, nam ponitur principium, & causa loco generis, quia idem in casu dicunt principium, & causa, vt dictum est, ponuntur cæteræ particulæ loco differentiæ, vt supra explicatum est, ergo, &c.

Secundo, hæc definitio explicat totam quidditatem naturæ, ergo est sufficienter tradita; antecedens probatur, nam duo sunt munera naturæ, scilicet costituere, & esse principium operationum, sed hæc explicantur per hanc definitionem, nam dicitur principium, & causa eius in quo est, quia constituit; dicitur motus, & quietis, quia est principium operationum, ergo, &c.

Obijc. primo. Nullum absolutum definitur per respectiuum, sed natura est quid absolutum, cum sit substantia, ergo male definitur per principiũ, quando est relatiuum.

Resp. Dist. maiorem, si absolutum non includit respectiuum, & sic concedo; si includit, & sic nego, nam natura includit principium, quod est respectiuum; vel secundo dist. min. fundamentaliter concedo, formalitèr nego: nam formaliter, natura est ens respectiuum, quia hoc modo est in eo, cuius est principium, & causa motus.

Obijc. secundò. Idem non est principium oppositorum, sed motus, & quies sunt opposita, ergo, &c. mai. patet, nam idem vt idem, non est natum facere, nisi idem; min. patet ex 5. Physicorum, &c.

Resp. Dist. mai. quando opposita non sunt subordinata concedo; quando sunt subordinata nego; nam motus ordinatur ad quietem, & ipsa quies est perfectio motus; vel secundo quando est determinata ad vnum effectum, concedo, vt ignis ad combustionem tantum, quando est indeterminata nego, nam Sol indurat, & liquefacit, ita dicendum de natura, quia dicitur principium motus, & quietis.

Dices. Natura est determinata ad vnum, ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens, ad vnum modum agendi concedo, ad vnum effectum nego, nam motus, & quies nõ sunt contrarij modi agendi, sed adæquatè pertinent ad naturam, quia mouetur, vt quiescat, vt si lapis est sursum debet moueri deorsum, vt ibi quiescat.

Obijc. tertiò. Quies est carentia motus, ergo non habet naturam, vt principium, & causa, consequentia patet, nam priuationes non habent causam effectiuam, sed potius defectiuam.

Resp. Dist. antecedens, quies formaliter est negatio motus, concedo; pro connotato, nego; nam quies pro connotato est quid positiuum, vt in generatione, est forma substantialis, in alteratione est qualitas, in augumentatione est quantitas, in motu locali est Vbi; diminutio, & corruptio sunt defectus, & per se non intenduntur à natura, vnde in istis natura est pure causa defectiua, &c.

Obijc. quartò. Hæc definitio non com-

competit omni contempto sub definito; ergo non est sufficienter assignata, antecedens patet, nam natura Cæli non est principium quietis, cum perpetuo moueatur, ex 8. Physicorum.

Resp. Neg. antecedens: Ad prob. quod ly motus, & quietis in definitione naturæ non intelligitur collectiue, sed disiunctiue, scilicet, vel motus, vel quietis; modo natura Cæli est tantum principium motus; vel secundo dicimus, quod natura Cæli est principium motus, & quietis eo modo, quo conuenit quiescere ipsi Cælo, nam Cælum nunquam mouetur, de vno toto loco, ad alium totum locum distantem, & sic quiescit. Vel tertio melius dicimus quod Cælo ex se non repugnat quies, nam habet aptitudinem ad quietem, tamen hæc aptitudo non reducitur ad actum, & hoc est propter bonum Vniuersi, quod semper moueatur ab intelligentia, & ideo talis aptitudo, & potentia non dicitur frustrà, &c.

QVAESTIO II.

An Principium in definitione naturæ, intelligendum sit de principio actiuo, vel passiuo.

Principium actiuum est principium transmutandi aliud in quantum aliud, idest est principium agendi in aliud, vt ignis agit in aquam, & ipsam transmutat ex non calida facit calidã. Principium passiuũ est principiũ transmutandi ab alio, idest est illud per quod aliquod est natum moueri tali motu, & quiescere tali quiete à quocunque fiat ille motus; principium actiuum est duplex, scilicet extrinsecum, vt ignis respectu combustionis ligni, & intrinsecum, vt anima in viuentibus respectu augumentationis, & motus localis, vt patet, forma in aliquibus est principium actiuum, vt anima in patre, ad generationem filij; in aliquibus est principium passiuum, vt forma in lapide ad moueri deorsum, nam talis motus non solum est à materia, quia tunc ignis haberet descendere deorsum, quod est falsum, sed à forma, nempè grauitatis, quia inclinat ad motum deorsum, pro qua sit.

Prima Conclusio. Principium in definitione, intelligitur de principio passiuo, non actiuo, est Scoti in 2. d. 2. q. 10. & d. 18. q. vnica, & alibi contra Albertum, Enricum, qui volunt naturam dici tantum de principio actiuo, & contra ferè omnes, præsertim Conimbricenses, Ruuium, asserentes naturam dici tum de principio actiuo, tum passiuo; probatur ex Arist. 2. Phys. tex. 5. vbi Philosophus declarat, quæ sunt illa, quæ sunt secundum naturam, ait secundum naturam sunt & hæc, & quæcumque his insunt, secundum se, idest sunt illa, quæ insunt rebus secundum principium passiuum, & exemplificat de igne, vt ignis ferri sursum, non enim ait ferre sursum; ergo ex his apertè habetur, quod natura dicitur de principio passiuo. Ità tex. 71. quærit discrimen inter mouentia naturaliter, & non naturaliter, ait, quod mouentia mota sunt physicæ considerationis, mouentia non mota non sunt physicæ consideratio-

 nis:

nis: ergo signum est, quod natura prout spectat ad physicum est principium passiuum.

Secundò. Ratione, illa mutatio dicitur naturalis, in qua passum mutatur, secundum quod est aptum natum mutari, licet à quocunque agente id fiat, sed cum passum moueatur ad aliquam formam, quam potest suscipere, & ad quã inclinat, id semper est propter principium passiuum, ergo dicitur de principio passiuo; maior patet ex 8. Physicorum 41. quæ seipsis mouentur, & quæ ab alio mouentur, possunt moueri naturaliter, & violenter, naturaliter, si secundum quod mobile natũ est moueri; violenter, si contra inclinationem mobilis; ergo à principio passiuo est motus naturalis; min. patet, nam lapis à quocunque principio moueatur naturaliter, semper mouetur deorsum.

Tertiò. Illud principium in motu habet rationem naturæ, quod est internum, & necessarium, sed huiusmodi non est principium actiuum, ergo principium actiuum non est natura, mai. patet, nam natura est principium motus eius in quo est primo, & per se, ergo, &c. Min. probatur, nam principium actiuum ex sua natura est externum, & potest à Deo suppleri, ergo non est intrinsecum, & necessarium.

Quartò. Natura est principium motus, & quietis eius in quo est primo, & per se, & non secundum accidens, sed impossibile est, principium actiuum motus esse in motu primo & per se, ergo principium actiuum motus non potest dici; minor patet, nam mouens separatur à mobili, ergo mouens non est eius in quo est primo, & per se, & licet aliquando concurrant in eodem, tamen hoc accidit, & non per se. Item si forma, prout est natura, esset principium actiuum, ergo eis motus proueniens ab ea, erit naturalis, sed hoc est falsum, ergo, &c. sequela patet, nam motus dicitur naturalis à natura; falsitas etiam patet, nam motus naturalis saltantis est violentus, & contra naturam, ex 8. Physicorum; & tamen actiuè prouenit ab anima, quæ est natura, ergo, &c.

Obyc. primo. Anima est natura, sed est principium actiuum, nam actiuè se habet respectu operationum vitalium, ergo similiter natura.

Resp. Disting. mai. anima est natura, vt principium actiuum, nego; vt passiuum, concedo; nam anima, vt actiua dicitur agens naturale, vel violentum; vndè si mouet iuxta inclinationem passiuam dicitur agens naturale; si mouet contra inclinationem, dicitur agens violentum.

Dices. Actiones vitales animæ sunt naturales, sed illæ sunt ab anima tanquam à principio actiuo, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. sunt naturales, quia sunt à principio actiuo, nego, quia producuntur à principio actiuo, iuxta inclinationem passiuam, concedo; nam, &c.

Obyc. secundo. Si motus esset naturalis à principio passiuo, ergo omnis motus esset naturalis; sequela patet, nam omnis motus habet principium passiuum in illo, quod mouetur, puta materia, quæ est capax omnium mo-

motuum, ergo, &c.

Resp. Neg. sequelam. Ad prob. dicimus, quod motus naturalis non est à principio passiuo indeterminato, vt est materia præcisa à forma, sed est à principio passiuo determinato, quod inclinat intrinsecè ad hunc motum, & tale est forma, & materia sub forma; natura enim non est sola capacitas motuum, sed naturalis inclinatio, & determinatio ad hunc motum.

Obijc. tertiò. Ex 2. Phys. 4. naturalia differunt ab artificialibus, quia illa habent in se principium motus, ista non, sed in artificialibus principium est extrinsecè actiuum, ergo in naturalibus principium est intrinsecè actiuum.

Resp. Neg. consequentiam; nam Arist. in illo loco, intelligit de principio passiuo, quod reperitur in naturalibus, non vero in artificialibus; nam artificialia, in quantum talia non habeant in se principium passiuum, inclinans ad talem incisionem, sicut naturalia, ideo, &c.

Dices. Si Ars factiua nauis esset in ligno ageret, sicut natura agit in eo, in quo est; ex eodem Arist. t. 86. ergo Arist. supponit naturam esse actiuam, quia agit, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam Arist. ibi intelligit de natura, prout contra distinguitur ab agente libero; nempè intelligit de agente naturali, non de natura, quæ est intrinseca rei, & prout hic definitur, &c.

Obijc. quarto. Actio est naturalis à principio actiuo, sed dicitur naturalis à natura, ergo natura est principium actiuum. Mai. patet, nam ignire in igne est actio naturalis, quia non est violenta, sed dicitur ignire, prout venit ab igne actiuè, ergo, &c.

Resp. Neg. mai. ad prob. distin. mai. ignire in igne est naturale, prout distinguitur à libero, concedo; prout distinguitur à violento, & artificiali, nego; nam naturale dicitur illud, quod est iuxta inclinationem passi, & est principium motus, & quietis, &c. Vel secundo illa actio vt actio est, est à principio actiuo, vt naturalis, est à principio passiuo, idest ab inclinatione, idest producitur actiuè iuxtà inclinationem, &c.

Dices. Sicut actio est ab agente, ita motus à mouente, sed actio est ab illo actiuè, ergo motus est à mouente actiuè, &c.

Resp. Quod sicut naturalitas actionis est à natura, non ab agente, ita naturalitas motus est à natura, idest ab inclinatione passi, non à mouente, &c.

Dices. Violentum est, cuius principium est extra, non conferente vim passo, ex 3. Ethic. cap. 1. idest passo non concurrente per actionem, ergo per oppositum naturale est, cuius passum concurrit agendo, ergo, &c. Item Scotus in 4. d. 43. q. 4. litteris A. B. habet naturalitatem pertinere ad principium actiuum, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam illa auctoritas sic explicatur à Scoto, violentum, &c. non conferente passo vim, idest inclinationem ad talem formam; in naturalibus verò passum confert vim, nempe inclinationem. Ad aliud dicimus quod Scotus ibi loquitur de natura, prout distinguitur ab

agente libero, seù à proposito, ideo, &c.

Obijc. quintò. Cui competit definitio naturæ, de eo dicitur natura, sed principio actiuo competit definitio naturæ ergo, natura etiam dicitur de principio actiuo; min. probatur; nam forma ignis quatenus est principium actiuum motus sursum, est principium in eo in quo est primo, & per se, & non secundum accidens, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod forma ignis, vt natura est, & causa formalis, non mouet actiuè, sed tantum inclinat ad sic moueri, & non aliter; vt vero est quo efficientis, sic est agens, non natura; nam actiuitas non est necessaria ratio intrinseca motus in eo in quo est, sed efficiētia motus, &c.

Dices. Natura est principium, & causa motus, sed causa dicit actiuitatem, ergo similiter natura, &c.

Resp. Dist. min. causa efficiens concedo, causa quæ est natura, nempe materialis, & formalis, nego, nam, &c.

Dices. Forma dat esse, ergo agit, &c.

Resp. Dist. antecedens, dat esse informando, vel intrinsecè componendo concedo, actiuè agendo, vt natura, nego, nam, &c.

Not. Naturalitas prout distinguitur à libero respicit agēs, prout distinguitur à violento respicit subiectum, de quo loquimur in hac quæstione, &c.

QVAESTIO III.

An materia, & forma sint natura.

MAteria, & forma considerantur dupliciter primo absolutè, & secundum se, alio modo prout sunt in composito, & ipsum constituunt; primo modo nō dicuntur natura, quia eis sic non conuenit esse principium eius in quo sunt, quia sic sunt extra cōpositum, possunt tamen dici natura in potentia, non in actu; secundo modo dicuntur natura: Item materia non dicitur esse principium passiuum motus secundum illam vniuersalem potentiam, qua est capax omnium formarum, (vt multi ex Aduersarijs intelligunt) quia tunc nullus esset motus violentus; sed quatenus illa potentia indeterminata materiæ determinatur à forma, & hoc modo dicitur natura; vt v. g. materia existens in lapide, vt est substantia quædam passiua, quæ potest recipere, & passiuè causare, non solum motus ipsi lapidi conuenientes; sed etiam motus non naturales, aut contrarios, vt motus calefactionis, motus sursū, & alios huiusmodi, qui non sunt secundum inclinationem formæ lapidis, non dicitur natura; sed dicitur natura prout est substantia passiua determinata à forma lapidis ad recipiendos, & passiuè causandos motus ipsi lapidi conuenientes, vt est motus deorsum; his positis sit, &c.

Pri-

Prima Conclusio. Materia,& forma sunt natura prout sunt incõposito in sensu explicato; est Scoti in 2. d. 8. quæst. vnica; contra antiquos, qui dicebant solum materiam esse naturam; contra Zabarellam putantem, solum formam esse naturam; probatur ex tex. 21. & 81. vbi habetur; natura duplex est, alia quidem materia,& alia forma, ergo, &c.

Secundò. Ratione, materia, & forma prout sunt incomposito participant rationem naturæ,ergo prout incomposito dicuntur natura; antecedẽs patet, nam in definitione naturæ duo tanguntur scilicet, causalitas respectu motus, & causalitas respectu compositi naturalis,cuius sunt; sed tam materia,quam forma causant compositum, & ipsum intrinsecè constituunt,& causant motum, idest illi composito tribuunt inclinationem ad eius motum, vt patet de materia, & forma, prout in lapide, ergo, &c.

Secunda Conclusio. Materia, & forma vniuocè conueniunt in natura; est Scoti vbi supra contra Conimbricenses negantes, naturam dici vniuocè de materia, & forma; probatur, nam materia, & forma participant idem nomen, & rationem naturæ, ergo cõueniunt vniuocè in natura, antecedens patet, nam vocantur natura, vt in prima conclusione, & participant eius rationem, nam sunt principium motus, & quietis eius in quo sunt,nempe incomposito, ergo, &c.

Tertia Conclusio. Materia est natura dependenter à forma; & forma etiam dicitur natura aliquo modo dependenter à materia: Prima pars patet,nam materia non est natura secundum illam vniuersalem potentiam respectu omnium formarum,sed quatenus est determinata à forma, ergo dicitur natura dependenter à forma; secunda pars etiam patet; nam forma non est natura, nisi sit incomposito, sed est incomposito dependenter à materia, tanquam à comparte, ergo forma inesse naturæ aliquo modo dependet à materia, &c.

Obijc. primò. Contra primam conclusionem; natura est principium determinati motus, vt patet in textu,sed materia est principium indeterminati motus, quia ex se est indifferens ad motus, tum naturales,tum non naturales,tum violentos, ergo, &c.

Resp. Dist. min. materia est principium motus indeterminati secundum illa potentiam vniuersalem concedo; quatenus est coniuncta, & determinata à forma, nego; nam materia, vt est coniuncta cum forma,& cõstituit partialiter compositum,sic est principium determinati motus, quia sic intrinsecè inclinat ad determinatum motum,&c.

Dices. Materia præter receptionẽ formæ, nullum influxum habet respectu rei, & eius motus, ergo tota ratio naturæ est à forma, &c.

Resp. Neg. antecedens; nam materia præter receptionem formæ causat ipsam eductiuè,causat intrinsecæ compositum, vt altera pars, & est id ex quo motus; & si non præbet influxũ actiuũ, præbet tamen influxum passium, &c.

Dices. Ergo in vno composito essent

ſent plures naturæ, quod eſt falſum, ergo, &c.

Reſp. Neg. falſitatem; nam in cõpoſito duas eſſe naturas partiales, vt patet in textu, ſcilicet materiam, & formam; vnicam totalem, quæ reſultat ex materia, & forma, & dicitur quidditas compoſiti, quæ potius debet vocari habens naturam, quam natura, &c.

Obijc. ſecundò. Ex textu 10. & 15. ſolam formam eſſe naturam, ergo, &c.

Reſp. Ariſt. ibi intelligit de natura magis principali, non de natura ſimpliciter, vt eſt quid commune ad materiam, & formam, &c.

Obijc. tertiò. Contra ſecundam concluſionem, natura æque non conuenit materiæ, & formæ, ergo non dicitur vniuocè de eis; antecedens patet; nam materia dicitur natura per formam: Item forma dicitur magis natura, quam materia, ergo, &c.

Reſp. Neg. antecedens; ad prob. dicimus, quod licet materia, in ratione naturæ habeat aliquam attributionem ad formam; tamen ab eis poteſt abſtrahi conceptus principij, & in hoc conueniunt, & vt ſic eſt definita natura. Ad aliud dicimus, quod magis, & minus, perfectius, & imperfectius non tollit vnitatem generis, vt patet de animali reſpectu hominis, & leonis, &c.

Obijc. quarto. Contra tertiam concluſionem, ſi forma dependeret aliquo modo à materia ineſſe naturæ, ergo non eſſet magis natura, quam materia, quod eſt contra tex. 12. ſequela patet; nam forma ideo eſſet magis natura, quam materia, quia materia ineſſe naturę dependeret à forma, & non econtra, ergo ſi forma etiam dependeret à materia ineſſe naturæ, tunc non eſſet magis natura, &c.

Reſp. Neg. ſequelam. Ad prob. dicimus, quod ineſſe naturæ magis materia dependet à forma, quam forma à materia; nam forma ineſſe naturæ dependet à materia, quia non eſt actu naturæ, niſi ſit incompoſito, in quo dependenter à materia reperitur, tamen ex ſe eſt determinata, vt ſit potius huius compoſiti, quam alterius, & determinata ad motum conuenientem cõpoſito; materia verò ineſſe naturæ, non ſolum dependet à forma, tanquã à cõparte, ſed etiam cum ſit indifferens per ipſam formam determinatur, vt ſit natura potius huius, quam alterius compoſiti; & ita forma erit magis natura, quam materia, quia materia, in eſſe naturæ magis dependet à forma, quam forma à materia, &c.

Quæritur primò. An natura formaliter, & per ſe primo dicat materiam, & formam.

Reſp. Neg. patet, nam ſi natura formaliter ſit materia, & forma, ſequeretur, quod dum lapis quieſcit ſurſum, naturaliter quieſcit, quod eſt falſum; ſequela patet, nam lapis ita conſtat ex materia, & forma, dum eſſet ſurſum, ſicut dum eſt deorſum, ergo, &c. Item cælum verè mouetur naturaliter, ſed non conſtat ex materia, & forma, ergo natura formaliter, & per ſe primo non eſt materia, & forma; Item anima rationalis naturaliter vnitur corpori; ergo debet aſsignari principium talis vnionis naturalis, ſed tale principium non eſt ma-

materia, & forma, quia est spiritualis, ergo aliquid aliud erit principium motus naturalis, scilicet illa inclinatio passiua, &c.

Quaeritur secundo. Natura quid dicit formaliter, & per se primo?

Resp. Quod formaliter, & per se primo dicit illam inclinationem passiuam, secundum quam si mobile mouetur, naturaliter mouetur, si non mouetur secundum illam inclinationem; violenter mouetur; patet, nam illud formaliter est natura, per quod motus naturalis differt à violento, sed differt per talem inclinationem passiuam, nam dum lapis mouetur sursum, violenter mouetur, quia contra inclinationem, dum mouetur deorsum, naturaliter mouetur, quia secundum inclinationem, ergo, &c. Item sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis, sed negatio naturalis inclinationis facit motum violentum, ergo affirmatio naturalis inclinationis facit motum naturalem, & consequenter illa inclinatio erit formaliter natura; min. patet de lapide sursum, &c.

Not. materia, & forma non sunt natura formaliter, & secundum se, sed in quantum dicunt naturalem inclinationem; ideo forma dicitur magis natura, quia talis inclinatio magis prouenit à forma, quam à materia, &c.

QVAESTIO IV.

An omnis forma sit natura?

QVæstio non est de formis accidentalibus, cum clarum sit ipsas non esset naturas, vt patet ex tex. 4. vbi habetur, quod tam natura, quam habens naturã sunt substantia, & tex. 5. quæ insunt, non sunt natura, sed à natura; sed de formis substantialibus, quæ sunt in duplici genere, quædam educuntur de potentia materiæ, vt sunt formæ corporum simplicium, nempè elementorum, & mixtorum, scilicet lapidis, ignis: & formæ viuentium. vt anima vegetatiua, & sensitiua; quædam verò non educuntur de potentia materiæ, vt anima rationalis, his positis sit prima.

Conclusio. Omnis forma substantialis, quæ educitur de potentia materiæ est natura, est contrà simplicium. Auic. Albertum sustinentes omnes formas substantiales esse naturas, præter animam, quæcumque illa sit; probatur ex Arist. in initio huius libri, vbi habetur, natura quidem sunt, & animalia, & partes ipsorum, & plantæ, & simplicia corpora, vt terra, ignis, aer, & aqua, hæc enim, & huiusmodi natura esse dicimus, ergo formæ substantiales, tàm corporeum simplicium, quàm mixtorum inanimatorum, & animatorum sunt natura: Item in eodem tex. Philosophus enumerat inter motus naturales augumentationem, & diminutionem, & secundum locum mutationem. Sed hi motus proueniunt à formis viuentium, ergo formæ viuentium, scilicet anima vegetatiua, & sensitiua sunt natura.

Secundo. Ratione, definitio naturæ verè competit omni formæ, tam non viuentis, quàm viuentis, ergo, &c. antecedens patet de forma non viuentis, pro-

probatur de forma viuentis, nam est principium motus, & quietis eius, in quo est primo, & per se, & non secundum accidens, quia constituit, & est principium operationū, nam est actus corporis physici, potentia vitam habētis; est principium augumentationis, nutritionis, & ad quæ ipsa anima vegetatiua inclinatur; anima sensitiua est principium mouendi secundum locū, sentiendi, & ad quæ inclinatur, ergo, &c.

Secunda Concl. Anima rationalis est verè natura, etiam secundum gradum intellectiuum; est Scoti in 1. d.2.q.7 littera X, & in 2. d. 18. contra Boetium, Thomistium, Piccolomineum, & alios quamplures, qui volunt animam esse naturam secundum gradum vegetatiuum, & sensitiuum, non vero intellectiuum; probatur, nam ipsi animæ competit definitio naturæ. ergo est natura; antecedens probatur, nam anima prout est in homine, est principium motus, & quietis eius, in quo est, &c. nam constituit, & est pars intrinseca compositi physici, & est principium passiuum operationum in illo scilicet intellectionis, discursus, admirationis, risus, fletus, locutionis, & ad quæ ipsa anima inclinatur, ergo, &c. Item anima rationalis est forma hominis constituens vnum per se, quod est compositum habens naturam, sed homo ea ratione, qua homo est, est res naturalis: ergo eius forma, scilicet anima erit natura eius.

Obijc. primò. Contra primam conclusionem; natura est determinata ad vnum, ex 9. Meth. vt ignis ad motum sursum, terra ad motum deorsum; sed anima non est determinata ad vnum, nam mouetur ad omnem partem; Plantæ augentur in omnem partem, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. prout opponitur libero, concedo; prout opponitur artificiali, & est principium in eo cuius est, nego; nam, &c. Vel secundo natura corporum simplicium, & mixtorum non viuentium, concedo; mixtorum viuentium nego; nam corpora simplicia, & elementa, & mixta, vt lapis sunt determinata ad vnum; corpora vero mixta animata non sunt determinata ad vnum, & ideo eius forma dicitur natura, prout est principium motus in eo, &c.

Dices. Natura vt opponitur artificiali est principium motus physici, & est primo, & per se in eo, cuius est, scilicet constituit, & dat esse physicum, sed anima non est principium motus physici, nec dat esse physicum; ergo, &c. min. patet; nam anima est principium motus animastici, nō physici, nam supponit corpus physicum; est enim actus corporis physici organici, ex 2. de anima tex. primo; ergo anima non est principium, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod illi motus licet sint animastici, tamen non tollunt, vt non sint naturales, prout proueniunt à principio intrinseco eius in quo est; quando dicitur anima supponit corpus physicum, dicimus, quod licet anima supponat corpus physicum, quod est natura imperfecta, tamen quia dat esse perfectum vitæ naturalis, quod est natura perfe-

perfecta, ideo dicitur natura; nam est principium vitæ naturalis, & motus naturalis, scilicet augumentationis, generationis, &c.

Obijc. secundò. Corpora naturalia communiter distinguuntur à corporibus animatis, ergo anima non est natura; alioquin si esset natura, tunc corpora animata, quæ per illam constituuntur, essent naturalia, & consequenter non possent distingui à corporibus naturalibus, &c.

Resp. Dist. antecedens, corpora naturalia determinata ad vnum distinguuntur ab animatis, concedo; prout includunt principium motus, nego; nã anima non dicitur natura, prout natura est determinata ad vnum, quia sic habet motum spontaneum, sed dicitur natura, prout distinguitur ab artificiali, & prout est principium eius, &c.

Obijc. tertio. Natura est principium, quod primo, & per se inest mobili, sed anima non est huiusmodi, quia est in illo mediante forma corporis, ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ad prob. dicimus dist. illam propositionem anima est in corpore mediante forma corporis, concedo; in mobili, quod in casu est animal, nego; nam animal est illud quod mouetur motu generationis, augumentationis, & non corpus; anima enim primo, & per se constituit animal, ideo, &c.

Obijc. quarto. Contra secundam conclusionem, forma, quæ est separabilis secundum rem, non est natura, ex tex. 12. vbi Arist. docet illam tantum formam esse naturam, quæ non est separabilis, nisi secundum rationem, sed anima rationalis est separabilis secundum rem, vt patet in morte hominis, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. forma, quæ est separabilis secundum rem sine destructione compositi, non est natura, concedo; cum destructione compositi, nego; nam formæ separabilis primo modo sunt formæ extrinsecè, non informantes, sed tantum assistentes, vt intelligentiæ respectu cæli, nauta respectu nauis, auriga respectu currus, non sunt naturæ, sed forma separabilis, secundo modo est forma informans intrinsecè, vt anima rationalis, & non separatur sine destructione compositi; non enim potest esse homo sine anima rationali; ideò optimè dixit Arist. formam non esse separabilem, nisi secundum rationem; quia licet intellectus possit intelligere formam, quæ est natura, non intellecto composito, cuius est forma, non potest tamen tolli forma, quæ est natura, quin corrumpatur compositum, cuius est natura, &c.

Obijc. quinto. Anima non est principium motus naturalis, ergo non est natura; antecedens patet, nam anima rationalis est principium agendi liberè, ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens, prout distinguitur ab agente libero, concedo; prout distinguitur ab artificiali, & prout definitur hic, nego, nam, &c.

Dices. Anima est spiritualis, & insensibilis, ergo non est natura physica, cuius motus est sensibilis, &c.

Resp. Dist. antecedens, in se, conce-

do; prout est actus corporis, & informat, nego; nam vt est actus corporis dependet in operari à sensibus, & licet eius intellectus sit insensibilis, formaliter, tamen fundamentaliter est sensibilis, &c.

Obijc. sexto. Ex tex. 4. natura vel est subiectum, vel est in subiecto, sed anima non est subiectum, vt patet, nec est in subiecto, quia educeretur de potentia subiecti, ergo nullo modo est natura, &c.

Resp. Animam esse in subiecto, non ex quo educitur, sed in quo recipitur, & cum quo tamquam cum materia constituit compositum hominis, &c.

Quaeritur. An possit demonstrari, naturam esse?

Resp. Neg. patet ex textu 6. vbi Arist. docet, ridiculum esse tentare demonstrare esse naturam, & deinde subdit rationem, quia demonstrare manifesta per in manifesta est non potentis iudicare, ergo Arist. vult non posse demonstrare naturam esse, cum manifestum per immanifestum probari non possit. Secundo probatur ratione demonstratio est de re ignota, sed in Philosophia non datur aliquid notius existentia naturæ, quia est principium cognoscendi in scientia naturali, ergo, &c.

Dices. Quando aliqua causa habet aliquem effectum notum, potest demonstrare perillum effectum, sed natura est huiusmodi, quia habet motũ, qui est effectus notissimus, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. quando causa est ignota, concedo; quando est nota, nego; nam notum est, naturam esse, &c.

Dices. Ex Arist. 3. Physicorum, ignorato motu, ignoratur natura, ergo cognitio naturæ pendet ex cognitione motus.

Resp. Dist. antecedens, ignoratur natura quoad quid est, quod haberi nõ potest sine cognitione motus, qui ingreditur in definitione naturæ, concedo; quoad quia est naturæ, nego; de qua loquitur in præsenti, &c.

Dices. Arist. probat materiam esse, sed materia est natura, ergo natura demonstratur.

Resp. Quod aliud est probare naturam in communi esse, & aliud probare hanc, vel illam rem, quæ est natura; nos primum negamus, non secundũ quod Arist. probauit, &c.

QVAESTIO V.

An inter naturale, & violentum detur potentia neutra.

Sensus quæstionis est, an detur aliqua potentia, quæ nec sit naturalis, nec violenta, sed media inter ipsas, vel potentia naturalis, & violenta, ita sunt immediatè contrariæ, vt inter eas nihil mediat, &c. pro qua sit, &c.

Conclusio affirmatiua. Est Scoti q. 1. prologi, littera F. & in 2. d. 2. q. 6. & in 4. d. 46. q. 4. littera B. contra Thomistas omnes oppositum substinentes; probatur, datur susceptiuum alicuius actus, ad quem non inclinatur naturaliter, nec violenter, nec nulliter, ergo neuter; consequentia sequitur ex sufficienti partium enumeratione; antecedens

dens probatur; nam superficies v.g. est susceptiua albedinis, ad quam naturaliter non inclinatur, quia tunc esset violenter sub actu opposito, scilicet sub nigredine; nec violenter, quia tunc nõ quiesceret sub illa, sed propria virtute reduceretur ad nigredinem; nec nulliter, quia de facto superficies recipit albedinem, remanet vt habeat potentiã neutram, siue indeterminatam, qua respicit albedinem, & nigredinem; lignũ etiam non habet potentiam naturalem ad formam artis, quia ab illa non perficitur naturaliter, sed artificialiter; nec ad illam habet potentiam violentam, quia quiescit sub illa forma; nec etiam habet inclinationem contrariam, ergo habet potentiam neutram, &c.

Secundò. Quicquid sub vno opposito est naturaliter, sub alio opposito est violẽter, vt patet de lapide deorsum, respectu sursum, ergo quicquid ad vtrumque oppositorum non habet repugnantiam, quatenus opposita sũt, se habet ad illa, vt potentia neutra, &c. Item si non daretur potentia neutra: tolleretur indifferentia passi ad opposita, ergo, &c.

Obiic. primo. Inter contradictoria non datur medium, sed præbere inclinationem, & non præbere inclinationem sunt contradictoria, ergo, &c. sed quando subiectum præbet inclinationem, tũc potentia est naturalis, quando non præbet, est violenta, vt patet ex definitione violenti; ergo nulla datur potentia neutra, &c.

Resp. Dist. min. sunt contradictoria si ly non præbere inclinationem sumatur largè, nempè prout comprehendit carentiam naturalitatis, & repugnantiam, concedo; si præcise scilicet, prout dicit tantum carentiam naturalitatis, nego; nam album, & non album, etiam contradictoriæ se habent si sumatur, ly non album, prout comprehendit non solum nigredinem: sed etiam quodlibet aliud, quod non est album; si verò sumatur præcisè, prout comprehendit tantum nigredinem, sic non est extremum contradictorium, sed contrariũ, & hoc modo inter talia extrema datur medium, nempè rubrum, viridum, &c. ita dicendum in casu, nam superficies ad albedinem, nec dicit inclinationem, vt supra, nec dicit repugnantiam, & consequenter tale susceptiuum mediat inter naturale, & violentum, &c.

Obiic. secundò. Omnis potentia susceptiua, aut respicit actum per se primo; idest actum in cõmuni, vt superficies colorem; aut actum per se secundo, idest actum in particulari, vt superficies albedinem; aut actum contrariũ, vt ignis deorsum; aut actum disparatum, vt visus, sonum, sed nulla ista non dicitur neutra, ergo, &c. min. probatur; nam prima est naturalis, quia superficies de se est colorabilis, petit enim perfici à colore: secunda est etiam naturalis, quia quod naturaliter inclinatur per se primo ad genus, naturaliter inclinatur ad species, talis generis, saltem per se secundo, quatenus illæ species sunt sub illo genere: tertia est violenta, vt patet: quarta non est potentia, sed potius negatio potentiæ, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod potentia superficiei ad albedinẽ,

Obijc. tertio. Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, ex 7. Phys. t. 11. ergo artificialia, & naturalia ratione principij non distinguuntur.

Resp. Quod illa maior Arist. intelligitur de mouente extrinseco, & efficiente, non de intrinseco, vt sunt materia, & forma in mobili: nam lapis mouetur deorsum naturaliter, non quia mouetur ab agente, sed quia ex se est natus moueri tali motu.

Quæritur primò. An ars imitetur naturam?

Resp. aff. Ita Arist. t. 22. sed. Not. quod ars dupliciter consideratur; primo secundum suam formalem rationem, prout est pura qualitas, vel regula existens in mente artificis: secundo pro agente artificiali: ars primo modo non imitatur naturam, quia vt sic est accidens quoddam separabile, quod nullo modo assimilatur substantiæ: ars secundo modo imitatur naturam, & potest aliqua opera eius efficere, tamen non se sola, sed adiuuantibus naturalibus causis actiuis, & passiuis.

Dices. Ars non potest producere homines, & alia animalia, plantas, metalla, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam non oportet, vt in omnibus assimiletur, sed sufficit tantum in aliquibus, nàm potest efficere multa opera naturalia adiuuante natura.

Quæritur secundò. An ars possit efficere opera naturæ?

Resp. Neg. per se, & propria virtute; potest tamen applicando actiua passiuis. prima pars patet, nam artificialia non habent in se internum principium motus, ergo ex se non possunt efficere opera naturæ: Item opera naturæ sunt perfectiora operibus artis, ergo talia opera non possunt effici ab arte: aliter enim effectus esset nobilior sua causa, &c. Secunda pars patet, nam medici aliquando applicant virtutes naturales lapidum, herbarum corporibus humanis, ex qua applicatione sequitur perfectissima sanitas, aliquando præter cursum naturæ: Item ex Augustino 10. de Ciuit. Dei cap. 11. asserente, quod per industriam dæmonum fiunt plures effectus naturales; & reddit rationem, quia cum dæmones habeant scientiam naturalem perfectissimam, cognoscunt perfectissimè virtutes rerum naturalium, & sic sciunt applicare actiua passiuis, & ita possunt efficere effectus naturales.

Dices. Primo Magi, & sapientes Ægyptiorum fecerunt serpẽtes viuos, vt testatur August. ergo ars potest efficere opera naturæ.

Resp. Dist. antec. Magi fecerunt serpentes viuos per se, & propria virtute neg.: per applicationem causarũ naturalium, idest applicando actiua passiuis, conc. nam quæ fiunt ex materia putrida, & ex proportione in quantitate, & qualitate elementorum, cum applicatione ad cęlestes virtutes, possunt sic effici; vel secundo. Si illi serpentes fuerunt veri, fuerunt producti à virtute diuina, quæ vt manifestaret virtutem serpentis Moysis, illos produxit, quia dum serpens Moysis deuorabat serpentes Magorum, iustus Moysis mirabilior apparebat.

Dices.

Dices. Secundo per artem chimicam fit verum aurum, sed verum aurum est opus naturæ, ergo ars potest efficere opera naturæ.

Resp. Neg.mai. nam tale aurum est tantum apparens,& simile, quoad aliqua accidentia, non verum, quia non potest subsistere vim ignis, & facile amittit colorem, &c. ideò qui vendit alchimium, vt verum aurum tenetur restitutioni.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Causis in communi.

EXplicata Disputatione de natura, nunc verò accedimus ad disputandum de causis cum ipsomet Arist. quia melius res naturales cognoscuntur cum earum causas cognouerimus,& primo de causa in communi.

Quæritur. Quid est causa?

Resp. Est principium per se influens in effectum, & à quo effectus dependet in esse, & cognosci; ponitur principium loco generis: dicitur per se influens loco differentiæ, nam priuatio licet sit principium, tamen quia per se non influit,ideò non dicitur causa: dicitur in effectum, ad differentiam diuinarum personarum,quę licet sint influentes, nam Pater influit esse in Filium, & Pater, & Filius in Spiritum sanctum,non tamen tanquam in effectum,cum dicat imperfectionem, scilicet facti,& dicat etiam alietatem naturæ, quæ in diuersis suppositis diuinis non reperitur: dicitur à quo effectus dependet in esse,& in cognosci, quia causa non solum influit in effectum, sed etiam est propter quid, & cuius gratia scimus.

Not. Arist. nullibi saltem expresè definiuit causam in communi, ideò multæ, & variæ definitiones, seu descriptiones assignantur à diuersis Auctoribus de causa sic sumpta.

QVAESTIO I.

An quatuor sint genera causarum.

ARist. agit de causis in 2.Post.in 1. Meth. & in hoc 2. lib. Phys. ex professo;causæ enim prout spectant

Obijc. tertio. Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, ex 7. Phyf. t. 11. ergo artificialia, & naturalia ratione principij non diftinguuntur.

Resp. Quod illa maior Arift. intelligitur de mouente extrinfeco, & efficiente, non de intrinfeco, vt funt materia, & forma in mobili: nam lapis mouetur deorfum naturaliter, non quia mouetur ab agente, fed quia ex fe eft natus moueri tali motu.

Quaeritur primò. An ars imitetur naturam?

Resp. aff. Ita Arift. t. 22. fed. Not. quod ars dupliciter confideratur; primo fecundum fuam formalem rationem, prout eft pura qualitas, vel regula exiftens in mente artificis: fecundo pro agente artificiali: ars primo modo non imitatur naturam, quia vt fic eft accidens quoddam feparabile, quod nullo modo affimilatur fubftantiæ: ars fecundo modo imitatur naturam, & poteft aliqua opera eius efficere, tamen non fe fola, fed adiuuantibus naturalibus caufis actiuis, & paffiuis.

Dices. Ars non poteft producere homines, & alia animalia, plantas, metalla, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. confequentiam; nam non oportet, vt in omnibus affimiletur, fed fufficit tantum in aliquibus, nàm poteft efficere multa opera naturalia adiuuante natura.

Quaeritur fecundò. An ars poffit efficere opera naturæ?

Resp. Neg. per fe, & propria virtute; poteft tamen applicando actiua paffiuis. prima pars patet, nam artificialia non habent in fe internum principium motus, ergo ex fe non poffunt efficere opera naturæ: Item opera naturæ funt perfectiora operibus artis, ergo talia opera non poffunt effici ab arte: aliter enim effectus effet nobilior fua caufa, &c. Secunda pars patet, nam medici aliquando applicant virtutes naturales lapidum, herbarum corporibus humanis, ex qua applicatione fequitur perfectiffima fanitas, aliquando præter curfum naturæ: Item ex Auguftino 10. de Ciuit. Dei cap. 11. afferente, quod per induftriam dæmonum fiunt plures effectus naturales; & reddit rationem, quia cum dæmones habeant fcientiam naturalem perfectiffimam, cognofcunt perfectiffimè virtutes rerum naturalium, & fic fciunt applicare actiua paffiuis, & ita poffunt efficere effectus naturales.

Dices. Primo Magi, & fapientes Ægyptiorum fecerunt ferpētes viuos, vt teftatur Auguft. ergo ars poteft efficere opera naturæ.

Resp. Dift. antec. Magi fecerunt ferpentes viuos per fe, & propria virtute neg.: per applicationem caufarū naturalium, ideft applicando actiua paffiuis, conc. nam quæ fiunt ex materia putrida, & ex proportione in quantitate, & qualitate elementorum, cum applicatione ad cęleftes virtutes, poffunt fic effici; vel fecundo. Si illi ferpentes fuerunt veri, fuerunt producti à virtute diuina, quæ vt manifeftaret virtutem ferpentis Moyfis, illos produxit, quia dum ferpens Moyfis deuorabat ferpentes Magorum, iuftus Moyfis mirabilior apparebat.

Dices.

Dices. Secundo per artem chimicam fit verum aurum, sed verum aurum est opus naturæ, ergo ars potest efficere opera naturæ.

Resp. Neg.mai. nam tale aurum est tantum apparens,& simile, quoad aliqua accidentia, non verum, quia non potest subsistere vim ignis, & facile amittit colorem, &c. ideò qui vendit alchimium, vt verum aurum tenetur restitutioni.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Causis in communi.

EXplicata Disputatione de natura, nunc verò accedimus ad disputandum de causis cum ipsomet Arist. quia melius res naturales cognoscuntur cum earum causas cognouerimus,& primo de causa in communi.

Quæritur. Quid est causa?

Resp. Est principium per se influens in effectum, & à quo effectus dependet in esse, & cognosci; ponitur principium loco generis: dicitur per se influens loco differentiæ, nam priuatio licet sit principium, tamen quia per se non influit,ideò non dicitur causa: dicitur in effectum, ad differentiam diuinarum personarum,quę licet sint influentes, nam Pater influit esse in Filium, & Pater, & Filius in Spiritum sanctum,non tamen tanquam in effectum,cum dicat imperfectionem, scilicet facti,& dicat etiam alietatem naturæ, quæ in diuersis suppositis diuinis non reperitur: dicitur à quo effectus dependet in esse,& in cognosci, quia causa non solum influit in effectum, sed etiam est propter quid, & cuius gratia scimus.

Not. Arist. nullibi saltem expresse definiuit causam in communi, ideò multæ, & variæ definitiones, seu descriptiones assignantur à diuersis Auctoribus de causa sic sumpta.

QVAESTIO I.

An quatuor sint genera causarum.

ARist. agit de causis in 2.Post.in 1. Meth. & in hoc 2. lib. Phys. ex professo;causæ enim prout spectant

ad

Obijc. tertio. Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, ex 7. Phyſ. t. 11. ergo artificialia, & naturalia ratione principij non diſtinguuntur.

Reſp. Quod illa maior Ariſt. intelligitur de mouente extrinſeco, & efficiente, non de intrinſeco, vt ſunt materia, & forma in mobili: nam lapis mouetur deorſum naturaliter, non quia mouetur ab agente, ſed quia ex ſe eſt natus moueri tali motu.

Quæritur primò. An ars imitetur naturam?

Reſp. aff. Ita Ariſt. t. 22. ſed. Not. quod ars dupliciter conſideratur; primo ſecundum ſuam formalem rationem, prout eſt pura qualitas, vel regula exiſtens in mente artificis: ſecundo pro agente artificiali: ars primo modo non imitatur naturam, quia vt ſic eſt accidens quoddam ſeparabile, quod nullo modo aſſimilatur ſubſtantiæ: ars ſecundo modo imitatur naturam, & poteſt aliqua opera eius efficere, tamen non ſe ſola, ſed adiuuantibus naturalibus cauſis actiuis, & paſſiuis.

Dices. Ars non poteſt producere homines, & alia animalia, plantas, metalla, &c. ergo, &c.

Reſp. Neg. conſequentiam; nam non oportet, vt in omnibus aſſimiletur, ſed ſufficit tantum in aliquibus, nàm poteſt efficere multa opera naturalia adiuuante natura.

Quæritur ſecundò. An ars poſſit efficere opera naturæ?

Reſp. Neg. per ſe, & propria virtute; poteſt tamen applicando actiua paſſiuis. prima pars patet, nam artificialia non habent in ſe internum principium motus, ergo ex ſe non poſſunt efficere opera naturæ: Item opera naturæ ſunt perfectiora operibus artis, ergo talia opera non poſſunt effici ab arte: aliter enim effectus eſſet nobilior ſua cauſa, &c. Secunda pars patet, nam medici aliquando applicant virtutes naturales lapidum, herbarum corporibus humanis, ex qua applicatione ſequitur perfectiſſima ſanitas, aliquando præter curſum naturæ: Item ex Auguſtino 10. de Ciuit. Dei cap. 11. aſſerente, quod per induſtriam dæmonum fiunt plures effectus naturales; & reddit rationem, quia cum dæmones habeant ſcientiam naturalem perfectiſſimam, cognoſcunt perfectiſſimè virtutes rerum naturalium, & ſic ſciunt applicare actiua paſſiuis, & ita poſſunt efficere effectus naturales.

Dices. Primo Magi, & ſapientes Ægyptiorum fecerunt ſerpẽtes viuos, vt teſtatur Auguſt. ergo ars poteſt efficere opera naturæ.

Reſp. Diſt. antec. Magi fecerunt ſerpentes viuos per ſe, & propria virtute neg.: per applicationem cauſarũ naturalium, ideſt applicando actiua paſſiuis, conc. nam quæ fiunt ex materia putrida, & ex proportione in quantitate, & qualitate elementorum, cum applicatione ad cęleſtes virtutes, poſſunt ſic effici; vel ſecundo. Si illi ſerpentes fuerunt veri, fuerunt producti à virtute diuina, quæ vt manifeſtaret virtutem ſerpentis Moyſis, illos produxit, quia dum ſerpens Moyſis deuorabat ſerpentes Magorum, iuſtus Moyſis mirabilior apparebat.

Dices.

Dices. Secundo per artem chimicam fit verum aurum, sed verum aurum est opus naturæ, ergo ars potest efficere opera naturæ.

Resp. Neg.mai. nam tale aurum est tantum apparens,& simile, quoad aliqua accidentia, non verum, quia non potest subsistere vim ignis, & facile amittit colorem, &c. ideò qui vendit alchimium, vt verum aurum tenetur restitutioni.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Causis in communi.

EXplicata Disputatione de natura, nunc verò accedimus ad disputandum de causis cum ipsomet Arist. quia melius res naturales cognoscuntur cum earum causas cognouerimus,& primo de causa in communi.

Quæritur. Quid est causa?

Resp. Est principium per se influens in effectum, & à quo effectus dependet in esse, & cognosci; ponitur principium loco generis: dicitur per se influens loco differentiæ, nam priuatio licet sit principium, tamen quia per se non influit, ideò non dicitur causa: dicitur in effectum, ad differentiam diuinarum personarum, quę licet sint influentes, nam Pater influit esse in Filium, & Pater, & Filius in Spiritum sanctum, non tamen tanquam in effectum, cum dicat imperfectionem, scilicet facti,& dicat etiam alietatem naturæ, quæ in diuersis suppositis diuinis non reperitur; dicitur à quo effectus dependet in esse,& in cognosci, quia causa non solum influit in effectum, sed etiam est propter quid, & cuius gratia scimus.

Not. Arist. nullibi saltem expresse definiuit causam in communi, ideò multæ, & variæ definitiones, seu descriptiones assignantur à diuersis Auctoribus de causa sic sumpta.

QVAESTIO I.

An quatuor sint genera causarum.

ARist. agit de causis in 2. Post. in 1. Meth. & in hoc 2. lib. Phys. ex professo; causæ enim prout spectant ad

probatur de forma viuentis, nam est principium motus, & quietis eius, in quo est primo, & per se, & non secundum accidens, quia constituit, & est principium operationū, nam est actus corporis physici, potentia vitam habētis; est principium augumentationis, nutritionis, & ad quæ ipsa anima vegetatiua inclinatur; anima sensitiua est principium mouendi secundum locū, sentiendi, & ad quæ inclinatur, ergo, &c.

Secunda Concl. Anima rationalis est verè natura, etiam secundum gradum intellectiuum; est Scoti in 1. d.2.q.7 littera X, & in 2. d. 18. contra Boetium, Thomistium, Piccolomineum, & alios quamplures, qui volunt animam esse naturam secundum gradum vegetatiuum, & sensitiuum, non vero intellectiuum; probatur, nam ipsi animæ competit definitio naturæ. ergo est natura; antecedens probatur, nam anima prout est in homine, est principium motus, & quietis eius, in quo est, &c. nam constituit, & est pars intrinseca compositi physici, & est principium passiuum operationum in illo scilicet intellectionis, discursus, admirationis, risus, fletus, locutionis, & ad quæ ipsa anima inclinatur, ergo, &c. Item anima rationalis est forma hominis constituens vnum per se, quod est compositum habens naturam, sed homo ea ratione, qua homo est, est res naturalis: ergo eius forma, scilicet anima erit natura eius.

Obijc. primò. Contra primam conclusionem; natura est determinata ad vnum, ex 9. Meth. vt ignis ad motum sursum, terra ad motum deorsum; sed anima non est determinata ad vnum, nam mouetur ad omnem partem; Plantæ augentur in omnem partem, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. prout opponitur libero, concedo; prout opponitur artificiali, & est principium in eo cuius est, nego; nam, &c. Vel secundo natura corporum simplicium, & mixtorum non viuentium, concedo; mixtorum viuentium nego; nam corpora simplicia, & elementa, & mixta, vt lapis sunt determinata ad vnum; corpora vero mixta animata non sunt determinata ad vnum, & ideo eius forma dicitur natura, prout est principium motus in eo, &c.

Dices. Natura vt opponitur artificiali est principium motus physici, & est primo, & per se in eo, cuius est, scilicet constituit, & dat esse physicum, sed anima non est principium motus physici, nec dat esse physicum; ergo, &c. min. patet; nam anima est principium motus animastici, nō physici, nam supponit corpus physicum; est enim actus corporis physici organici, ex 2. de anima tex. primo; ergo anima non est principium, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod illi motus licet sint animastici, tamen non tollunt, vt non sint naturales, prout proueniunt à principio intrinseco eius in quo est; quando dicitur anima supponit corpus physicum, dicimus, quod licet anima supponat corpus physicum, quod est natura imperfecta, tamen quia dat esse perfectum vitæ naturalis, quod est natura perfe-

perfecta, ideo dicitur natura; nam est principium vitæ naturalis, & motus naturalis, scilicet augumentationis, generationis, &c.

Obijc. secundò. Corpora naturalia communiter distinguuntur à corporibus animatis, ergo anima non est natura; alioquin si esset natura, tunc corpora animata, quæ per illam constituuntur, essent naturalia, & consequenter non possent distingui à corporibus naturalibus, &c.

Resp. Dist. antecedens, corpora naturalia determinata ad vnum distinguuntur ab animatis, concedo; prout includunt principium motus, nego; nã anima non dicitur natura, prout natura est determinata ad vnum, quia sic habet motum spontaneum, sed dicitur natura, prout distinguitur ab artificiali, & prout est principium eius, &c.

Obijc. tertio. Natura est principium, quod primo, & per se inest mobili, sed anima non est huiusmodi, quia est in illo mediante forma corporis, ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ad prob. dicimus dist. illam propositionem anima est in corpore mediante forma corporis, concedo; in mobili, quod in casu est animal, nego; nam animal est illud quod mouetur motu genere rationis, augumentationis; & non corpus; anima enim primo, & per se constituit animal, ideo, &c.

Obijc. quarto. Contra secundam conclusionem, forma, quæ est separabilis secundum rem, non est natura, ex tex. 12. vbi Arist. docet illam tantum formam esse naturam, quæ non est separabilis, nisi secundum rationem, sed anima rationalis est separabilis secundum rem, vt patet in morte hominis, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. forma, quæ est separabilis secundum rem sine destructione compositi, non est natura, concedo; cum destructione compositi, nego; nam formæ separabilis primo modo sunt formæ extrinsecè, non informantes, sed tantum assistentes, vt intelligentiæ respectu cæli, nauta respectu nauis, auriga respectu currus, non sunt naturæ, sed forma separabilis, secundo modo est forma informans intrinsecè, vt anima rationalis, & non separatur sine destructione compositi; non enim potest esse homo sine anima rationali; ideò optimè dixit Arist. formam non esse separabilem, nisi secundum rationem; quia licet intellectus possit intelligere formam, quæ est natura, non intellecto composito, cuius est forma, non potest tamen tolli forma, quæ est natura, quin corrumpatur compositum, cuius est natura, &c.

Obijc. quinto. Anima non est principium motus naturalis, ergo non est natura; antecedens patet, nam anima rationalis est principium agendi liberè, ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens, prout distinguitur ab agente libero, concedo; prout distinguitur ab artificiali, & prout definitur hic, nego, nam, &c.

Dices. Anima est spiritualis, & insensibilis, ergo non est natura physica, cuius motus est sensibilis, &c.

Resp. Dist. antecedens, in se, concedo;

llo; prout est actus corporis, & informat, nego; nam vt est actus corporis dependet in operari à sensibus, & licet eius intellectus sit insensibilis, formaliter, tamen fundamentaliter est sensibilis, &c.

Obijc. sexto. Ex tex. 4. natura vel est subiectum, vel est in subiecto, sed anima non est subiectum, vt patet, nec est in subiecto, quia educeretur de potentia subiecti, ergo nullo modo est natura, &c.

Resp. Animam esse in subiecto, non ex quo educitur, sed in quo recipitur, & cum quo tamquam cum materia constituit compositum hominis, &c.

Quaritur. An possit demonstrari, naturam esse?

Resp. Neg. patet ex textu 6. vbi Arist. docet, ridiculum esse tentare demonstrare esse naturam, & deinde subdit rationem, quia demonstrare manifesta per inmanifesta est non potentis iudicare, ergo Arist. vult non posse demonstrare naturam esse, cum manifestum per immanifestum probari non possit. Secundo probatur ratione demonstratio est de re ignota, sed in Philosophia non datur aliquid notius existentia naturæ, quia est principium cognoscendi in scientia naturali, ergo, &c.

Dices. Quando aliqua causa habet aliquem effectum notum, potest demonstrare perillum effectum, sed natura est huiusmodi, quia habet motũ, qui est effectus notissimus, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. quando causa est ignota, concedo; quando est nota, nego; nam notum est, naturam esse, &c.

Dices. Ex Arist. 3. Physicorum, ignorato motu, ignoratur natura, ergo cognitio naturæ pendet ex cognitione motus.

Resp. Dist. antecedens, ignoratur natura quoad quid est, quod haberi nõ potest sine cognitione motus, qui ingreditur in definitione naturæ, concedo; quoad quia est naturæ, nego; de qua loquitur in præsenti, &c.

Dicec. Arist. probat materiam esse, sed materia est natura, ergo natura demonstratur.

Resp. Quod aliud est probare naturam in communi esse, & aliud probare hanc, vel illam rem, quæ est natura; nos primum negamus, non secundũ quod Arist. probauit, &c.

QVAESTIO V.

An inter naturale, & violentum detur potentia neutra.

Sensus quæstionis est, an detur aliqua potentia, quæ nec sit naturalis, nec violenta, sed media inter ipsas, vel potentia naturalis, & violenta, ita sunt immediatè contrariæ, vt inter eas nihil mediat, &c. pro qua sit, &c.

Conclusio affirmatiua. Est Scoti q. 1. prologi, littera F. & in 2. d. 2. q. 6. & in 4. d. 46. q. 4. littera B. contra Thomistas omnes oppositum sustinentes; probatur, datur susceptiuum alicuius actus, ad quem non inclinatur naturaliter, nec violenter, nec nulliter, ergo neuter; consequentia sequitur ex sufficienti partium enumeratione; antecedens

dens probatur; nam superficies v.g. est susceptiua albedinis, ad quam naturaliter non inclinatur, quia tunc esset violenter sub actu opposito, scilicet sub nigredine; nec violenter, quia tunc nō quiesceret sub illa, sed propria virtute reduceretur ad nigredinem; nec nulliter, quia de facto superficies recipit albedinem, remanet vt habeat potentiā neutram, siue indeterminatam, qua respicit albedinem, & nigredinem; lignū etiam non habet potentiam naturalem ad formam artis, quia ab illa non perficitur naturaliter, sed artificialiter; nec ad illam habet potentiam violentam, quia quiescit sub illa forma; nec etiam habet inclinationem contrariam, ergo habet potentiam neutram, &c.

Secundò. Quicquid sub vno opposito est naturaliter, sub alio opposito est violēter, vt patet de lapide deorsum, respectu sursum, ergo quicquid ad vtrumque oppositorum non habet repugnantiam, quatenus opposita sūt, se habet ad illa, vt potentia neutra, &c. Item si non daretur potentia neutra: tolleretur indifferentia passi ad opposita, ergo, &c.

Obijc. primo. Inter contradictoria non datur medium, sed præbere inclinationem, & non præbere inclinationem sunt contradictoria, ergo, &c. sed quando subiectum præbet inclinationem, tūc potentia est naturalis, quando non præbet, est violenta, vt patet ex definitione violenti; ergo nulla datur potentia neutra, &c.

Resp. Dist. min. sunt contradictoria si ly non præbere inclinationem sumatur largè, nempè prout comprehendit carentiam naturalitatis, & repugnantiam, concedo; si præsse scilicet, prout dicit tantum carentiam naturalitatis, nego; nam album, & non album, etiam contradictoriæ se habent si sumatur, ly non album, prout comprehendit non solum nigredinem: sed etiam quodlibet aliud, quod non est album; si verò sumatur præsè, prout comprehendit tantum nigredinem, sic non est extremum contradictorium, sed contrariū, & hoc modo inter talia extrema datur medium, nempè rubrum, viridum, &c. ita dicendum in casu, nam superficies ad albedinem, nec dicit inclinationem, vt supra, nec dicit repugnantiam, & consequenter tale susceptiuum mediat inter naturale, & violentum, &c.

Obijc. secundò. Omnis potentia susceptiua, aut respicit actum per se primo; idest actum in cōmuni, vt superficies colorem; aut actum per se secundo, idest actum in particulari, vt superficies albedinem; aut actum contrariū, vt ignis deorsum; aut actum disparatum, vt visus, sonum, sed nulla ista non dicitur neutra, ergo, &c. min. probatur; nam prima est naturalis, quia superficies de se est colorabilis, petit enim perfici à colore: secunda est etiam naturalis, quia quod naturaliter inclinatur per se primo ad genus, naturaliter inclinatur ad species, talis generis, saltem per se secundo, quatenus illæ species sunt sub illo genere: tertia est violenta, vt patet: quarta non est potentia, sed potius negatio potentiæ, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod potentia superficiei ad albedinē,

P 2 non

non est naturalis, quia tunc ad nigredinem esset violenta, vt patet, ex definitione potentiæ naturalis, quod est falsum; quando dicitur, quod naturaliter inclinatur ad genus, naturaliter inclinatur ad species, dicimus hoc esse falsum, quia genus absolutè consideratum nullam dicit oppositionem, species verò inter se dicunt oppositiones, & ideò si superficies naturalitèr inclinatur ad colorem, non verò naturaliter ad species coloris, quia intelligibile est aliquam potentiam naturaliter inclinari ad oppositos, vt patet de lapide, qui naturaliter inclinatur ad motum, non verò naturaliter ad species motus, nēpè ad sursum, &c.

Dices. Superficies naturaliter suscipit albedinem, & nigredinem, ergo naturaliter respicit illas; antecedens patet quia quiescit sub albedine, &c. consequentia sequitur, quia ita respicit formaliter, sicut illum suscipit, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam in argumentatione fit transitus à potentia accipiente, ad potentiam aspicientē, genus enim naturaliter est in hac, vel illa specie contracta ab hac, vel illa differentia specifica, tamen indifferenter respicit illas, &c.

Dices. Indifferentia nō tollit naturalitatē, ergo licet superficies indifferenter se habet ad species coloris, potest etiam se habere naturaliter, si non per se primo, saltem per se secundo, antecedens probatur, nam non magis naturale est homini moueri secundum inclinationem animæ, quam secundum grauitatem corporis, sed vt mouetur ab anima, est indifferens ad differentias oppositas motus, ergo indifferentia non tollit naturalitatem, &c.

Resp. Neg. antecedens; ad prob. dicimus, quod homo ab anima habet naturalitèr moueri secundum locum in genere, & in communi; ad moueri postea hoc vel illo motu ante, retro, à dextris, à sinistris, lente, festine indifferenter se habet, seu neutraliter, sicut dictum est de superficie, &c.

Obijc. tertiò. Omne perfectibile naturalitèr respicit suam perfectionē, vt habetur ex Scoto, sed ars perficit naturam, ergo potentia ligni ad formam artis, est naturalis, & non neutra, &c.

Resp. Dist. mai. omne perfectibile naturaliter respicit suam perfectionem intrinsecam, concedo; extrinsecam, nego; nam perfectio intrinseca dicitur illa, ad quam passum perfectibile inclinatur, vt motus deorsum in lapide; perfectio extrinseca dicitur illa ad quā passum perfectibile non inclinatur, vt lapis ad erectionem ædificij, &c.

Obijc. quarto. Potentia definitur per actum ex 9. Meth. tex. 13. ergo potentia in communi naturaliter respicit actum in cōmuni, ita potentia in particulari naturaliter respicit actum particularem, & consequenter nulla est potentia neutra, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam potentia vtique definitur per actum, quia sunt relatiua, tamen sicut vnum relatiuum non semper naturaliter respicit aliud, ita potentia sic semper respicit naturaliter actum; & sicut potentia violenta non fertur naturaliter ad actum violentum, ita potentia neu-

neutra, non inclinatur ad actum, sed indifferens se habet, &c.

Dices. Accidens naturaliter inclinatur ad subiectum, vt possit ex stere, ergo hoc accidens ad hoc subiectum, tunc è contra subiectum naturaliter se habet ad accidens, ergo hoc subiectum naturaliter ad hoc accidens, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam accidens naturaliter inclinatur ad subiectum, quod est in potentia receptiua illius: tamen respectu huius, & illius est cum indifferentia sicut si naturaliter esset sub vno, tunc violenter esset sub alio, ergo, &c.

QVAESTIO VI.

An naturalia differant ab artificialibus, & quomodo?

CONcl. *aff*. Et differunt per hoc, quod habent principium intrinsecum sui motus: ita Aristoteles t. 1. & 11. Scotus in 2. d. 18. q. vn. litt. B. Probatur naturalia habent in se principium passiuũ, quod inclinat ad motum, & ad aliquem actum, artificialia vero non habent talem inclinationem, ergo per tale principium intrinsecum passiuum naturalia differunt ab artificialibus. Item natura est principium intrinsecum, quo agens naturale agit sic, & non aliter; ars vero est principium extrinsecum, quo artifex potest sic, vel aliter agere, ergo ex parte principij differunt: Item omnes partes rei naturalis sunt à natura; forma verò est ab arte, ergo, &c.

Obijc. primò. Compositum ex materia, & forma est res naturalis, sed artificialia sunt huiusmodi, vt patet; nam statua est cõposita ex materia, & forma, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. ex materia, & forma substantiali, concedo; artificiali nego; nam inter lignum, & formam statuæ est ordo accidentalis, non verò essentialis: Item ex tali forma fit res talis, non verò simpliciter.

Obijc. secundò. Figura acuta est principium mouẽdi, & figura lata est principium quiescendi, nam corpus acutum mouetur deorsum, & corpus latum supernatat, & quiescit, ergo figura, quæ est ab arte est principium sui motus, & quietis, & consequenter artificialia in quantum talia habent principium sui motus: similiter horologium est artificiale, & tamen habet principium internum sui motus: Item securis habet ab arte, vt sit decisiua ligni, &c.

Resp. Dist. mai. simpliciter neg. secundum quid conc.; nam acuties, & planities non sunt simpliciter principium motus, & quietis, sed tantum secundum quid, & quo ad modum; iuuat enim ad facilius moueri, & quiescere; ad id de horologijs dicimus, quod horologium est ita dispositum ab arte, vt motus non sit ab arte, sed à causis naturalibus dispositis ingeniose inuentu; scilicet vi ponderum, rotæ, &c. Ad id de securi dicimus, quod securis est instrumentum scissionis, nõ vero illa scissio est in securi, sed per eam, vt instrumentum artis, &c.

Obijc.

Obijc. tertio. Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, ex 7. Phyl. t. 11. ergo artificialia, & naturalia ratione principij non distinguuntur.

Resp. Quod illa maior Arist. intelligitur de mouente extrinseco, & efficiente, non de intrinseco, vt sunt materia, & forma in mobili: nam lapis mouetur deorsum naturaliter, non quia mouetur ab agente, sed quia ex se est natus moueri tali motu.

Quæritur primò. An ars imitetur naturam?

Resp. aff. Ita Arist. t. 22. sed. Not. quod ars dupliciter consideratur; primo secundum suam formalem rationem, prout est pura qualitas, vel regula existens in mente artificis: secundo pro agente artificiali: ars primo modo non imitatur naturam, quia vt sic est accidens quoddam separabile, quod nullo modo assimilatur substantiæ: ars secundo modo imitatur naturam, & potest aliqua opera eius efficere, tamen non se sola, sed adiuuantibus naturalibus causis actiuis, & passiuis.

Dices. Ars non potest producere homines, & alia animalia, plantas, metalla, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam non oportet, vt in omnibus assimiletur, sed sufficit tantum in aliquibus, nàm potest efficere multa opera naturalia adiuuante natura.

Quæritur secundò. An ars possit efficere opera naturæ?

Resp. Neg. per se, & propria virtute; potest tamen applicando actiua passiuis. prima pars patet, nam artificialia non habent in se internum principium motus, ergo ex se non possunt efficere opera naturæ: Item opera naturæ sunt perfectiora operibus artis, ergo talia opera non possunt effici ab arte: aliter enim effectus esset nobilior sua causa, &c. Secunda pars patet, nam medici aliquando applicant virtutes naturales lapidum, herbarum corporibus humanis, ex qua applicatione sequitur perfectissima sanitas, aliquando præter cursum naturæ: Item ex Augustino 10. de Ciuit. Dei cap. 11. asserente, quod per industriam dæmonum fiunt plures effectus naturales; & reddit rationem, quia cum dæmones habeant scientiam naturalem perfectissimam, cognoscunt perfectissimè virtutes rerum naturalium, & sic sciunt applicare actiua passiuis, & ita possunt efficere effectus naturales.

Dices. Primo Magi, & sapientes Ægyptiorum fecerunt serpẽtes viuos, vt testatur August. ergo ars potest efficere opera naturæ.

Resp. Dist. antec. Magi fecerunt serpentes viuos per se, & propria virtute neg.: per applicationem causarũ naturalium, idest applicando actiua passiuis, conc. nam quæ fiunt ex materia putrida, & ex proportione in quantitate, & qualitate elementorum, cum applicatione ad cęlestes virtutes, possunt sic effici; vel secundo. Si illi serpentes fuerunt veri, fuerunt producti à virtute diuina, quæ vt manifestaret virtutem serpentis Moysis, illos produxit, quia dum serpens Moysis deuorabat serpentes Magorum, iustus Moysis mirabilior apparebat.

Dices.

Dices. Secundo per artem chimicam fit verum aurum, sed verum aurum est opus naturæ, ergo ars potest efficere opera naturæ.

Resp. Neg.mai. nam tale aurum est tantum apparens,& simile, quoad aliqua accidentia, non verum, quia non potest subsistere vim ignis, & facile amittit colorem, &c. ideò qui vendit alchimium, vt verum aurum tenetur restitutioni.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Causis in communi.

EXplicata Disputatione de natura, nunc verò accedimus ad disputandum de causis cum ipsomet Arist. quia melius res naturales cognoscuntur cum earum causas cognouerimus,& primo de causa in communi.

Quæritur. Quid est causa?

Resp. Est principium per se influens in effectum, & à quo effectus dependet inesse, & cognosci; ponitur principium loco generis: dicitur per se influens loco differentiæ, nam priuatio licet sit principium, tamen quia per se non influit, ideò non dicitur causa: dicitur in effectum, ad differentiam diuinarum personarum, quę licet sint influentes, nam Pater influit esse in Filium, & Pater, & Filius in Spiritum sanctum, non tamen tanquam in effectum, cum dicat imperfectionem, scilicet facti,& dicat etiam alietatem naturæ, quæ in diuersis suppositis diuinis non reperitur: dicitur à quo effectus dependet in esse,& in cognosci, quia causa non solum influit in effectum, sed etiam est propter quid, & cuius gratia scimus.

Not. Arist. nullibi saltem expresse definiuit causam in communi, ideò multæ, & variæ definitiones, seu descriptiones assignantur à diuersis Auctoribus de causa sic sumpta.

QVAESTIO I.

An quatuor sint genera causarum.

ARist. agit de causis in 2. Post. in 1. Meth. & in hoc 2. lib. Phys. ex professo; causæ enim prout spectant ad

ad Logicum sunt principia cognoscendi: ad Metaphysicum in quantum causæ,& effectus diuidunt ens; ad Physicum,prout sunt principia rerum naturalium, & hoc tertio modo consideratur in præsenti, pro qua sit.

Concl. affir. Nempè causa materialis,formalis, efficiens, & finalis. Ita Arist.t.28.& 31.cōtra antiquos Philosophos putantes, duas tantum esse causas,scilicet materialem, & efficientem; & contra alios,qui dixerunt,causas esse plures,quam quatuor. Probatur, nam certum est dari in rebus naturalibus multas substantias de nouo productas; tùm sic omnis effectus necessariò est ab alio,cum nihil producat se ipsum, sed hoc aliud,est causa efficiens,ergo,&c. Causa efficiens, si non est Deus, semper producit ex præsupposito subiecto, sed hoc subiectum est causa materialis, ergo, &c. Tunc vlterius causa efficiens, ad hoc, vt dicatur efficere debet aliquid inducere in materiam præsuppositam,sed hoc non est nisi forma,ergo dabitur causa formalis influens in ipsum compositum: tandem illa causa efficiens,cum agit,semper agit propter finem, qui finis est causa finalis, ergo quatuor sunt genera causarum,à quibus effectus dependet, &c.

Secundò. De re naturali, possunt fieri tantum quatuor causales interrogationes, ergo tantum quatuor sunt causæ: ant. prob. nam de homine possumus tantum quærere à quo sit? ex quo sit? quo sit? & cuius gratia sit? sed à quo sit primo motus est efficiēs, ex quo sit est materia, quo aliquid sit est forma,& cuius gratia aliquid sit est finis, ergo,&c.

Obijc. primo. Causa dicit ordinem ad effectum,sed effectus dicitur ab efficiente à quo prouenit efficere, ergo, &c. Item causare est agere, sed agere spectat ad efficiens, ergo est tantum vna causa,nempè efficiens.

Resp. Dist.min. secundum ethimologiam nominis conc.quatenus secundum rem dependet tantum ab efficiēte neg. nam aliæ causæ, etiam habent influere in effectum,& ab illis effectus dependet. Ad aliud per idem resp. quando dicitur agere spectat ad efficiens, dicimus quod est verum, vt à quo, non autem vt ex quo, quo, vel propter quod, &c.

Obijc. secundò. Quod non est, non potest esse causa, sed finis non est, ergo,&c. Item finis est effectus,ergo nō potest esse causa.

Resp. Dist. min. Finis non est quoad executionem, concedo; quoad intentionem neg. nam vt sic est primus, vt in propria quæst. Ad aliud dicimus, quod accidit fini,vt causæ,esse causatū. Deus enim gratia sui cuncta creauit, tamen non est causatus,&c.

Dices. Si finis est quoad intentionem, ergo est ens rationis, & consequenter non est causa realis.

Resp. Neg. conseq. nam licèt bonum finis moueat agens, vt in mente, tamèn finis propter quem est actio,est realis.

Obijc. tertiò. Forma est effectus, ergo non est causa; conseq. sequitur, quia nihil est effectus,& causa, &c.

Resp. Neg. antecedens; nam illud, quod

quod per se fit non est forma, sed compositum, forma verò est quo aliquid fit, & ideò est causa.

Obijc. quartò. Causa instrumentalis est vera causa, vt serra in arte, calor in igne: Item causa exemplaris est causa ad cuius similitudinem agit Artifex, sed inter dictas causas non numerantur, ergo plures sunt, quam, quatuor.

Resp. Quod omnia instrumenta, & etiam exemplaria reducuntur ad causam efficientem, vt in propria quæst. ideò, &c.

Obijc. quinto. Obiectum est causa actus, sed non est causa materialis, quia actus non recipitur in obiecto, vt v. g. visio, non in colore recipitur; nec formalis, quia potius actio est finis respectu potentiæ, quam obiectum sit finis actionis, ergo est alia causa.

Resp. Neg. min. quoad tertiam partem; nam obiectum potest dici causa efficiens, quatenus immittit speciem suam in potentiam visiuam, ergo species efficienter concurrit cum potentia ad producendam actionem, ideo &c.

QVAESTIO II.

An qualibet causa sit prior suo effectu.

PRima Conclus. Non est necesse omnem causam esse priorem tempore suo effectu; patet, nam corpus solare est causa efficiens per emanationem, & causa materialis lucis, quã habet in seipso, sed Sol non præcedit tempore ipsam lucẽ, ergo, &c. similiter subiectum non præcedit tempore suas proprietates, licet sit earum causa saltem materialis, ergo, &c.

Secunda Conclusio. Aliquam causam necessariò præcedere tempore suum effectum; patet, nam viuens non potest generare aliud viuens, vt Pater filium, nisi tempore præcesserit, quia ad generationem requiritur certa aliqua magnitudo corporis in ipso viuente generante, quam non habet ab initio suæ productionis, ergo, &c. Item Cælum saltem per instans temporis debuit præcedere suum motum, cuius est causa materialis, nam in instanti creationis cæli, nec motus fuit, nec potuit esse ipsi cælo, cum motus localis sit diuisibilis, & successiuus, quod non potest fieri in instanti temporis; similiter animæ viuentium in eodem instanti, in quo generatur, constituunt compositum in genere causæ formalis, & immediatè post instans suæ generationis videtur causare nutritionem in genere causæ efficientis, ergo, &c.

Tertia Concl. Omnem causam (absolutè loquendo) esse priorem natura suo effectu; patet, nam causa secundum suum esse non dependet ab effectu, saltem in eo genere, in quo effectus dependet à causa, ergo debet esse prior effectu saltem natura. Item causa prout causa dat esse effectui, ergo est prior, &c. consequ. sequitur, nam quod dat esse alteri, debet esse prius illo saltem natura, ergo, &c.

Obijc. primò. Contra tertiam

Q con-

concluſ. cauſa in actu eſt ſimul cum effectu in actu; ex t. 37. ergo cauſa non eſt prior ſuo effectu.

Reſp. Diſt. ant. Cauſa eſt ſimul tempore cum effectu in actu, concedo; eſt ſimul natura, nego; nam, &c.

Dices. Relatiua ſunt ſimul natura, ſed cauſa, & effectus ſunt correlatiua, ergo ſunt ſimul natura; & conſequenter cauſa non eſt prior natura ſuo effectu.

Reſp. Diſt. vltimum conſequens; ſi cauſa, & effectus ſumantur relatiuè concedo; ſi ſumantur abſolutè, nego; nam in quæſt. loquimur de cauſa, & effectu, vt ſumuntur abſolutè, non relatiuè; nam ad abſolutum in cauſa immediatè ſequitur abſolutum in effectu. Ita Scot. in 2. diſtinct. 1. q. 2.

Obijc. ſecundo. Omne prius natura poteſt intelligi ſine ſuo poſteriori, ſed cauſa, vt cauſa, non poteſt intelligi ſine ſuo effectu, ergo non eſt prior natura.

Reſp. Diſt. mai. præciſiuè, conc. diuiſiuè neg. nam, &c.

Obijc. tertio. Finis eſt poſterior, quam ſint media ad finem, natura, & tempore, vt ſanitas eſt poſt deambulationem, ergo non quælibet cauſa eſt prior natura ſuo effectu.

Reſp. Diſt. antec. finis eſt poſterior medijs ſecundum exiſtentiam, concedo; vt in intentione, nego; nam finis ſecundum intentionem, & vt eſt id, cuius gratia, ſecundum quam eſt cauſa finalis, non dependet à medijs, ſed eſt id à quo ipſa media dependent, nam finis, vt cauſa, eſt natura prior medijs, vt in propria diſputatione.

QVAESTIO III.

An vna cauſa ſit perfectior altera.

PRima Concluſio. Cauſæ extrinſecæ ſunt perfectiores cauſis intrinſecis, ideſt cauſa efficiens, & finalis ſunt perfectiores cauſa materiali, & formali; prob. nam modus cauſandi efficientis, & finalis eſt perfectior, quam modus cauſandi materię, & formæ, ergo ſimiliter ſunt perfectiores cauſæ: antecedens patet, nam efficiens, & finalis non dependent à toto, imo potius è contrà, nec ſunt eius partes, ſed materia, & forma dicunt intrinſecam dependentiam, quia ſunt eius partes intrinſecæ, ergo, &c. Item ſub cauſa efficiente, & fine continetur perfectiſſimum ens, vt Deus benedictus, qui eſt primum efficiens, & vltimus finis, à quo, & cuius gratia ſunt omnia, & non continetur ſub cauſa materiali, & formali, ergo, &c. Item cauſalitas cauſæ extrinſecæ dicit perfectionem ſine imperfectione, cauſalitas cauſæ intrinſecæ includit imperfectionem, quia cauſa intrinſeca eſt pars cauſati, ergo, &c.

Secunda Concluſio. Ex cauſis intrinſecis cauſa formalis eſt perfectior cauſa materiali: patet, nam cauſa formalis cauſat per modum actus, materialis per modum potentiæ paſſiuę,

ſed

sed perfectior est actus, quam potentia, ergo, &c.

Tertia Conclusio. Ex causis extrinsecis causa finalis est perfectior causa efficiente; patet ex t. 23. vbi habetur finem non solum esse vltimum rei, sed etiam optimum, ergo, &c. secundo ratione; finis est primum mouens, & excitans agens, & est vltimus, & optatus, per quem agens intendit operationem, ergo finis est perfectior agente.

Obijc. primò. Contra primam Conclus. perfectius est, quod est intimius, & essentialiter rei, quã id, quo non est intimius, sed materia, & forma sunt intimiores, quia causæ intrinsecæ; efficiẽs, & finalis nõ sũt sic, quia extrinsecæ, ergo, &c. mai. patet, quia nõ existentibus causis extrinsecis adhuc est, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. quod est intimius, & independens est perfectius conc. quod est intimius, & dependens, neg. nam materia, & forma licet sint intimiores; tamen quia dependentes, quia sunt incompletæ, & partes totius, ideo, &c. intimius, & independens est summæ perfectionis, vt est Deus, qui omnibus intimè adest, nam intimius est in me, quam ego mihi ipsi.

Obijc. secundò. Contra secundam conclusionem, perfectius est incorruptibile, quam corruptibile, sed materia est incorruptibilis, forma est corruptibilis, ergo, &c. Item forma fit dependenter à materia, ergo inesse est perfectior materia, quam forma; Item causa vniuersalior est perfectior, vt patet de Deo, qui est causa vniuersalissima, sed materia est vniuersalior, quam forma, ergo, &c. min. patet, quia materia vagatur per omnes formas, forma verò habet suum esse determinatum.

Resp. Dist. mai. quando incorruptibile est in actu perfecto conc. vt sunt Angeli; quando non est in actu perfecto, neg. vt est materia; nam perfectio non habetur ab eo, quod diu durat, sed ab entitate; aliter enim lapides essent perfectiores viuentibus.

Ad aliud dicimus, quod si forma fit dependenter à materia, vt subiecto potentiali, ex quo educitur; materia verò dependet à forma, vt ab ea perficiatur; ideò forma dicitur perfectior.

Ad aliud dist. mai. causa vniuersalior perficiens concedo; quæ perficitur, & est passiua, nego; nam materia vagatur, vt mendicans perfectionem, forma vero est eius perfectio, ideo, &c.

Obijc. tertiò. Contra tertiam conclus. esse reale est perfectius, quã esse intentionale, sed efficiens efficit secundum esse reale, finis causat secundum esse intentionale, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. quoad entitatem conc. quoad causalitatem in casu, nego; nam efficiens si aliquando est perfectius inesse reali ipso fine, tamẽ in sua causalitate pendet à causalitate finis, & consequenter imperfectius ipso fine.

QVAESTIO IV.

An causæ possint esse sibi inuicem causæ.

CONclus. Causæ in diuerso genere causæ habent mutuam causalitatem, non autem in eodem genere causæ. Prima pars probatur, nam materia causat formam, quia forma materialis ab ipsa dependet in esse, & in fieri, & in conseruari; anima rationalis saltem pendet à materia, tanquam à subiecto, in quo recipitur, & cui substantialiter vnitur; forma causat materiam, quatenus dat materiæ esse specificum, & determinatum. Materia habet mutuam causalitatem cum fine; nam materia causat compositum, quod est finis generationis; & finis est causa materiæ, quatenus est materia producta, vt causet compositum, & recipiat formam. Idem dicendum de forma in ordine ad finem, & è contra.

Efficiens habet mutuam causalitatem cum fine; nam efficiens attingit finem, vt terminum ad quem; & finis est causa efficientis, quatenus mouet efficiens, & est id, cuius gratia agens operatur; efficiens non habet mutuã causalitatem cum materia, & forma; quia in generatione agens præsupponitur esse. Secunda pars patet, nam tunc idem respectu eiusdem, esset causa, & causatum, quod implicat.

Obijc. primò. Contra primam partem; materia causat, vt recipiens, & substentans, forma, vt actuans, & perficiens, sed materia non dat formæ receptionem, nec forma dat materiæ informationem, ergo non habẽt mutuam causalitatem.

Resp. Neg. consequentiam, nam causalitas materiæ respectu formæ non est reddere formam, materiam, sed est formam dependere à materia in esse, in fieri, & in conseruari.

Obijc. secundo. Forma, finis, & efficiens sæpè coincidunt ex t. 70. ergo non possunt habere mutuam causalitatem; sequela sequitur, quia realis causalitas est inter realiter distincta.

Resp. Dist. antecedens, in esse, concedo, in causalitate, neg. nam forma est quo efficientis, finis gratia, cuius efficiens, & vndè motus.

Obijc. tertio. Finis est prior cæteris, ergo non potest causari, quia tunc esset posterior.

Resp. Dist. ant. est prior in intentione concedo, in executione, nego; nam, &c.

Obijc. quartò. Contra secundam partem; actus est causa habitus, & habitus est causa actus, sed id est in genere causæ efficientis, ergo causæ eiusdem generis habent mutuam causalitatem.

Resp. Neg. mai. nam habitus non causat actum, sed inclinat ad actum; & actus non est efficiens, sed effectus; vel dist. mai. actus antecedens est causa habitus concedo, subsequens neg. nam non est idem actus, qui causat, & causatur, & ideò non sequitur intentum.

De

De diuisione Causarum.

Quæritur. Quot diuisiones possunt assignari de causis?

Resp. multiplices: prima diuisio causæ, est in causam primam, & secũdam; causa prima est, quæ non est subordinata alteri, vt causet, vt Deus; causa secunda est cuius causalitas pendet ab alia, vt omnia alia à Deo.

Secunda diuisio est in causam per se, & in causam per accidens: causa per se est illa, quæ secundum propriã naturam, & non per aliquod sibi accidens causat, vt ignis per seipsum calefacit, ædificator ædificat: causa per accidens est, quæ per aliquod, quod facit vnum per accidens cum ea causat, vt musicus ædificat, musica enim non spectat ad causandam domum.

Causa per se subdiuiditur in causas essentialiter subordinatas, & in accidentaliter subordinatas: primæ sunt, quarnm vna non potest sine altera causare, & sunt alterius rationis, vt homo, & Deus, homo, & animal, & hoc dupliciter, vel posterior causa habet virtutem causandi à priori, vt homo in generatione hominis pendet à Deo, à quo habet vim causandi; vel non habet talem vim causandi à priori, sed non potest agere sine illa, vt mater est causa posterior, pater causa prior, tamen Mater non habet suam virtutem à patre; licet non possit agere sine patre; similiter intellectus, & obiectum, intellectus enim est causa prior, quia perfectius causat, tamen obiectum non habet virtutem ab intellectu, licet non causet notitiã sine intellectu; causæ accidentaliter subordinatæ sunt illæ, quæ secundum eũdem modum causant, & sunt eiusdem rationis, & vna potest supplere causalitatem alterius, vt plures homines trahentes nauim; omnes enim per se trahunt nauim, tamen vnus ipsorum, si viribus maioribus polleret, posset supplere causalitatem ipsorum.

Tertia diuisio, est in Physicam, & moralem; physica, seu realis est illa, quæ verè, & realitèr influit in effectum, vt ignis causat ignem; moralis est duplex, vel moralitate libertatis, quæ est illa, quæ potest agere, & non agere, etiam positis omnibus præ requisitis ad agendum, vt voluntas; vel moralitate imputationis, & est illa, cui secundum rectam existimationẽ prudentum imputatur effectus, in quem ipsa physicè non influit; tales enim causæ sunt iubens, consulens, & aliæ.

Quarta diuisio, est in causam vniuersalem, & particularem; prima est, quæ concurrit, vel ad omnes effectus vt Deus, vel ad plures, vt cæli, intelligentiæ; secunda est, quæ ad aliquem certum, & determinatum effectum concurrit, vt sublunaria, nempè homo hominem, equus equum, &c.

Quinta diuisio, in causam principalem, & instrumentalem: prima est, quæ propria virtute attingit talem effectum: secunda dispositiuè inseruit causæ principali; vt in scribendo, scriptor est causa principalis, calamus instrumentalis.

Sexta diuisio est in causam totalẽ, & par-

& partialem; totalis est duplex, vel totalitate causæ, vel totalitate effectus; causa totalis totalitate causæ est illa, quæ se sola sufficiens est ad ponendum effectum absque alia causa, vel simpliciter, cum excludit omnem aliam causam, vt Deus, sic totaliter creat animam; vel in genere cum excludit omnem aliam causam eiusdem generis, & ordinis, vt ignis sic totaliter producit ignem, & quamuis materia concurrat, tamen hoc est in genere causæ materialis, & quamuis Deus etiam influat efficienter, tamen est alterius ordinis: causa totalis totalitate effectus est illa, quæ ita influit in effectum, vt nulla sit pars effectus in quam non influat, vt duo trahentes nauim. Causa partialis diuiditur eodem modo, nempè alia dicitur partialis partialitate causæ, quę est illa, quæ producit effectum cum alia eiusdem generis, & ordinis, vt obiectum respectu notitiæ; partialitate effectus dicitur illa, quæ producit vnam partem effectus, & reliqua, aliam partem, vt duo artifices fabricantes eandem nauim, &c.

Septima diuisio est in causam actualē, & potentialem; causa actualis est illa, quæ actu causat; potentialis est, quæ actu non causat, sed potest causare; vt ignis respectu caloris geniti in ligno in actu dicitur causa actualis; respectu caloris, qui potest introduci in lignum dicitur causa potentialis.

Octaua diuisio est in causam vniuocam, & æquiuocam; causa vniuoca est, quæ producit effectum sibi similem, vt ignis generat ignem, & ideo dicitur continere effectum formaliter; causa ęquiuoca est, quæ producit effectum dissimilem in natura, vt Sol producit aurum in visceribus terræ, & ideo non formaliter, sed virtualiter continet effectum in se ipsa; causa vniuoca est æquè nobilis cum suo effectu; causa æquiuoca si erit totalis, tunc semper est perfectior suo effectu, vt Deus; si vero erit partialis, tunc non est necessariū, ipsam semper esse nobiliorem suo effectu, vt Sol in producendo animal, &c.

Nona diuisio est in vniuocam cōpletam, & incompletam; completa est quando effectus est similis causæ in forma, & in modo essendi, vt ignis producit ignem; incōpleta est quando effectus est similis in forma, non in modo essendi formæ, vt à domo in mente fit domus extra, &c.

Decima diuisio est in causam naturalem, & liberam; causa naturalis est illa, quæ est determinata ad vnum modum agendi, vt intellectus ad intelligere; vel est illa, quæ posita, & non impedita semper necessario sequitur effectus, vt ignis applicatus passo proportionato, & disposito necessario comburit; causa libera est, quæ se ipsam determinat, vt agat, & positis requisitis non necessario agit, vt homo respectu humanorū actuū, & ad vitia, & virtutes liberè se habet; vel est illa, quæ posita, & applicata ad passum dispositum potest efficere, & non efficere effectum, vt voluntas præsente obiecto cognito potest ama-

amare, & non amare.

Vndecima diuisio est in causam proximam, & remotam; causa proxima est, quæ nullo alio medio concurrit ad effectum; remota est illa, quæ mediante aliquo dicitur concurrere ad effectum.

Not. quod mediatio, vel immediatio causæ est multiplex; alia est virtutis, & alia suppositi; causa efficiens immediata, immediatione virtutis est, quæ agit per virtutem sibi inexistentem, vt calor calefacit: & è contra mediata hoc modo est, quæ agit per virtutem à se diffusam, vt dum lapis mouetur sursum, proijciẽs mouet lapidem per impulsum productum in ipso; causa efficiens immediata immediatione suppositi est duplex, scilicet in essendo, & in causando; prima est, quæ loco non distat à suo effectu, adeo vt inter ipsa nullum mediat suppositum, sic Deus agit in hæc inferiora, quibus est intimè præsens; & è contrà; mediata hoc modo quæ loco distat, vt Sol dum producit mineralia in visceribus terræ: secunda scilicet in causando est illa, à qua immediatè producitur actio, vt cum Sol producit mineralia, nam generatio illa à virtute Solis immediatè egreditur; & è contrà mediata hoc modo est illa, quæ non sua virtute attingit effectum, sed mediãte virtute ab ipsa procedente, vt ignis mediante calore, quæ est virtus ab ipso dimanans, calefacit, &c.

Duodecima diuisio est in causam præcisam, & non præcisam; prima est illa, qua posita ponitur effectus, & qua ablata remouetur, vt humanitas est causa præcisa risibilitatis; secunda est illa, qua posita non ponitur effectus, quamuis si remoueatur, etiã remoueatur effectus, vt animal non dicitur causa præcisa hominis, quia ex positione animalis nõ ponitur homo, licet animali non posito, tollatur etiam homo.

Tertiadecima diuisio solet esse in efficiens, quod, & in efficiens, quo; causa efficiens, quod, est suppositum quod agit, scilicet Petrus, vel ignis; causa efficiens, quo, alia est principalis, vt forma substantialis, alia minus principalis, vt forma accidentalis; in igne enim efficiens, quo, minus principale, seu instrumentale est calor, vel siccitas, &c.

Quartadecima diuisio est in causam efficientem secundum extrinsecam denominationem, & in causam efficientem secundum intrinsecam denominationem; prima est illa, quæ intantum dicitur formaliter causa, quia tantummodo terminat dependentiam effectus ad ipsam, non verò per quandam relationem causæ in illa existentem, sic Deus dicitur causa omnium, quia terminat dependentiam omnium, nam non potest fundare relationem aliquam ad creaturas; secunda est, quæ realiter refertur ad effectum relatione reali, & etiã terminat dependentiam effectus.

QVÆ-

QVAESTIO V.

An eiusdem effectus possint esse plures causæ totales, & adæquatæ?

PRæsensquæstio examinatur non de causis totalibus diuersi ordinis, quæ sunt subordinatæ, vt causa prima, & secunda, vniuersalis, & particularis, sed de causis totalibus eiusdem ordinis, quarum quælibet totalitèr se habet, vt duæ causæ efficientes v.g. duo ignes respectu eiusdem calcfactionis, & adæquatè agentes ad effectum; quid sit causa totalis eiusdem, & diuersi ordinis, prima, & secunda patet; vt supra, &c. & licet quęstio possit examinari tam de causis intrinsecis, quam de causis extrinsecis, tamen, quia de intrinsecis patet apud omnes, cum non possit dari vnum per se compositum ex pluribus materijs, & formis totalibus, quia ex his potius fieret vnum aggregatũ per accidens; igitur tota quæstio reducitur ad causas extrinsecas, & quia de finali parum curare debemus, quia cum non sit vera, & realis causa, effectus ab ea non dicitur propriè, & essentialiter dependere; ideo quæstio præcipuè agitatur de causa efficienti; quæsitum agitatur non naturalitèr; cum hoc certum sit non posse fieri, sed supernaturaliter scilicet per Dei potentiam absolutam; his positis sit, &c.

Concl. Neg. est Scoti in primo d. 2. q. 3. littera D; & in 2. d. 20. q. 2. & in 3. d.p. q. 2. littera A, contra nominales, & quamplures Varroist as affirmantes eundem effectum esse à pluribus causis totalibus non implicare. Probatur dependens essentialitèr, & totalitèr ab vno, non potest totalitèr dependere ab altero in eodem genere dependentiæ, sed dependentia causati, seu effectus ad causam totalem est terminanda ab vna causa totali, ergò implicat dependentiam eiusdem causati esse ab alia causa totali: mai. patet, nam pendens essentialiter, & totaliter ab aliquo; ita pendet ab illo, vt eo circumscripto, non possit esse, sed si penderet ab alia causa totali adhuc possit esse, ergò signum est, quod non pendebat totaliter ab illa causa: Item impossibile est, aliquid essentialiter, & totaliter depẽdere ab vno, & quod possit esse sine illo, ergo, &c.

Secundo probatur si idem effectus posset esse à duabus causis totalibus, sequitur quod vna ablata, tollitur effectus, & alia remanente, remaneret effectus, ergo idem effectus esset, & non esset, quod implicat.

Tertio, causa totalis non est causa, nisi habeat totum effectum propriũ, sed si essent duæ causæ totales respectu eiusdem effectus neutra haberet proprium effectum, ergo neutra esset causa totalis; min. prob. nam causa totalis ita efficit effectum, vt altera non concurrat in eodem ordine causandi, ergò si respectu eiusdem effectus sunt plures causæ, signum est, quod non erunt totales, &c. Item indi-

indigentia effectus si totalitèr explctur per vnam causam, impossibile est simul expleri per aliam.

Quarto causæ totali agenti correspondet totalis entitas effectus, ergo eadem entitas effectus posita inesse ab vna causa totali, non ponitur ab alia: conseq. patet, nam implicat idem indiuisum, quod iam est, poni inesse per aliam causam totalem.

Obijc. primò. Existente hoc Sole Deus potest efficere alium Solem æquè perfectum, & æquè applicare ad idem numero lumen, quod nunc est ab hoc Sole, sed illi essent duæ causæ totales, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam, si tales soles æquè applicaretur, tunc agerent intensius, quia producerent lucem intensiorem; qualitas enim suscipit magis, & minus.

Dices. Si Deus non præberet cōcursum ad effectum intensiorem, sed tantum ad ponendum effectum, tunc illi duo Soles æquè applicati efficerent eundem effectum non intensiorem, ergo, &c.

Resp. Quod dato casu illi duo Soles non agerent, vt causæ totales, sed vt partiales: Item si Sol illuminaret aerem quantum aer potest illuminari, tunc Deus si adderet alium, ille non illuminaret, quia illa potentia aeris, vt illuminetur esset expleta, & euacuata ab vna causa, ideo in tali casu Deus adderet causam in essendo, non in causando, vel adderet causam, non causalitatem.

Obijc. secundò. Duo ignes naturaliter agunt in quantum possunt ad passum dispositum, scilicet ad stuppam, sed illi sunt duæ causæ totales, quia quilibet illorum potest efficere talem combustionem, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod si illi duo ignes simul applicarentur ad eundem effectum, non agerent, vt causæ totales, quia vnus ignis ageret cum alio in eodem genere, & quamuis sint causæ totales, vt simul non applicatæ, tamen applicatæ ad eundem effectum, non se habent vt totales, sed vt partiales; vel secundo dicimus, quod ille effectus combustionis non eodem modo se habet, si producitur ab vno igne, sicut si producatur à duobus; nam quando sunt duo ignes, tunc velocius, & citius producitur illa combustio.

Dices. Causæ in instanti aptæ sūt totaliter agere, & effectus in instanti totaliter fieri, ergo eodem modo talis effectus producitur ab vno igne, sicut à duobus.

Resp. Quod tales causæ plures simul applicatæ ad eundem effectum agerent partialiter, non verò essent totales, quia vna causa totalis non esset indiuisibiliter alia causa totalis, nec possent ambo applicari indiuisibili applicatione.

Obijc. tertio. Id quod Deus se solo potest facere, facit cum causa secunda totali, ergo multo magis, quod Deus facit cum vna causa secunda totali, potest facere cū duabus causis totalibus; consequentia prob. nam ad illud, quod à solo Deo totaliter potest esse, est probabilis concursus

R causæ

causæ secundæ creatæ, ergo multo magis ad illud, quod potest esse ab vna causa secunda creata totali est probabilis concursus alterius causæ totalis creatæ.

Resp. Neg. consequentiam; ad probat. dicimus neg. conseq. nam causa prima, & secunda sunt essentialiter subordinatæ, & ideo conueniunt in aliquo communi effectu, quamuis sint totales, sed duæ causæ eiusdem ordinis, cum non sint essentialiter subordinatæ, si conueniunt in aliquo communi effectu, tunc non sunt totales: Item Deus ideo se solo potest facere, quod facit cum secunda causa, quia virtualiter, & eminenter continet quidquid potest causa secunda, sed causa secunda totalis nõ est sic respectu alterius causæ totalis, ideo, &c.

Obijc. quartò. Vnum corpus per diuinam potentiam in duobus locis adæquatis potest esse, ergo idem effectus potest à duabus causis adæquatis, & totalibus; conseq. sequitur, nam in his omnibus semper est adæquata, & totalis habitudo, ergo, &c.

Resp. Neg. conseq., ad probat. dicimus neg. paritatem, nam respectus locati ad locum est extrinsecus, ideo potest multiplicari locus absque multiplicitate locati, respectus vero effectus ad suam causam totalem est intrinsecus, & quia illud esse, quod causa totalis dat effectui est intrinsecũ, & essentiale, ideo non potest replicari à duabus per se causis totalibus.

Dices. Respectus causæ efficientis est extrinsecus effectui, quia causa efficiens est extrinseca, ergò potest multiplicari non multiplicato effectu, sicut de loco respectu locati.

Resp. Neg. conseq. nam si respectus causæ efficientis sit extrinsecus, tamen illud esse, quod à tali causa efficienti habetur, est intrinsecum effectui, & ideo si est vnus effectus, est similiter vna totalis causa efficiens.

Obijc. quinto. Vna causa totalis producit plures effectus totales, vt pater plures filios, ergò vnus effectus totalis à pluribus causis totalibus; consequentia patet, nam sicut causa totalis non expletur necessario per vnum effectum totalem, ita nec vnus effectus totalis per vnicam causam totalem.

Resp. Neg. consequentiam; ad probat. dicimus, quod causa totalis explicatur per vnicum effectum quoad actualem causalitatem; non verò quoad potentialem, quia adhuc potest alium totalitèr causare, vt si pater produxit filium actu adæquato, potest inde alium producere, quia non est expleta potentia; sed si essent duæ causæ totales respectu eiusdem effectus, tunc esset actus adæquatus, & non adæquatus, totalis, & non totalis, quod implicat, vt supra, &c. Vel secundo dicimus, quod producto vnico effectu ab vnica causa totali, euacuatur totalitèr eius potentia passiua, vt possit produci ab alia, sed potentia actiua causæ non expletur, & ideò potest alium effectum producere, &c.

Dices. Potentia actiua causæ totalis

talis non expletur per vnicum effectum, ergo nec potentia passiua effectus per vnicam causam totalẽ, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam causalitas causæ non est esse causa, sed à causa, & ideò si est causa, potest esse causalitas, sed esse effectus est eius primum esse, & ideò quia est nihil superest, quod ab alio fiat, &c. Vel secundo dicimus, quod potest replicari actus causandi, non actus essendi, &c.

Obijc. sexto. Plures Sacerdotes simul possunt consecrare eandem hostiam; sed se habent, vt causæ totales, ergo, &c.

Resp. Neg. min. nam Sacerdotes conueniunt in vna voluntate, dum consecrant cum Episcopo in susceptione Ordinis, & se haberẽt, vt causæ sufficientes, non totales, nã plures faciunt, quod singuli possunt facere; vel secundo dicimus, quod effectus debet spectari à causa totali, non ministeriali, quæ totalis non est, &c.

Dices. Circumscripto vno ex his adhuc consecraret, ergo sunt causæ totales, &c.

Resp. Quod in tali casu esset causa totalis, ideo, &c.

QVAESTIO VI.

An effectus productus ab vna causa potuisset produci naturaliter ab alia causa eiusdem ordinis.

Sensus quæsiti est, an idem numero effectus productus ab hac causa potuerit produci eodem tempore, & in eodem loco ab alia distincta causa eiusdem ordinis, vt hic numero calor, qui est in hac aqua ab hoc igne potuerit produci, si alter ignis esset applicatus, & hic numero leo applicatus ab hoc leone potuisset produci ab alio; his positis fit, &c.

Conclusio affirmatiua. Est Scoti in 2. d. 2. q. 2. littera B. & in 4. d. 45. q. 2. contrà Conimbricenses, Pererium, & quamplures Thomistas, & alios, qui volunt quemlibet effectum determinare sibi certam causam singularem, ita quod hæc numero forma ex se non posit produci, nisi ab hoc agente, & ex hac materia educi, & aliqui addunt, quod nec per diuinam potentiam hoc fieri potest, &c.

Probatur primo. Ordo causæ efficientis ad effectum (excepto ordine creaturæ ad Deum) est extrinsecus, quia quilibet effectus productus à causa secunda, posse à solo Deo produci, ergo contingit tunc numero effectum produci ab ista, vel illa causa, & consequenter sicut producitur ab vna, potuisset produci ab alia. Item ad hoc, vt effectus sit idem numero; sufficit quod habeat eandem numero materiam, & formam; sed materia ex qua ignis A. generat ignẽ B. potest applicari igni C. quia ex ea educat formam ignis: ergo ignis B. æquè potest generari ab igne A. & ab igne C. quia à quocunque generetur, semper erit eadem numero materia, & forma; mai. patet, nam in resurrectione mortuorum quilibet homo erit idem numero, quia diuina virtute forma cuiuscunque hominis iterum vnietur cum eadem numero

materia, ergo, &c.

Secundò. Si duraflet ſtatus innocentiæ, tantum electi ad gloriam nati eſſent: ergo cum Pater alicuius electi eſt reprobus, in illo ſtatu non eſſet natus, & conſequenter talis electus eſſet ab alio Patre, ergo idem effectus productus ab vna cauſa potuerit produci ab alia, &c.

Obijc. primo. Effectus determinatus habet determinatam cauſam, ex tex. 28. ergo effectus numero reſpicit determinatum agens, & conſequenter ſi producitur ab vno numero, non poterit eſſe ab alio, &c.

Reſp. Diſt. antecedens, in ſpecie, concedo; in numero, nego; nam combuſtio non determinat ſibi aquā, ſed ignem, & non hunc, vel illum ignem; effectus verò numero habet determinatam cauſam à qua eſt productus, non à qua potuit produci; nam ita eſt huius, vt potuit eſſe alterius, ſi omnes circumſtantiæ, quæ nobis notæ non ſunt, æquè applicatæ fuiſſent alteri, idem effectus producere potuiſſet, &c.

Duces. Ergo quælibet cauſa poſſet producere omnes effectus ſuæ ſpeciei, & vnus ignis omnes ignes, vnus homo omnes homines, &c.

Reſp. Neg. ſequelam, nam repugnat limitationi cauſæ, quæ finita eſt, & ſibi deficit proportio cum omnibus, & ſingulis, tàm collectiuè, quàm diuiſiuè; non enim effectus, quandocunque eſt à cauſa, ſed cum prærequiſitis. Vel ſecundo dicimus, quod non repugnat, eandem cauſam poſſe diuiſiuè in ſingulos effectus ſuæ ſpeciei, ſi proportiones adeſſent, nam ſicut hic filius eſt ab hoc patre, potuiſſet eſſe ab altero, ſi eædem proportiones fuiſſent, nihil enim deficit ex parte agentis, &c.

Duces. In viuentibus agens adminiſtrat materiam, ergo non poteſt eſſe eadem; conſequentia ſequitur, nam à diuerſa cauſa aliud ſemen funditur, &c.

Reſp. Neg. conſequentiam; nam illa materia, ſcilicet ſemen cum ſit ſuperfluum alimenti, idem numero alimentum, vel materia nutrimenti potuit eſſe in vno, & in altero, & ita tranſmutari ab vno, & ab alio, &c.

Obijc. ſecundò. Operari ſequitur eſſe, & modus operandi ſequitur modum eſſendi; ſed eſſe indiuidui eſt determinatum, ergo operari in indiuiduo eſt ab indiuidua cauſa, &c.

Reſp. Argumentum tantum probare, quod operari in indiuiduo eſt determinatum ad vnum numero agens, non verò ad tale agens, &c.

Obijc. tertiò. Effectus indiuiduus habet ſimilitudinem cum cauſa indiuidua, ergo effectus ſingularis reſpicit ſingularem cauſam, & non diſſimilem, & vagam, &c.

Reſp. Neg. conſequentiam, nam effectus habet ſimilitudinem cum cauſa, non verò identitatem, & ſicut hæc ſimilitudo participatur ab hac cauſa, potuiſſet etiam participari ab alia, ſi eſſent circumſtantiæ, nempè locus, tempus, materia, influxus; calor enim eſt ſimilis producenti, & etiam eſt ſimilis alteri, à quo potuiſſet produci, &c.

Obijc.

Obiec. quarto. Materia pertinet ad essentiam rei; sed ministrata ab vno non potest ministrari ab alio; quia illa materia ita est pars huius, quod non illius, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod illa materia, seu semen est ex redundantia alimenti, & probabile est alimentum sumptum ab vno, etiã sumi ab alio, & æquè concoqui, & disponi, & ita eandem materiam, quam administrat vnus, potest administrare alter, &c.

Dices. Indiuiduatio limitat, & contrahit speciem, ergo potentia indiuidua est ad indiuiduos effectus, &c.

Resp. Concessa consequentia, tamen ex hoc non sequitur, quod eius virtus non sit indifferens, vt limitetur à circumstantijs loci, temporis, materiæ, influxus, vt facerent indiuiduum, &c.

QVAESTIO VII.

An effectus productus à causa vniuoca, possit produci à causa æquiuoca?

SEnsus quæstionis est. An genita ex semine possent generari ex putri, & quod vniuocè est ab vno, possit æquiuocè fieri ab alio.

Concl. affir. De aliquibus viuentibus, scilicet imperfectis; non verò de omnibus: est Scoti in 1. d. 2. q. 7. littera R. & in 2. d. 19. littera K. contra Auerr. Piccol. qui absolutè negant viuentia posse generari vniuocè, & æquiuocè; contra Auic. & quosdam antiquos, putantes, omnia viuentia, & hominem posse fieri æquiuocè, & virtute Soli produci ex putri, quæ opinio ex Schola Philosophorum reijcienda est, cum experientia oppositum constet; nam nulla viuentia perfecta, vt homo, leo, aquila, & alia possunt generari æquiuocè, sed semper à suo sibi simile. Probatur conclusio de viuentibus imperfectis, vt sunt mures, ranæ, vespæ, apes, &c. & primo experientia; nam experimur vespes fieri ex corporibus equorum extinctorum, apes ex corporibus vaccarum, mures inter sordes, ranas inter lutos, quæ etiam coeundo possunt vniuocè generari, ergo idem effectus potest produci vniuocè, & æquiuocè, &c.

Resp. Quod genita ex semine, & ex putri videntur esse eiusdem speciei; sed non ita esse, sunt tamen eiusdem generis. Sed

Contra. Genitum ex putri potest iterum generari sibi simile, vt patet de mure, &c. ergo genitum ex putri, & ex semine sunt eiusdem speciei, &c.

Secundo. Animalia orta ex putri, & ex semine habent easdem operationes circa eadem obiecta, nutriuntur eisdem rebus, faciunt eosdem motus, constant eisdem organis, ergo sunt eiusdem speciei, & naturæ; consequentia sequitur; nam vnus motus, & eadem accidentia arguunt eandem naturam, ergo, &c.

Obiic. primò. Ex Auic. eadem ma-

materia est nutritionis, & generationis, ex 2. de gener. tex. 50. sed terra suggerit materiam nutritionis, nempè illam materiam, qua possint omnia viuentia nutriri, ergo ex ea omnia viuentia possunt generari virtute Solis, &c.

Resp. Dist. mai. remota, concedo; proxima nego; nam Arist. ibi locutus est de materia remota, qualis est herba, fructus, &c. non de proxima, vt est cibus digestus, nam hęc fit media concottione; terra enim suggerit materiam remotam, non proximam, &c.

Dices. Quod potest vis inferior, potest superior, sed homo ex semine generat hominem, ergo Sol, quod est agens superius, potuit ex elementis procreare hominem, &c.

Resp. Dist. mai. Quando virtus superior est simplex prior, vt est diuina, concedo; quando non est prior simpliciter, vt est Sol, nego; nam, &c.

Obiic. secundo. Ex Auer. vnius naturæ est vnicus modus communicandi, ergo quæ habent diuersos modos communicandi sunt alterius, & alterius naturæ, & consequenter genita ex putri, & ex semine, sunt alterius naturæ. Antecedens patet, nam aliter, aut vnus, aut alter modus esset frustra, ergo, &c.

Resp. Neg. ant. nam anima est vna simplex natura, & tamen habet duplicem modum communicandi, scilicet per intellectum, & voluntatē; item diuersus modus producendi rem non ponit diuersitatem specificam in illa re; ignis enim eiusdem speciei generatur ex lapide, & ex igne, &c.

Obiic. tertiò. Diuersorum motuum specie, sunt etiam diuersi termini specie, ex 5. Phys. tex. 48. sed productiones ex putri, & ex semine sunt diuersi motus, ergo, &c.

Resp. Quod mai. non est semper vera; nam motus circularis, & rectus tendunt ad idem vbi, tamen illi motus specie distinguuntur; vel secundo dist. mai. quando forma fluens est eiusdem rationis cum forma terminante, concedo; quando est diuersæ rationis, nego; nam dealbatio, & calefactio sunt motus diuersi specie, alterationis, & termini diuersi specie; nempè album esse, & calidum esse, quia sunt eiusdem rationis cum illis formis fluentibus; nempè cum dealbatione, & calefactione, & in hoc habet vim auctoritas Arist. productio enim vniuoca, & æquiuoca non sunt eiusdem rationis cum forma terminante; nam productio est relatio, & via, forma verò terminans, est substantia, & ideò ad vnam formam specie potest esse duplex productio specie, vt est in casu, & in hoc non habet locum auctoritas Arist. ideò, &c.

Obiic. quarto. Ex primo de generatione animalium cap. primo, quæ non ex coitu, sed ex putri materia oriuntur, & generantur quædam, sed genere diuersum; quodcunque gignitur, nec mas est, nec femina, ergo genita ex putri, & ex semine sunt diuersæ speciei, &c.

Resp. Neg. conseq. nam Arist. ibi

posuit

posuit tria genera animalium, quædam generantur solum ex semine, vt animalia perfecta, & quædam ex putri solum, vt animalia imperfectissima, vt Pulices, Anguillæ,&c.& quædam ex semine, & ex putri, vt mures, ranæ,&c. quæ generantur æquiuocè tantum, seu ex putri, si aliquid producunt non est eiusdem speciei, vt patet ex 5. de historia animalium cap. primo, ex pediculis procreantur lentes, ex muscis, vermiculi, qui alterius speciei à producentibus,& hoc secundo genere animalium loquitur Arist. in citata auctoritate, &c.

Obijc. quintò. Quod fit ex semine fit naturaliter, & quod fit ex putri fit à casu, sed eadem species non fit à natura, & à casu; fieri enim à natura opponitur ei,quod fit à casu, nam quod fit à natura fit à causa determinata, & quod fit à casu procedit à causa indeterminata, ergo, &c.

Resp. Neg. secundam partem mai. nam casualia dicuntur ea, quæ eueniunt ex causa determinata ad effectũ, quæ impedita producit aliquod, quod dicitur casuale, vt lapis cadens determinatè ad centrum, sed si impeditur frangit caput casu, &c. sed ea, quæ producuntur ex putri materia, producuntur ab aliquo, vt à Sole intendente huiusmodi effectum, sicut agens vniuocum intendit producentem sui effectus, ideo, quod fit ex putri non fit à casu, &c.

Dices. Vnumquodque est ab vniuoco, ex 7. Meth. ergo, quæ fiunt ex putri non generantur, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam quod est ex putri est simile in forma cum genito ex semine, sed non in modo essendi, &c.

Obijc. sextò. Materia est de quidditate rei, sed genitum ex semine,& sine semine haberet diuersas materias, ergo distinguuntur specie, min. patet, nam materiæ respondentes agentibus distinctis, sunt alterius, & alterius rationis.

Resp. Dist. min. habent diuersas materias transeuntes, concedo; permanentes, nego; nam materia transiens est materia secunda, nempe semen, vel lutum, &c. permanens est materia prima, ex qua cùm forma immediatè fit compositum; materia primo modo non est eadem cum genitis ex semine, & sine semine, materia secundo modo est eiusdem rationis in illis; herba enim, & fructus differunt inter se, & tamen semen in vtroque est eiusdem rationis, &c.

DISPVTATIO TERTIA.

De causa materiali.

PRÆTER ea, quæ diximus in primo Phys. de materia prout principium, & in secundo prout natura, nunc vero agendum est de materia prout causa, &c.

Quaritur primò. Quid est causa materialis?

Resp. Est principium ex quo fit aliquid cum insit; ita Arist. tex. 28. ponitur principium loco generis; ponitur ly ex quo fit aliquid loco differentiæ, quia per hoc differt à causa efficienti, & finali, quæ non sunt ex quo, sed à quo, & propter quid, differt etiam à causa formali, quæ licet sit ex quo fit compositum non tamen ex quo materiali, & antecedenti, sed ex quo formali, & terminatè; ponitur ly cum insit ad differentiam priuationis, quæ non inest in re producta per generationem, &c.

Quaritur secundò. In quo consistat causalitas materiæ.

Resp. Inesse subiectum constitutiuum, & eductiuum; illius respectu compositi, istius respectu formæ. Ita Scotus in 2. d.12. q.1. littera C.

QVAESTIO I.

An materia exerceat suam causalitatem circa Compositum, & circa Formam?

C*Oncl. aff*. Tum in fieri, tum in facto esse, est Scoti in 2. d.12. q. 1. contra Marinum, Auic. Albertum, qui putant, materiam esse tantum causa Compositi, non formæ. Probatur primò; nam causa materialis est id ex quo aliquid fit cum insit; idest ex qua fit compositum, ergo, &c. Secundo, materia influit in formã; nam est id ex cuius potentia educitur forma, ergo materia est causa formæ, &c. Tertio cõpositum, & forma pendent per se à materia, nam compositum cõponitur ex ea, forma materialis educitur ex ea, & in ipsa subiectatur, ergo ex his colligitur materiam non exercere suam causalitatem propriè circa generationem, & vnionem contra alios Recentiores, probatur, nam generatio, & vnio sũt relationes, sed relatio non pendet ab extremis in genere causæ materialis, sed

sed vel efficientis, vel finalis: ergo materia propriè non exercet causalitatem respectu generationis,& vnionis: Item causalitas est respectu eius, quod propriè fit, sed generatio est via vt aliquid fiat, & vnio est mediū, quo aliquid factum est, & cōstitutum ex partibus, ergo, &c. Item causalitas materiæ est ex quo aliud, sed respectu vnionis, materia se habet, vt ad quam aliud. Ergo, vt materialis est non causat vnionem, &c. Secunda pars patet, nam fieri compositi pendet à materia tanquam à subiecto circa quod actio agentis versatur, factum esse compositi est ab ea, vt ex causa intrinseca. Similiter fieri,& factum esse pendet à materia, vt ex subiecto ex quo educitur, & in quo conseruatur. Ergo, tam in fieri, quā in facto esse, materia est causa compositi, & formæ.

Not. quod compositum, & forma sunt effectus distincti ipsius materiæ: patet nam forma fluit à materia,tanquam ex qua educitur,compositum tanquam ex qua intimè cōstituitur, &c.

Obiic. primo. Materia est causa per modum subiecti, sed respectu compositi nō potest esse subiectum, ergo.

Resp. Dist. min. non potest esse subiectum eductiuum,concedo; cōstitutiuum, nego; nam materia respectu compositi est subiectum cōstitutiuum, &c.

Obiic. secundò. Materia (vt causa) est id ex quo fit aliquid cum insit; sed hoc est verum tantum respectu compositi, & non formæ. Ergo materia non exercet suam causalitatem, respectu formæ, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam Arist. ibi tantum definiuit causam materialem respectu sui principalis effectus, nimirum respectu compositi, respectu cuius est ex quo,& est in ipso; prout vero causa materialis est communis ad compositum,& ad formam, sufficit vt sit id ex quo aliquid fit, nam etiam forma est ex ea, quia educitur ex eius potentia, &c.

Dices. Materia est causa intrinseca vt patet, sed non sic se habet respectu formæ, ergo, &c. minor patet; nam causa intrinseca est pars illius cuius est causa, sed materia non est pars formæ, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. respectu compositi concedo, respectu formæ nego; nam respectu compositi est ex quo cōstitutiuè, ideo intrinseca, respectu vero formę est ex quo eductiuè, ideo non intrinseca, sed extrinseca, &c.

Obiic. tertiò. Materia non est principium formæ, ergo neque causa illius; antecedens patet, nam vnum principium non fit ex alio, &c.

Resp. Neg. antecedens, ad prob. dicimus,quod licet vnum principium non fiat ex altero, tanquam ex parte componente,pendet tamen ab illo in alio genere principij, &c.

Obiic. quartò. Materia dicitur causa eius, quod dicitur fieri, sed solum compositum dicitur fieri, ergo, &c.

Resp. Dist. min. propriè,& rigorosè concedo, largo modo nego; nam quamuis compositum denomi-

natur fieri, tamen ipsa aliquo modo dicitur fieri, quatenus transit de non esse ad esse, &c.

Dices. Materia est vna causa, ergo vnus effectus sibi correspondit tali genere, & consequenter, vel est tantum causa cõpositi, vel formæ, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam ad hoc, vt saluatur vnitas causæ materialis sufficit, vt tam respectu formæ quam respectu compositi habeat cõsimilem habitudinem causandi, ex quo aliud, tamquam ex subiecto, vel educitur, vel constituitur, &c. vel secundo dicimus; quod isti effectus non sunt duo adæquatè, & totales, sed se habent, vt quo, & quod, vnus formalis, alius totalis; &c.

Obijc. quintò. Contra id, quod colligitur sic, nam materia est principium generationis, sed principium, & causa in materia conuertuntur; ergo, &c. item materia verè subiectat, & substentat generationem, ergo verè exercet suam causalitatem circa generationem, &c.

Resp. Dist. min. principium, & causa conuertuntur in materia respectu compositi, & formæ, concedo; respectu generationis, nego; nam respectu formæ, & compositi se habet ex quo, respectu verò generationis non se habet sic, nam generatio vt est respectus non habet subiectum ex quo, ideò, &c. Ad aliud dicimus, quod licet materia sit subiectum generationis, tamen quia respectu illius non se habet ex quo, ideò respectu generationis non habet rationem causæ, &c.

Obijc. sextò. Materia verè est extremum vnionis simul cum forma, ergo est causa talis vnionis; &c. cum ex ea fit talis vnio, &c. & in ipsa subiectatur, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam vnio cum sit relatio habet extrema ad quæ est, non verò ex quibus, ideò materia quamuis sit extremus vnionis, non tamen exercet suam causalitatem circa illam, quia respectu illius non se habet, ex qua, sed ad quam, &c.

Quæritur. An in materia requiratur aliqua conditio ad causandum, sine qua non causaret, & quænam sit illa?

Resp. affir. & respectu causantis est existentia singularis, respectu causandum est ordo causarum; primum patet; nam actiones sunt singularium, ergo vt materia causet debet existere existentia singulari.

Secundum etiam patet; nam materia non potest se sola causare, ergo indiget medio consortio cum alijs causis. Item causæ in causando essentialiter sunt ordinatæ, ergo nunquam causant, nisi ordinentur, & applicentur iuxta effectus exigentiam, &c.

Not. Quod materia ad causandum formam eget tantum consortio causæ efficientis; ad causandum compositum exigit consortium causæ efficientis, & formalis, & suo modo finalis, ergo ordo causarum est conditio sine qua materia non exerceret suam causalitatem circa compositum, & etiam circa formam, vt dictũ est, &c.

QVAE-

QVAESTIO II.

An Deus possit supplere causalitatem causæ materialis, & in quo genere causæ.

EX dictis constat, duplicem esse causalitatem materiæ, vnam intrinsecam respectu compositi, & alteram extrinsecam respectu formas, de vtraque causalitate potest esse difficultas; pro qua sit, &c.

Prima Conclusio. Deus non potest supplere causalitatem, quam materia exercet circa compositum, est communis. Colligitur ex Scoto in 2. distinctione 5. littera C. Probatur; nam materia est de essentia compositi, quia in Physica compositum definitur per materiam, & formam, ergo implicat compositū esse sine ipsa, & consequenter materia non potest auferri à composito; itaut remaneat compositum idem essentialiter, &c.

Item essentiæ sunt sicut numeri, ex Arist. quia sicut in numero senario, si demas vnam vnitatem non remanet amplius senarius, sed fit quinarius, ita si à composito auferatur materia, tūc essentia compositi non remanebit eadem, ergo causalitas respectu compositi non potest suppleri, &c.

Secunda Concl. Deus potest supplere causalitatem, quam materia exercet circa formas substantiales, non in proprio genere, sed in genere causæ efficientis. Colligitur ex Scoto loco citato. Probatur, nam Deus potest supplere causalitatem, quam materia exercet circa formas accidentales, vt patet in Sanctissimo Sacramento Altaris, vbi Deus conseruat accidentia panis sine materia panis, ergo potest etiam supplere causalitatem, quam materia exercet circa formas substantiales materiales, &c.

Secundò. Quod non in proprio genere, nam causalitas materiæ erga formas, est eductio, & sustentatio formæ, sed Deus non potest esse subiectum eductionis, & sustentationis formæ, quia esset in potentia, & informaretur ab illa forma, ergo, &c.

Tertio. Quod potest in genere causæ efficientis, patet in Sanctissimo Sacramento Altaris, vbi quantitas existit, licet non subiectetur in materia, quæ ibi non est, ergo, &c.

Obijc. primo. Contra primam cōclusionem. Omnis causa secunda pendet à Deo in essendo, & causando, ergo cum quacunque concurrit iuxta suum modum causandi; sed quicquid facit cum causa secunda potest seipso facere, ergo, &c.

Resp. Dist. consequens, cum quacunque concurrit semper in eodem genere, nego, in genere causæ efficiētis, concedo; nam quando causa inuoluit imperfectionem, vt est materialis, & formalis, tunc concurrit modo eminentius, nempè modo effectiuo, &c. Ad min. subsumptam dicimus, quod in casu est implicantia, vt patet, in probatione, &c.

Dices. Ex Scoto in 2. d. 5. q. 2. to-

 tum

tum genus causæ reducitur in diuina omnipotentia ad genus causæ efficientis, ergo Deus efficienter potest supplere causalitatem causæ materialis, &c.

Resp. Scotum ibi loqui de causalitate materiæ, præcisè in ordine ad formam, non verò in ordine ad compositum, quia in hac causalitate interuenit specialis repugnantia, &c.

Obijc. secundò. Contra secundam conclusionem: Si Deus suppleret causalitatem, quam materia exercet circa formam, tum substentaret in se formam, sed hoc non potest esse, quia tùm deberet illam in se recipere, & haberet in se aliquid potentialitatis, & imperfectionis, & consequenter non esset actus purus, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. si suppleret in genere causæ materialis, concedo, in genere causæ efficientis, nego; nam Deus supplet causalitatem materiæ in genere causæ efficientis, quatenus conseruaret illam formam sine materia; & ideò non substentaret illam in se, &c.

Dices. Dato casu forma esset substentata, sed non daretur aliud substentans, nisi omnipotentia Dei, ergo forma reciperetur in omnipotentia Dei, vt substentaretur, &c.

Resp. Quod in tali casu forma non esset formaliter substentata, sed esset formaliter conseruata, quæ conseruatio esset æqualiter substentatio, ideò, &c.

Obijc. tertiò. Deus non potest supplere causalitatē subiecti circa relationem, quia Deus non potest separare relationem ab omni subiecto, ergo nec poterit supplere causalitatem; quam materia exercet circa formas substantiales, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam relatio dependet essentialiter à subiecto, & ab eo habet suam entitatem; forma enim, quæcunque sit non dependet hoc modo à materia, quia ex se habet entitatem; nam quantitas etiam dicit ordinem ad subiectum, tamen quia in se habet suam entitatem, potest suppleri à Deo, vt patet in Sanctissimo Sacramento Altaris; ita dicendum de forma substantiali, &c.

Obijc. quartò. Forma substantialis physica se habet ad materiam, vt simitas ad nasum, ex t. 19. & 21. sed non potest poni simitas extra nasum per Dei potentiam, cum nasus sit de definitione simitatis; nam simitas est curuitas in naso, ergo nec etiam Deus potest ponere formam extra materiam, & consequenter non potest supplere causalitatem materiæ circa formam.

Resp. Neg. consequentiam; nam Arist. existimauit omnia esse simpliciter impossibilia, quæ naturaliter sūt impossibilia: item locum ex Arist. citatum non esse nobis contrariū, quia Philosophus his verbis vult tantum distinguere Physicam à Mathematica in hoc, quod Physica cōsiderat omnia in ordine ad materiam, sicut nasus ponitur in definitione simitatis, non in Mathematica: ex his enim non potest inferri, quod secundum Arist. formæ sint inseparabiles à materia, quia

licet

licet formæ dicant ordinem essentialem ad materiam, & in ordine ad illã definiantur, & considerentur in Physica, tamen non sequitur eas, non posse separari per peculiarem Dei concursum, vt accidit in quantitate, quãtitas enim ex se dicit ordinem ad materiam, & tamen potest separari à materia, &c.

Obijc. quinto. Termini non possunt existere sine re, cuius sunt termini, sed forma materialis est terminus materiæ; quia materia à forma habet esse determinatum, ergo, &c. maior patet; nam termini quantitatis (vt est figura) non possunt existere separati à quantitate, ergo, &c.

Resp. Neg. mai. vniuersaliter loquendo, vt patet de accidentibus respectu materiæ, & de anima rationali respectu corporis, ideo, &c.

Obijc. sexto. Contra secundam partem, causa materialis est subordinata Deo non minus, ac causa efficiens; sed causalitas causæ efficientis ratione istius subordinationis, potest suppleri à Deo in proprio genere, ergo causalitas materialis, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam causalitas causæ materialis, vt sic considerata dicit imperfectionem, vt supra, ideò sufficit, quod dicatur essentialiter subordinata, vt possit suppleri à Deo in eminentiori genere causæ, &c.

Dices. Causalitas materiæ in formam est extrinseca, sicut causalitas efficientis, ergo si Deus potest supplere causalitatem efficientis in proprio genere, similiter potest causalitatem causæ materialis in proprio genere, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam causalitas materialis, quamuis assimiletur efficienti in hoc, quod vtraque causa est extra suo effectui; quatenus intrinseca eum non componunt, &c, tamen causa efficiens dicitur extrinseca quodam peculiari modo effectui; quatenus non indiget vnione naturali cum ipso, quod materiæ conuenire non potest, nam materia ex se petit vnionem cum suo effectu scilicet cum forma recipiendo eam in se, & ipsam substinendo, &c.

DISPVTATIO QVARTA.

De Causa formali.

QVaritur. Quid est causa formalis?

Resp. Est quæ dat esse intrinsecè, & completiuum rei; ponitur ly dat esse, loco generis, ponitur ly intrinsecè loco differentiæ, quia per hoc differt ab efficiente, & finali, ponitur ly completiuum ad differentiã causæ materialis, quæ licèt det intrinsecè esse rei, non tamen completiuũ; sed tantum materiale, & initiatiuum.

QVAESTIO I.

Ad quæ se extendit causa formalis, & quænam sit eius proxima ratio causandi?

PRima Conclus. Causa formalis exercet suam causalitatem circa compositum, & circa materiam. Est Scoti in 1. d. 8. q. 4. littera X. & in 4. d. 12. q. 3. littera Y. Prob. nam causa formalis dat esse intrinsecum, & completiuum rei, sed hoc exercet circa compositum, quia intrinsecè ipsum componit, & circa materiam, quia ipsam actuat, & complet; ergo circa compositum, & circa materiam exercet suam causalitatem. Item forma habet componere, & actuare, ergo compositum, & actuatum sunt effectus formæ. Not. quod respectu cõpositi dicitur primò exercere causalitatem primitate intentionis, & dignitatis; respectu materiæ primò primitate executionis.

Secunda Conclusio. Causalitas formæ est componere, & informare. Probatur, nam causalitas causæ non est ipsa entitas causæ, sed via, & medium, quo causa tendit in suum effectum, tunc sic, In eo consistit causalitas formæ, quod immediatè fluit à forma, sed componere, & informare sunt huiusmodi in forma, ergo, &c. Item forma non potest aliter causare, nisi componendo, & informando, ergo, &c.

Tertia Conclusio. Causa formalis exercet suam causalitatem proximè non per eius entitatem absolutam, sed per eius actum. Est Scoti vbi supra contra quamplures Thomistas, qui volunt, entitatem absolutam formæ

me esse proximè rationem causandi.

Prob. Forma vt causa dicit habitudinem ad causatum, sed quoad suam entitatem precisè consideratam non est sic, quia est quid absolutum, ergò proximè non exercet causalitatem per suam entitatem. Item anima, quæ creatur est prius natura, quam informet corpus, & causet compositum, ergo ad eius entitatem absolutam non spectat habitudo ad causandum; consequentia patet, quia nihil, quod est posterius natura aliquo spectat ad essentiam illius, ergo, &c.

Obijc. primò. Contra primam conclusionem. Causa est nobilior suo effectu, sed forma non est perfectior composito, ergo non est causa compositi; quod non sit causa materiæ patet, nam materia est indepedens à forma, quia potest esse sine forma, ergo, &c. Item materia est in causabilis; ergo non causatur à forma, &c.

Resp. Dist. min. nō est perfectior in ratione entitatis, concedo; in ratione causæ, nego; nam forma in eo, quod causa est perfectior, quia magis independens, compositum verò dependet à forma. Vel secundo dicimus, quod maior non est semper vera, quia causa intrinsecè componens per modum partis non est simpliciter perfectior suo effectu, &c.

Ad aliud dicimus dist. antecedens materia est independens à forma quantum ad esse, concedo; quantum ad tale esse, nego; vel Metaphysicè, concedo, Physicè, nego; nam materia physicè est subiectum informationis, & generationis, &c. Per idem resp. ad confirmationem.

Obijc. secundo. Contra secundam conclusionem. Informatio est primus effectus formæ, ergo non est causalitas, quia effectus distinguitur à causalitate.

Item non potest intelligi, quod eadem res sit via, seù ratio causandi, & causata; sed informatio, & compositio, est causata à forma, ergo non est via, & ratio causandi formæ, &c.

Resp. Neg. antecedens, nam effectus formæ sunt esse formatum, & compositum; informatiò verò proqt in fieri est causalitas. Item effectus est extra causam, & causalitatem, formare, & componere est causalitas, & via ad esse formatum, & compositum.

Obijc. tertio: Forma mediante vnione informat, & perficit materiā, & dicitur pars formalis compositi, ergo vnio est propriè causalitas formæ, & non informare, & componere, &c.

Item posita vnione, & praciso quocumque alio, forma necessario exercet suam causalitatem, & remota vnione impossibile est formam exercere causalitatem, ergo signum est, quod vnio sit causalitas, antecedens patet, nam si forma vnitur, necessariò communicat seipsam, ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens, mediante vnione vt præexigita, concedo; vt causalitate, nego; nam vii vnionis nō fit pars formalis compositi, sed fit pars formalis, quia dat esse formale, & com-

& completum composito. Vel secundo dicimus, quod non omne prærequisitum, & inclusum in causa est causalitas causæ.

Ad aliud dicimus, quod argumentum potius est pro nobis, nam si posita vnione forma exercet suam causalitatem, sequitur, quod vnio non est causalitas formæ vt patet, ideò, &c.

Obijc. quartò. Contra tertiam cõclusionem. Forma per se ipsam immediatè constituit compositum simul cum materia; ergò ipsa entitas formæ est proxima ratio causandi cõpositum. Item Arist. reddens rationem, cur ex materia, & forma fiat vnum per se, inquit, quia forma est per se actus, scilicet essentialitèr actus, & materia per se potentia, idest essentialitèr potentia, vt explicat Scotus, ergo ab entitate formæ, & materiæ est attendenda ratio proxima causandi, &c.

Resp. Dist. antecedens per se ipsam immediatè vt excludatur aliquis modus, vel aliquid aliud accidentale medians, quod sit ratio causandi, concedo, vt excludatur proprietas eius fluens ab ipsa, vt est actus, nego; nam forma per eius actum ab ipsa fluentem constituit compositũ, sicut materia per eius potentiam.

Ad aliud dicimus cum Scoto, quod Philosophus ibi intelligit de perseitate, & essentialitate in secundo modo dicendi per se; Scotus enim in 9. d. 2. q. 2. littera E, reddens rationem, cum ex materia, & forma fiat vnum per se, ait cum Philosopho, quia hæc est per se actus, materia per se potentia, & veniens ad immediata inquit, cur forma est per se actus, & materia per se potentia; respondet quia hoc est hoc, & illud est illud, ergo signum est, quod quando Scotus assignat rationem potentiæ, & actus esse rationem proximam causandi, non loquitur de earum essentijs præcisè sumptis, &c.

Dices. Si forma constituit compositum per actum, qui est eius aptitudo, ergo per aliud, & non per se.

Resp. Dist. consequens, per aliud, quod aduenit entitati formæ, nego; per aliud, quod est eius proprietas, concedo; nam, &c.

Obijc. quintò. Scotus in 2. d. 1. q. 2. littera E, docet, ad absolutum in causa sequitur immediatè absolutum in effectu, ergo ex Scoto entitas absoluta causæ secludens omnem respectum est ratio proxima causandi.

Resp. **Neg. consequentiam, nam Scotus ibi tantùm excludit aliquod aliud, siue absolutum, siuè respecti**uum de nouo adueniens causæ, quando actu causat, quod verè mediet sicut via inter causam, & effectum, sed non excludit respectum trãscendentalem potentiæ causatiuæ.

Obijc. sextò. In igne ratio proxima ignitiuis est sua essentia, ergò multò magis asserendum est de forma, & etiam de materia, quæ sunt causæ intrinsecæ, non extrinsecæ. Item illa est ratio proxima causandi, per quam respondetur interrogationi factæ, propter quid causa causat, sed huic interrogationi in proposito fa-

ctæ, respondetur, quia materia est talis naturæ, & forma talis naturæ, ergò,&c. Item relatio non potest esse ratio proxima causandi ens absolutum, ergò, &c.

Resp. Dist. antecedens, est sua essentia vt sic,nego; prout imbibit realitèr respectum transcendentalem, cōcedo; nam ignis sua essentia prout includit potentiam actiuam est proxima ratio causandi ignitionem, ita dicendum in casu.

Ad aliud dicimus, quod dum illi interrogationi respondemus, debemus dicere, quia materia est talis naturæ cuius proprietas est potentia, forma est talis naturæ,cuius proprietas est actus, seu aptitudo informatiua, &c.

Ad aliud dicimus,quod in conclusione non intelligimus solam illam relationem esse rationem proximam, & integram causandi, sed entitatem absolutam, prout imbibit illum respectum transcendentalem, nam illud totum dicitur vel potentia actiua, vel passiua, vel informatiua, iuxta diuersitatem causarum, &c.

Dices. Forma in ratione actus respicit materiam, & non compositū, ergò in ratione actus non causat cōpositum.

Resp. Dist. antecedens in ratione actus informatiui, concedo; in ratione actus constitutiui,nego; nam,&c.

Dices. Arist. secundo de anima t.6. definit animam, quod sit actus corporis ergo actus est de essentia animæ, vel formæ. Item principium causandi formæ non est nisi entitas formæ, quæ per se ipsam,& per suam entitatem causat, & se totam exhibet materiæ, & composito, &c.

Resp. Quod Arist. ibi definiuit animam in ordine ad corpus, cuius est actus, non verò absolutè, & in se. Ad aliud dicimus, quod causa est ipsamet entitas formæ, sed ratio causandi est actus, quo forma causat, &c.

QVAESTIO II.

An forma possit effectiuè sibi causare vnionem cum materia?

CONcl. Neg. sed hoc fit virtute agentis. Est Scoti in 4. d. 43. q.3. littera O, & d.12. q.1. contra Henricum, Conimbricenses putantes, si Deus disponeret corpus iam extinctum ad animæ receptionem, anima se ipsa,& sua virtute se illi vniret, & reuiuisceret homo. Probatur forma, & efficiens non coincidunt in idem numero, sed anima est causa formalis hominis, ergò non est efficiens respectu eiusdem. Item data opposita sententia,tunc effectus posset esse sinè alijs causis, quod est falsum; sequela patet, nam anima de se absque alijs causis faceret hominem.

Obijc. primò. Ex tex.7. forma, finis, & efficiens sæpè coincidunt,ergo,quod fit formalitèr per formam, non repugnat esse etiam effectiuè ab illa.

Item anima naturalitèr inclinatur ad perficiendum corpus organicum,

& dispositum, ergo sua virtute absque alio agente posset illud informare, &c.

Resp. Dist. antecedens, sæpè coincidunt in specie, concedo; in numero, nego; nam si coinciderent in numero, tunc sequeretur, quod idem esset efficiens, & effectus. Vel secundo in ordine ad diuersos effectus, concedo; ad eumdem effectum, nego; nam anima vt forma habet informare, & constituere compositum, vt actiua non habet facere hoc, quia nihil facit sibi effectum formalem. Ad aliud dist. antecedens, anima naturalitèr inclinatur ad perficiendum corpus in genere causæ formalis, concedo; in genere causæ efficientis, nego; nam, &c.

Vel secundo dicimus, quod inclinatur ad hunc effectum cum alijs causis, &c.

Obijc. secundò. Corpus perfectè organicum est totalitèr dispositum respectu animæ, sed ad totalem dispositionem sequitur necessariò illud ad quod est dispositum, ergo anima absque causalitate agentis potest causare talem vnionē. Item quod Deus potest cum alio, potest sine illo, sed vnio formalis non est effectiua, ergo posset Deus concedere vnionem formalem formæ absque effectiua.

Resp. Dist. min. mediante agente, concedo; sine actione agentis, nego; nam, &c. Ad aliud dicimus negando consequentiam, nam vnio formalis licet non sit effectiua, tamen non potest esse sine causa efficienti, nam implicat informationem esse effectum à parte rei absque suo agente, &c.

Dices. Informatio est solius formæ, ergo se sola potest.

Resp. Dist. antecedens, est solius formæ quātum ad id, quod dicit formalitèr, concedo; quantum ad id, quod est à parte rei, nego; nam à parte rei non solum est esse formale, sed etiam esse productum ab agente, ideo, &c.

Quæritur primò. An accidentia habeant veram causalitatem formæ circa substantiam?

Resp. Aff. non simplicitèr, sed secundum quid. Est Scoti in 4. d. 11. q. 3. littera duplici AA. contra Aureolum, qui putat accidentia non posse habere entitatem formæ, per quam possit causare formalitèr.

Prima pars probatur, nam causa formalis est, quæ dat esse rei, & habet informare, sed accidens etiam hoc præstat, ergo, &c.

Secunda pars probatur, nam forma substantialis dat esse completum, & constituit inesse simplicitèr; sed accidens, cui inhæret dat esse tantum secundum quid, ergo accidēns non exercet causalitatem circa substantiam simplicitèr, sed tantùm secundum quid.

Quæritur secundo. An Deus possit supplere causalitatem causæ formalis?

Resp. Neg. probatur, nam forma substantialis est de essentia compositi, ergo non potest suppleri, quia tunc tolleretur essentia compositi; nec etiam circa materiam, quia tunc Deus

Deus informaret materiam, quod dicit imperfectionem, ergò, &c.

Quaeritur tertio. An Deus possit impedire effectum causae formalis?

Resp. Neg. probatur, nam effectus formalis formae est, quod subiectum accipiat esse formale à forma, & quod compositum constituatur, sed si Deus impediret hoc, tunc subiectum non acciperet esse à forma, nec compositum esset, ergò, &c.

Not. quod effectus formalis formae, qua subiectum accipit esse à forma, solet appellari primarius, & positiuus ad differentiam alterius effectus eiusdem formae secundarij, & negatiui, qualis est expulsio vnius formae ab alia ab eodem subiecto, &c. hoc supposito dicimus, quod Deus potest impedire talem effectum secundarium formae; patet quia Deus potest facere, quod duae formae substantiales informent eamdem materiam numero, sed hoc non potest esse, nisi vna forma non expellat alteram, ergò, &c.

Quaeritur quarto. In quo genere causae vna forma expellit alteram?

Resp. In genere causae formalis. Est Scoti in 4. d. 11. q. 3. littera F. contra Sotum, qui putauit, vnam formam expellere aliam in genere causae efficientis.

Prob. Nam vna forma expellit aliam informando materiã, sed quod facit forma media sua informatione dicitur facere in genere causae formalis, ergo, &c. Item vna forma non expellit aliam in genere causae efficientis, ergò in genere causae formalis, antecedens probatur, nam expellere effectiuè aliam formam potest fieri duobus modis, vel suspendendo concursum, quò conseruabatur, vel effectiuè causando aliquid, quod illam expellat, sed vna forma nõ expellit aliam primo modo, quia forma adueniens non conseruabat praeexistentem formam; nec secundo modo, quia forma nihil producit effectiuè, quod expellat aliam, sed per se ipsam expellit, ergo non in genere causae efficientis, & consequẽter expellit aliam in genere causae formalis.

DISPVTATIO QVINTA.

De causa efficienti.

Quaeritur primo. Quid est causa efficiens?

Respond. Est id vnde principium mutationis primum, aut quietis, ita Arist. t. 29. Vel clarius, causa efficiens est principium primum, à quo est motus, & quies; ponitur ly principiũ loco generis, non simpliciter, vt Deus; sed in proprio genere, vt etiam conuenit causis secundis; dicitur primum in ordine executionis, quia in ordine intentionis finis primò mouet, ponitur à quo motus loco differentiæ, nã per hoc differt à causa materiali, quæ est ex qua, à causa formali, quæ est in quam, & à causa finali, quæ est gratia cuius motus fit; dicitur quietis, quia sicut efficiens est principium motus, quando operatur, ita est principium quietis, quando cessat ab operatione.

Quaeritur secundo. Quotuplex est causa efficiens?

Resp. Multipliciter diuiditur ab Auctoribus; nam diuiditur in primã, & secundam, causam secundam diuiditur in physicam, & moralem; physica in causam per se, & per accidens; per se, alia principalis, alia instrumentalis; alia partialis, alia totalis; alia vniuoca, alia æquiuoca; alia vniuersalis, alia particularis; patet supra in disputatione de causis in communi.

QVAESTIO I.

An causæ secundæ habeant veram efficientiam?

Sensus quæsiti est, an causæ secundæ efficientes habeant propriam formam agendi, qua aliquid efficiunt dependenter à Deo, an verò se habẽt tantum concomitantèr, & non principaliter, pro qua fit

Concl. Causæ secundæ verè efficiunt suos effectus tàm substantiales, quam accidentales, tamen sunt dependentes, & subordinatæ à Deo in agendo. Est Scot. in 1. d. 2. q. 1. littera M. contra Gabrielem, & aliquos, qui existimarunt causas secundas nihil efficere, sed Deus ad earum præsentiam omnes effectus producit, vt ad præsentiam Solis illuminat, &c. contra Auicembronum, qui dicebat, corpora non habere actiuitatem, sed effe-

effectus,qui videntur ab illis corporibus fiunt à vi spirituali,& intelligentia eis intimè præsente.

Contra Auicennam, dicentem, omnes formas inferiores produci ab infima intelligentia, causas secundas tantùm habere actionem circa accidentia.

Prob.Concl. Ex illo Genesi primo Germinet terra herbam virentem,& lignum pomiferum faciens fructum secundum genus suum, & producat terra animam viuentem;& Lucæ 21. Videte ficulneam cum producunt iā ex se fructus, ergo ex sacra Scriptura clarè habetur, causas secundas verè efficere effectus.

Secundo. Ratione. Sol verè illuminat,ignis calefacit,terra tot herbas, & flores germinat,vt patet sensu, & experientia,sed hæc sunt causæ secundę, ergo, &c.

Si dicerent, hos effectus fieri à Deo præsentibus his rebus, non verò concurrentibus; sed,

Contra. Si Deus creasset Angelum ad præsentiam lapidis, etiam lapis diceretur creatiuus, quod est falsum,&c.

Obijc. primò. Ex 1.Corinth.c.15. Deus operatur omnia in nobis, & 2. cap.3.Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis,sed sufficientia nostra ex Deo est, ergo multò minus aliquid facere.

Resp. Neg. consequentiam; nam ad primam dicimus,quod Deus operatur omnia in nobis, quia ad omnes effectus immediatè concurrit, non verò quod aliæ causæ cum Deo non concurrant. Ad secundam dicimus, quod loquitur de operibus spiritualibus,quæ absque auxilio spirituali Dei non possunt effici.

Obijc.secundo. Deus est virtutis infinitæ eminentèr continens omnem effectum perfectiori modo, quam sint res in seipsis, ergo se solo potest in omnem effectum, sed Deo est tribuendus perfectior modus productionis, ergo melius est si dicamus, quod omnes effectus sint à Deo.

Resp. Quod licet Deus posset omnes effectus producere, tamen congruum est,vt sicut creaturis dedit esse,dedit operari, & auferre virtutem à causis secundis,est auferre,quod est collatum à Deo; nam ad esse sequitur operari.

Obijc. tertiò. Ex Auicembrono. Actio vnius in aliam exigit præsentiam agentis ad passum, sed talis non inuenitur in rebus corporibus, ergo, &c. mai. patet, nam agens non agit vbi non est,min. probatur, nam corpora ob dimensiones nequeunt se penetrare,ergo non possunt habere talem præsentiam, & consequentèr causæ corporeæ non possunt producere effectum, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dist. antecedens,corpora nequeunt se penetrare ob dimensiones secundum corpora, concedo; secundum virtutem, nego; nam ad præsentiam agentis ad passum sufficit penetratio secundum virtutem.

Obijc. quarto. Ex Auicenna. Multa animalia fiunt ex sola putredine, sed talia animalia nullam videntur habere

bere causam proximam, ergo necesse est dari causam spiritualem sufficienter paratam ad inducendum formam pro exigentia materiæ dispositæ.

Resp. Quod talia animalia videntur generari virtute causarum vniuersalium, & sic non ad aliquam intelligentiam spectat talia animalia produci, sed à virtutē Solis, & ad prouidentiam primæ causæ, cuius est supplere defectus causarum secundarum, ideo, &c.

Dices. Substantiæ corporeæ non agunt per se immediatè, sed per accidentia, vt ignis per calorem, aqua per frigus, sed hæc sunt accidentia, & inferioris ordinis, ergo non attingunt substantiam, sed sola accidentia.

Resp. Quod substantiæ agunt per accidentia dispositiuè, per se producunt substantiam.

Obijc. quinto. Deus sufficienti concursu influit in effectus, ergo omnis alia causa superfluit. Item causa prima prius agit, quam secunda, & in illo priori attingit totum effectum, ergo secunda nihil efficit.

Resp. Dist. antecedens concursum Dei esse sufficientem secundum rem, concedo; secundum modum, nego; nam, &c. ideò causa secunda non superfluit. Ad aliud dicimus, quod causa prima prius agit prioritate à quo; quia independentèr, & perfectius, non verò prioritate in quo, itaut prius attingat effectum, quàm secunda, &c.

QVAESTIO II.

An causa prima per se, & immediatè concurrat ad omnes effectus causarum secundarum?

AGens attingere effectum immediatè stat quatrupliciter scilicet immediatione causæ, virtutis, suppositi, & effectus; primum est quando agens se solo, absque alia causa attingit effectum, vt Deus se solo attingit effectum creationis. Secundum. Est quando attingit effectum per virtutem sibi inexistentē, vt ignis calore calefacit aerem remotum, quia calor est ibi præsens, non verò ignis, & Deus omnipotentia sua omnia efficit; tertium est quando inter suppositum agens, & effectum producendum non mediat aliud suppositum faciens distare localitèr agēs à suo effectu, vt ignis calefacit aerem proximum, quia nullum mediat suppositum inter ignem calefacientem, & aerem proximum calefactum: quartum est, quando nihil in ratione effectus prius producti mediat inter agens, & effectum vltimum, vt Sol non illuminat partem posteriorem medij, nisi prius illuminat partem propinquiorem, ratione cuius dicitur mediatè agere.

Agens immediatum immediatione virtutis correspondet tactui virtutis; agens immediatum immediatio-

tione suppositi correspondet vacui mathematico, quia non solùm est ibi, quoad potentiam, sed etiam quoad esse; his positis sit.

Conclusio affirmatiua, tàm immediatione virtutis, quàm suppositi, est Scoti quol. 7. & in 1. d. 36. & in 4. d 49. q. 3. contra Durandum, Henr. qui volunt Deum non concurrere ad effectus causarum secundarum immediatè, sed mediatè scilicet per creaturas, nec esse causam proximam, sed remotam, quatenus ab initio dedit esse creaturis, & dedit etiam virtutem operatiuam, & nunc Deus, nec aliter concurrit cum eis, nisi conseruando eorum esse, & virtutem operatiuam; contra antiquiores Thomistas, præsertim Ferraram tertiò contra gentes, qui affirmant Deum concurrere ad effectus causarum secundarum immediatè tantum immediatione virtutis, non suppositi.

Prima pars probatur ex illo Isa. 26. omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: & ad Philip. 1. Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere: & Actorum 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus; & 1. Corint. 15. Neque qui plātat est aliquid, neque qui rigat, sed incrementum dat Deus: & Danielis c. 5. Ipse mutat tempora, & ætates, transfert regna, atque constituit, ergo, &c.

Secundo. Ratione. Effectus causarum secundarum immediatè pendet à prima causa in esse, & in conseruari, ergo, & in fieri, consequentia patet, nam plus est effectum pendere à prima causa in fieri, quàm in conseruari; quia plus est dare esse simpliciter, quàm conseruare illud esse acceptū, ergo si effectus non pendent à Deo immediatè in fieri, nec in conseruari.

Tertio. Causa secundæ essentialiter pendet à prima in essendo, & in agendo; ergo sicut exigit immediatū concursum ad essendum, ita ad operandum, antecedens patet, nam causa secunda non minus limitata est in genere entis, quam in genere principij efficientis, cum agere sit commensuratum naturæ agentis, consequentia sequitur, quia in causis per se subordinatis inferior non potest agere sine concursu superioris; imò causa prima plus influit in effectum, quam secunda.

Secunda pars probatur. Deus vel concurrit cum causis secundis per virtutem creatam, vel increatam, non primo modo, quia Deus tunc non ageret, nisi quatenus ab initio dedit creaturis virtutem, quam nunc conseruat, & sic esset incidere in sententiam Durandi. Si per virtutem increatam, ergo per virtutem in ipso Deo existentem, quia virtus increata nullibi potest esse, nisi in supposito increato, & consequenter agit immediatè immediatione suppositi, quia virtus increata, quæ est omnipotentia diuina non potest esse in alio supposito, quod mediet inter Deum, & effectum.

Obyc. primo. Ex Durando ex illo Genesis 1 Germinet terram herbam virentem: item ex illo Ecclesiast. 15. Reliquit Deus hominem in manu consilij sui; ergo tota causalitas est à cau-

à causa secunda.

Resp. Dist. antecedens, concurrente Deo, concedo; non concurrente Deo, nego; nam, &c.

Obijc. secundò. Causa efficiens, tunc adhibet aliam causam ad effectum producendum, cum non habet sufficientem virtutem, sed quælibet causa secunda habet formam actiuã sufficientem ad effectum producendum datam à Deo, ergo alius concursus Dei est superfluus.

Resp. Dist. min. habet formam actiuam sufficientem dependenter à Deo, concedo; independenter, & nõ subordinatam, nego; nam causa secunda habet sufficientem virtutem in ratione causæ secundæ, quæ est essentialitèr subordinata primæ causæ, ideo si prima non agit, nec secunda ageret, &c.

Dices. Si quælibet causa secunda ageret dependenter à Deo, & sine Deo non posset in actum exire, ergo voluntas nostra non ageret liberè, quia ageret iuxta determinationem diuinam. Item Deus esset causa peccati, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam concursus Dei ex eius libero decreto est omnibus paratus; ideò voluntas nostra potest operari quando vult, & quomodo vult; an verò determinetur antecedenter, vel concomitanter spectat ad tractatum de concursu Dei cum causis secundis.

Ad aliud dicimus pro nunc, quod Deus concurrit ad materiale peccati, non verò ad formale, &c.

Obijc. tertiò. Deus potuit facere creaturas ita perfectas, vt seipsis, & virtute eis intrinseca agerent absque alia causa; ergo de facto sic ipsas fecit; consequentia patet, nam quod Deus fecit in suo genere perfectè fecit.

Resp. Dist. antecedens, absque alia causa secunda, concedo; absque causa prima, nego; nam sicut causa secunda non potest esse sine prima, ita nec actio causæ secundæ potest esse sine actione causæ primæ; nam sicut operari sequitur esse, ita modus operandi dependentèr sequitur modum essendi dependentèr, &c.

Dices. Si causa secunda agit dependenter à prima, ergo si secunda deficit, deficit dependentèr à prima.

Resp. Neg. consequentiam, nam dependentia est à prima, sed deficientia est à secunda, quia defectibilis est.

Obijc. quarto. Rex temporalis dat suo Proregi potentiam regendi, & efficiendi, nec alio actu concurrit, quam collata potentialitate ad gubernationem, ergo multo minus Rex Regum se se intromittit ad actus suarum causarum, quam virtute, & potentialitate data.

Resp. Neg. consequentiam, & paritatem; nam Rex temporalis, & Prorex non habent essentialem, & physicam subordinationem, sed tantum accidentalem ob dignitatem, ideò quæ potest Rex seipso, potest concedi Proregi, vt faciat, sed Deo sunt omnia essentialiter subordinata, & si agunt iuxta eorum naturam, semper agunt cum essentiali subordinatione.

Obijc.

Obijc. quinto. Quando duæ causæ simul concurrunt ad eumdem effectum, semper in effectu est assignabile aliquod ita respondens vni, quod non alteri, alitèr alia causa superflueret, sed in effectibus causarum secundarum nihil assignatur, quod respondeat Deo, quod etiam ipsis causis nō respondeat, ergo illæ solum producunt suos effectus.

Resp. Dist. si illæ duæ causæ sunt partiales, & non per se subordinatæ; concedo; si sunt totales, & per se subordinatæ, nego; nam argumentum habet vim tantum in causis partialibus, & non per se subordinatis, vt materia, & forma, non verò in totalibus per se subordinatis, vt est Deus, & creatura; ratio est, quia vnaquęquę ex illis attingit integrum effectum totaliter, licet in diuerso ordine; tota enim substantia ignis geniti dependet totalitèr ab igne efficiente, tamquam à causa secunda, & etiam totalitèr à Deo, tamquam à causa prima, à qua omne creatum essentialitèr dependet.

Obijc. sexto. Ex Ferrariense. Agere immediatè immediatione suppositi est attingere effectum nullo alio medio supposito, vt cum Deus aliquid ex nihilo creat, immediatè creat, quia nullo medio supposito, sed causa prima attingit aliquem effectū medijs suppositis, ergo, &c. min. patet, nam Deus mouet primum mobile per intelligentiam. Item communiter dicitur Deum producere effectus medijs causis secundis, quas sinit motus suos agere, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dist. antecedens, medijs causis secundis mediatione causæ, concedo; mediatione virtutis, & suppositi, nego; nam agere immediatè immediatione suppositi non excludit aliam causam actiuā, sed dicitur attingere effectum immediatè, sicut altera causa; itaque causæ prima, & secunda ita immediatè attingit idem passum, quod neutra causa est medium, per quod alia attingat passum; tamen causa prima immediatius attingit, quia intimiùs, & perfectiùs, & omnis attingentia causæ secundæ est virtute primæ.

Dices. Si causa prima immediatius agit, ergo prius agit, & consequentèr causa secunda non ageret; hæc consequentia patet, nam causa prima in illo priori attingit totum effectum, ergo, &c.

Resp. Dist. consequens, prius agit prioritate, à quo, quia independentèr, & perfectius agit, concedo; prioritate, in quo, itaut prius attingat effectum, quàm secunda, nego; nam, &c.

Obijc. septimò. Materia, & forma sunt entia creata, sed cum materialitèr, & formalitèr causant, non indigent Deo materialitèr, & formaliter concausante, sed totaliter in suo genere causant, ergo Deus non concurrit immediatè cum omnibus causis secundis.

Resp. Neg. min. nam materia, & forma licèt independenter causent in proprio genere, tamen non independenter simpliciter, quia causant dependenter à Deo concurrente in

genere causæ efficientis, &c.

Obiic. octauo. Quod Deus immediatè operatur, in instanti operatur, sed quod fit à causis secundis non fit in instanti, sed in tempore, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. quando se solo operatur, concedo; quando operatur simul cum causa secunda, nego; nam successio in operari non est necessitate diuini actus, sed necessitate causæ secundæ exigentis concursum Dei in omni suo actu, & Deus exhibet concursum accommodatum causis secũdis, tum etiam immediatio suppositi non excludit nunc causam actiuam mediam, sed solum dicit, quod Deus effectum immediatè attingit, & non in virtute existente in causa secunda.

Not. Quod Deus respectu proprij influxus dicitur immediatè attingere, respectu verò influxus creaturæ dicitur mediatè attingere; nam actio creaturæ, etiam tribuitur Deo, quatenus ipse communicauit illi virtutem agendi.

Quæritur primò. In quo consistit concursus causæ primæ cum secundis ad effectus causarum?

Resp. In illo ordine, & actuali dependentia causæ secundæ à prima in ordine ad actionem, & effectum cõmunem. Est Scoti in 4.d.33.q.3.littera E. contra Thomistas, qui volunt concursum diuinum esse aliquid impressum à Deo causis secundis præsuppositum actioni earum, si non tempore, saltem natura, vt sit principium, vel conditio ad agendum, non per modum permanentis, sed transeuntis cum ipsa operatione.

Prob. Nam causa secunda agit per formam propriam intrinsecam, & permanentem, quam habet in se in esse quieto, ergo quantum ad hoc nõ eget aliquo prçuio in ea recepto, quo agat, sed tantum, quia causa secunda est subordinata primæ in sua actione; consequentia sequitur, quia causa secunda vt causa habet formam, & actũ primum, quo agat, ergo tantum eget motione, & cooperatione in ordine ad actum secundum, quod est dependere, & subordinatam esse primæ in actuali motione, & operatione; vt in disputationibus Theologicis.

Quæritur secundò. An concursus primæ causæ, & secundæ sit vna, & eadem actio?

Resp. Neg. contra Ruuium, & alios. Patet nam à diuersis agentibus essentialiter distinctis est alia, & alia causalitas, sed causa prima, & secunda sunt agentia essentialiter distincta, ergo, &c. Item actio primæ causæ est independens, actio secundæ est dependens, ergo, &c.

Not. Quod concursus Dei cum secundis causis formaliter est simplex volitio Dei efficax, quo vult, & voluit has res facere cum his causis secundis, hoc loco, hoc tempore, his motibus, & actionibus, prout naturæ earum exigunt; terminatiuè autem est noua habitudo, & alia, ac distincta terminatio dependentiæ effectus ad primam causam, & ad secundam. Ita Scotus in 1.d.30.q.3.

QVAE-

QVAESTIO III.

An substantia sit immediatè actiua producendi substantiam?

SEnsus quæstionis est, num substantia sit causa efficiens producendi substantiam per aliquod principium substantiale, vel per aliquod accidentale, pro qua sit.

Prima Conclus. Substantia non est causa efficiens producendi substantiam per aliquod accidentale. Est Scoti in 4. d. 12. q. 3. & in 1. d. 37. q. vnica contra Perrerium, Gotfredum, & quamplures, qui volunt formas substantiales non esse principiũ agendi, & producendi substantiam, sed accidentia virtute propria generare substantiam, vt calor generat ignem, frigus grandinem; contra Thomistas omnes dicentes, accidentia non attingere substantiam virtute propria, sed virtute substantiæ, cuius sunt intrinseca, vt calor virtute sibi collata ab igne producit ignem; vt eius instrumentum.

Probatur primo. Omne agens totale, vel est vniuocum, vel æquiuocũ; si vniuocum, tunc est æquè perfectũ cum suo effectu; si æquiuocum, tunc est perfectius, sed accidens, nec est æquè perfectum cum substantia, neque perfectius, ergo nec vt causa vniuoca, nec vt æquiuoca producit substantiam; mai. patet, nam nullus effectus potest esse perfectior sua causa, quia in quo effectus superat causam, non habet esse ab ipsa, quia nemo dat quod non habet; ergo non est ponenda perfectio in effectu, quæ excedat causam. Item, implicat causam dari esse perfectius, quam sit in se, sed accidens est naturaliter inferius substantia, ergo non producit substantiam, nec dat esse substantiæ; mai. patet, nam ratio agendi sequitur rationem essendi, ergo si ratio essendi accidentis est inferior, quam sit substantia, sequitur, quod ratio agendi accidentis nunquam attingit substantiam.

Resp. Quod accidens vtique est inferius substantia ex se, tamen, vt est virtus substantiæ est instrumentum, & aliquid eius, & consequenter potest attingere ipsam substantiam; sed.

Contra. Virtus operandi sequitur intrinsecè rationem essendi, sed accidens ex se est simpliciter inferius substantia, ergo similiter virtus agendi accidentis, & consequenter non erit ad productionem substantiæ.

Secundo Prob. Nihil agit extra suam speciem, ergo nec accidens potest producere substantiam, consequentia patet, quia substantia est vltra speciem accidentis.

Resp. Antecedens esse verum de agente virtute propria; non verò de agente virtute alterius, sicut est accidens; sed.

Contra. Illa virtus substantiæ, qua accidens agit, aut inexistit accidenti, aut est extrà accidens, non secundum quia nullum agens efficit aliquid vir-

tute distincta à se realiter, non enim Sortes currit, vel aliquid agit virtute, quæ est in Francisco; nec primum, quia nihil quod est in accidente est nobilius ipso, omne enim quod est in accidente est accidens.

Item causa principalis non potest assumere aliquod instrumentum ad agendum, nisi sit proportionatum termino producendo; nam phantasma non potest esse instrumentum animæ ad percipiendum Angelum, nec etiam anima potest vti oculo ad intelligendum, sed illa virtus substantiæ (cum sit accidens per Caiet.) est improportionata substantiæ producendæ, quia imperfectior ipsa substãtia, ergo, &c.

Si diceret. Accidens exceditur à substantia in essendo, non verò in causando; sed.

Contra. Illa causalitas, aut est ipsum accidens, aut aliquid aliud; si primum, ergo habetur intentum, & sequitur vt prius; si secundum, ergo aget virtute illius causalitatis, quæ virtus non est ipsum accidens, vt inquit Caietanus.

Si iterum diceret, quod excederet secundum causalitatem effectiuam, non instrumentalem; sed

Contra ista causalitas instrumentalis, aut est virtus distincta ab accidente, aut est ipsum accidens; si primum, ergo accidens non est virtus substantiæ, vt dicit Caiet. si secundum ergo habetur intentum.

Caietanus sic glosat positionem D. Thomæ, quando ait, accidens agit in virtute substantiæ, virtus substantiæ non sumitur transitiuè, idest quod sit aliquid de nouo receptum in accidente, sed sumitur intransitiuè, idest agit per propriam entitatem, quæ est virtus substantiæ, & sic talis virtus est ipsummet accidens; sed

Contra. Data tali expositione Caietani, tunc accidens producit per se substantiam, & sic coincidit cum prima opinione, quia produceret quatenus ens tale, licèt originaliter sit à substantia.

Et sic impugnatur vt supra, nempè causa principalis non potest assumere aliquod instrumentum, &c.

Secunda Conclusio. Substantia producit substantiam per aliquod substantiale. Est Scoti vbi supra, contra prædictos Auctores. Patet ex confutatione opinionis eorum. Item potest sic probari. Illa forma est principium agendi, in qua genitum, & generans assimilantur, sed genitum assimilatur generanti in forma substantiali, ergo forma substantialis est principium producendi substantiam.

Obijc. primo. Ex Perrerio, ex lib. de sensu, & sensato cap. de Sapore. Ignis non agit vt ignis, sed vt calidus, ergo calor est ratio agendi. Item ex 2. de anima tex. 50. calor naturalis est quo anima agit, sed calor est accidens, ergo, &c. Item ex 1. de generatione, actionem fieri inter contraria, sed in substantijs non est verè contrarietas, ergo nec actio, & generatio.

Resp. Dist. antecedens, ignis agit vt calidus ad calefacere, concedo; ad ignire, nego; vel secundo agit, vt calidus dispositiuè, concedo; productiuè nego,

nego, nam ignis ad ignire primò disponit lignum per calorem, postea ad productionem formæ ignis, non amplius, vt calidus, sed vt ignis agit. Ad secundam, calor est quo anima agit, & efficit alterationem, & digestionem, concedo; nutritionem, nego; nam noua caro non nutritur, vel producitur per calorem, imò potiùs calore consumitur, sed calore alteratur, & digeritur cibus, qui postea à principio vitæ conuertitur in sanguinem, & carnem. Ad tertiam; actionem fieri inter contraria quoad substātiam generationis nego, quoad modum, concedo; nam modus, quo fit generatio semper est cum expulsione accidentis cōtrariorū impediētium generationem. Vel secundo in substantijs est contrarietas, quæ est inter habitum, & priuationem, seù contrarietas, qua vna substantia non est alia, nec vna compossibilis cum alia, quod sufficit ad generationem.

Obiec. Accidēs attingit vltimā dispositionē formæ generādæ, ergo erit causa illius formæ, consequentia probatur, nam ex Scoto in 2. d. 18. in tantum viuens dicitur causa alterius, quia attingit vltimam dispositionem formæ viuentis, ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens, vltimam dispositionem accidentalem, concedo; substantialem, nego; nam accidens solum attingit vltimam dispositionem accidentalem, quæ destruitur ad destructionem formæ corrumpendæ.

Viuens verò attingit vltimam dispositionem, quæ est forma substantialis permanens in viuente, ideò est dispar ratio.

Dices. Id quod circūscripto omni alio actiuo, attingit vltimam dispositionem substantiæ, propria virtute generat substantiam, sed accidēs est huiusmodi ergo, &c. min. probatur, nam si per diuinam potentiam detur calor separatus ab omni materia, & quod sit æqualis calori ignis, & quod approximetur lignum vtrique calori, tunc ad tantam dispositionem attinget calor separatus, sicut calor ignis, sed calor ignis attingit vltimam dispositionem, ad quam postea sequitur generatio formæ ignis, ergo, &c. Item si illi calori esset apposita vna gutta aquæ, ille calor corrumperet illam guttam, sed ex corruptione vnius sequitur generatio alterius, ergo illa generatio substantiæ esset ab accidente.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod calor separatus, & concretus non se haberent vniformitèr, quia calor ignis agentis attingeret vltimam dispositionem, vt virtus substantiæ; calor separatus non ageret, vt dispositio ad formam ignis, & vt instrumentum illius, nisi Deus suppleret vicem substantiæ ignis. Ad aliud dicimus, quod illa caliditas non posset corrumpere illam guttam aquæ, & si talis gutta ibi corrumperetur, hoc non esset ab illa caliditate, sed prima causa induceret ibi formam, ad quam naturalitèr disponit, & sic corrumperetur à forma substantiali.

Dices. Albedo hostiæ consecratæ ita disgregat visum, sicut albedo hostiæ

ßtiæ non consecratæ, ergo ita calor separatus ab igne,& calor in igne habent producere substantiam.

Resp. Neg. paritatem, nam disgregare est proprium albedinis, generare substantiam non est commune substantiæ, & accidenti, ideo, &c.

Obijc. tertio. Calor in ferro ignito comburit stuppam; similitèr lumen aeris per reflexionem radiorum producit ignem. Item collisio duorum corporum cum motu violento producit ignem,sed collisio est accidens, ergo, &c.

Resp. Neg. calorem in ferro producere ignem; nam ignis, qui est in ferro ignit stuppam, & nō calor,&c. Ad aliud dicimus, quod non est lumen aeris,quod producit ignem per reflexionem,sed Sol mediante lumine, & reflexione aeris, &c.

Ad aliud per idem respondetur; nam non est collisio corporum,quæ producit ignem,sed corpora media collisione,vt instrumentum videntur producere ignem,& non quæcunque corpora, sed talia.

Obijc. quarto. Sol generat aurum in visceribus terræ per virtutem suā, sed talis virtus est accidens,& aurum est substantia,ergo accidens vt virtus substantiæ producit substantiam.

Resp. Dist. mai. per virtutem suā, quæ est accidens, nego; per virtutem, quæ est substantia, concedo; nam Sol per virtutem,quæ est accidens agit tantum dispositiuè,per virtutem, quæ est substantia, agit productiuè,producendo aurum, & metalla in visceribus terræ; Sol enim est tantæ virtutis, & efficaciæ vt sua forma possit attingere loco distantia. Agens creatum potest agere in passum remotum actione non eiusdem rationis, qua agit in proximum, vt torpedo piscis mortificat manum Piscatoris, non rete, ita dicendum est de Sole, in quo est duplex potentia actiua, vna qua agit in proximū, & alia, qua agit in remotum diuersa actione, &c.

Dices. Sol non est præsens in visceribus terræ,sed agens non agit nisi vbi est præsens, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. non est præsens præsentia corrispondente tactui mathematico,cōcedo; præsentia corrispondente tactui virtutis,nego; nā, &c.

Obijc. quinto. Quod potest substātiā corrūpere, potest substantiam generare, sed extinctio caloris, quæ est accidens potest corrumpere substantiam, vt patet in morte hominis, ergo potest substantiam generare.

Resp. Dist. min. dispositiuè, concedo, corruptiuè, nego; nam illa extinctio caloris tantū disponit ad corruptionem substantiæ, & postea substantia corrumpit substantiam. Vel secundo dicimus, quod maior non est vniuersalitèr vera, nam homo interimit formicam, & tamen ipsam non potest generare.

Obijc. sexto. Accidens est virtus substantiæ, vt calor instrumentum animæ ad generandam carnem ex 2. de anima tex. 50. Item ex 2. de anima tex. 10. & 7. Met. tex. 32. semen est instrumentum,quo vnum animal

gene-

generat aliud, ſed virtus ſeminis eſt accidens, ergo accidens facit ſubſtantiam virtute alterius.

Reſp. Diſt. antecedens, diſpoſitiuè, concedo; productiuè, nego, nam, &c. Ad aliud dicimus, quod ſemen dicitur inſtrumentum generantis, quia eſt quoddam ens à natura inſtitutum vt ſuppleat vicem generantis, & potius eſt agens principale. Ideo recurrendum eſt ad virtutem diuina pro eductione, vel inductione formæ viuentis; virtus enim ſeminis nõ eſt accidens, ſed aliquod ſubſtantiale ſcilicet ſunt partes illæ ſubtiliores.

Obijc. ſeptimò. Poteſt effectus eſſe perfectior ſua cauſa, ergo poteſt ſubſtantia produci ab accidente; conſequentia patet, nam ex Scoto, ideò accidens non poteſt producere ſubſtantiam, quia eſt imperfectius, antecedens patet de albedine producente intellectionem, quæ eſt imperfectior ipſa intellectione, ergo, &c.

Reſp. Neg. antecedens, ad prob. dicimus, quod albedo eſt cauſa partialis intellectionis; non totalis, ſicut eſſet accidens ſi produceret ſubſtantiam; ideo ſufficit, quod perfectio effectus refundatur in alteram cauſam, nempè in intellectum, qui etiam eſt cauſa partialis intellectionis, quod non eſt ſic dicendum in caſu.

Dices. Sicut effectus duarum cauſarum partialium poteſt eſſe perfectior vna illarum, & non altera, ita effectus duarum cauſarum totalium ſubordinatarum, ergo ſi accidens cũ concurſu Dei ſe ſolo concurreret ad generationem ſubſtantiæ, ſatis eſſet, quod ſubſtantia excederet accidens, & non Deum; antecedens patet, nam ſicut imperfectio effectus refunditur in vnam cauſam, & non in aliam, nam quamuis Deus concurrat ad poſitiuum peccati cum voluntate creata, tamen defectus refunditur in voluntatem creatam, ergo ita perfectio in vnam cauſam, & non in aliam.

Reſp. Quod diſcurſus valet ſi cauſa ſecunda totalis, quæ in caſu eſſet accidens haberet aliquam virtutem ſaltem inchoatam producendi effectum, cum quo poſſit habere aliquã proportionem, quod non eſt in caſu; ad probationem antecedentis nego paritatem; nam non valet arguere à defectu ad effectum, quia defectus cum ſit quid negatiuum non exigit in cauſam virtutem poſitiuam, ſed potius negationem talis virtutis; ſed perfectio effectus requirit virtutem actiuam vel totalem, vel partialem; plus enim requiritur ad conſtruendum, quàm ad deſtruendum; ideò, &c.

Obijc. octauò. Si conſecrato ſanguine miſceatur vna gutta aquæ, illa gutta fit ſanguis Chriſti, ſed id non poteſt fieri virtute ſubſtantiæ vini, ergo virtute accidentium vini.

Reſp. Quod illa gutta aquæ poſt conſecrationem non vertitur in ſanguinem, quia ſtatuit Deus ad verba Sacerdotis fieri conuerſionem; tamen dato caſu illa gutta alteratur ab accidentibus vini vſque ad gradum incompoſſibilem qualitati aquæ, & corruptio illius guttæ aquæ nõ eſt ab accidentibus vini, ſed à Deo cauſa vniuerſali, ſupplente omnem defectum cauſæ ſecundæ, ideò, &c.

DI-

DISPVTATIO SEXTA.

De Causa finali.

Q*Væritur Primo*. Quid est causa finalis.

Resp. Est id, cuius gratia aliquid fit; ita Arist. t. 29. & 31. intelligendo, quod sit aliquod bonum; quia hoc habet rationem amabilis, ratione cuius operamur, vt sanitas dicitur finis deambulationis; non quia sit terminus illius, sed quia propter eam fit.

Quæritur secundo. Quotuplex est finis?

Resp. Quod multipliciter diuiditur. Primo in finem cuius, & cui, ex 2. de anima t. 37. Finis cuius est ille, cuius gratia agens operatur, vt sanitas est finis cuius gratia medicus laborat; finis cui est ille cui volumus finem cuius, vt homo est finis cui volumus sanitatem; ideò ex Scoto in 2. d. 6. q. 2. littera A. volitio terminata ad finem cuius dicitur amor concupiscentiæ, quia est velle propter aliud; volitio terminata ad finem cui est amor amicitiæ, quia est amor alicuius, propter se.

Secundo. Diuiditur in finem, quo, & qui; finis quo est operatio; finis qui est id, quod consequitur mediante illa operatione; vt visio beatifica est finis quo, Deus, qui consequitur mediante illa operatione dicitur finis, qui; hinc ortum duxit illa diuisio beatitudinis in formalem, & obiectiuam. Prima dicitur finis quo, secunda finis qui.

Tertio. Diuiditur in finem operãtis, & in finem operis. Primus est ille, quem agens sibi perscribit, vt si quis ob vanam gloriam daret eleemosynam. Secundus est ille ad quem illa operatio ex natura sua ordinatur, vt finis eleemosynæ ex propria natura est subleuatio pauperis à miseria; primus solet dici extrinsecus; secundus intrinsecus.

Quarto. Diuiditur in finem vltimum, & non vltimum, seu in remotum, & proximum; finis non vltimus est qui appetitur propter se, sed adhuc ad aliud ordinatur, vt domus est finis ædificatoris, quæ etiam ordinatur ad commodam habitationem: finis vltimus est qui appetitur propter se, & non ordinatur amplius ad aliud, vt Deus benedictus.

Quinto. Diuiditur in finem generatio-

rationis,& rei genitæ. Primus est forma,quæ acquiritur per generationẽ, vel compositum;secundus est ad quẽ res genita ordinatur,vt operatio, iuxta illud Arist. forma est propter suam operationem.

Quæritur tertio. An quilibet finis dicatur causa finalis.

Resp. Affirmatiuè. Patet, de fine, quo,& qui,(seu formali,& obiectiuo, nam homo in hac vita operatur propter assecutionem visionis,& propter Deum visum,ergo,&c. patet etiam de fine operantis,& operis, cũ agens operatur propter finem, & operatio etiã ex natura sua ordinatur ad finẽ; patet etiam de fine generationis, & rei genitæ propter eãdem rationem, &c.

Difficultas est de fine cui,& cuius, & de fine vltimo,& non vltimo;nam nominales dicunt finem cui esse propriè finem,finem cuius solum se habere vt instrumentum. Vasquez substinet totum oppositum, nempè finem cuius esse propriè causam finalem, nos verò dicimus cum Scoto in 2.d.6.q.1. littera F, finem cui, & cuius propriè habere rationem finis, & integrare vnam causam finalem, quia agens operatur propter vtrumque finem adæquatè; intentio enim medici adæquatè fertur in hominem sanum, & inadæquatè intendit sanitatem tamquam bonum homini, & hominem tanquam cui sanitas est bona. Item si Petrus ieiunat,vt acquirat vitam æternam, non ieiunat propter vitam æternam secundum se, & in abstracto acceptam, sed sibi conuenientem, & à se possidendam; nec etiam ieiunat propter seipsum præcisè sumptum, sed propter seipsum beatificandum, ergo nec solus Petrus præcisè sumptus,nec beatitudo præcisè sumpta erunt integra causa finalis, sed vtrumque simul; ideò non rectè dicitur, volo bonum propter amicum, quia tunc denotaretur bonum esse medium,& non finem; sed rectius dicitur volo bonum amico, nam sic explicatur totale obiectum motiuum voluntatis.

Difficultas etiam est de fine vltimo,& non vltimo;nam Vasquez putat,omnem finem esse vltimum, & non dari finem non vltimum:nos verò dicimus cum Scoto in 4.d.14.q.2. vtrumque finem habere rationem finis. Patet, nam ordinatio ad vlteriorem finem,non tollit rationem finis, quia non tollit propriam bonitatem; nam si homo comederet propter substentationem corporis, & deinde fortius possit Deo seruire,electio comestionis proximè non est propter obsequium Dei, quia hoc medium est improportionatum huic fini, sed dicitur medium propter assecutionẽ substentationis corporis,ergo assecutio substentationis corporis verè habet rationem finis, &c.

Quæritur quartò. Quænam sit ratio constitutiua causæ finalis?

Resp.Bonitas finis.Patet ex tex.31. Finem,& bonum conuerti inter se. Item ideò aliquod appetitur, quia est bonum, ergo,&c.

Quæritur quintò. In quo consistit causalitas causæ finalis?

X *Resp*.

Resp. In motione agentis ad agendum. Patet, nam communiter dicitur, finem mouere agens ad agendum, causare, vt amatum, & desideratum, ergo, &c.

QVAESTIO I.

An finis sit vera Causa finalis?

Finis habet rationem causæ maximæ, & principalis, quia est prima omnium causarum; vndè inter causas talis seruatur ordo; primo enim finis propter suam bonitatem, mouet efficiens ad operandum; secundo efficiens amore finis producit formam; tertio illam communicat materiæ; & quarto materia sustentat formam, & constituit compositum, pro qua fit.

Concl. affir. Est Scoti 5. Met. q. 1. Probatur ex t. 29. & 31. vbi Arist. enumerat finem inter quatuor causas reales, & tex. 35. Finis est omnium dignissima causa, ergo est realis, alitèr non est dignissima causa.

Secundò. Ratione, nam per finem satisfacimus interrogationi factæ per, propter quid de aliqua re; nam si quis quærat propter quid homo ambulat? rectè respondetur per causam finalem, vt dicendo propter sanitatem, ergo causa finalis est vera causa realis; consequentia sequitur, quia causæ reales physicæ diuersificantur penès interrogationes factas, ergo, &c. Item causa efficiens non causat, nisi mota à fine, sed efficiens realiter mouetur à fine, ergo finis est causa realis.

Obiic. primò. De ratione causæ est quod antecedat effectum, sed finis non præcedit, quia est vltimus, ergo, &c.

Resp. Dist. min. quoad executionem, concedo; quoad intentionem, nego; nam finis in executione est posterior, quia terminat actionem agẽtis, in intentione verò est prior, quia est id propter quod agens agit, ideo, &c.

Dices. Finis vt in mente est non ens, ergo non potest esse causa realis; consequentia sequitur, quia quod nõ est, non potest esse causa realis. Item sicut in mente esset causa realis, ergo in illo principio cessaret motus; sequela patet, nam motus fit propter acquisitionem finis, ergo si finis esset præsens agenti vt causa realis, tunc in illo principio cessaret motus.

Resp. Dist. antecedens, est non ens secundum realem existentiam propriam, concedo; secundum existentiam intentionalem, nego; nam finis vt in mente habet existentiam intentionalem, quæ sufficit vt sit causa realis finalis, cum realiter moueat agens ad agendum. Ad aliud dist. antecedens probationis, propter acquisitionem finis secundum realem existentiam concedo, secundum existentiam intentionalem, nego; nam, &c.

Obiic. secundò. Si finis esset causa realis, quia realiter mouet efficiens ad agendum, sequeretur quod idem esset causa, & causatum, quod est falsum

sum,ergo,&c. sequela patet, nam finis est causa efficientis, efficiens est causa ipsius finis, ergo finis est causa sui; patet,nam quod est causa causæ, est causa causati.

Resp. Neg. sequelam, ad prob. dicimus, quod finis vt in intentione est causa sui ipsius in executione, seu vtinre, quod non inconuenit. Vel secundo dicimus, quod illa propositio, quod est causa causæ,&c. est vera in eadem genere causæ; non verò in diuerso genere causæ; vt si causa prior esset efficiens,& efficeret aliam, & illa alia efficeret tertiam, tunc causa prior efficeret tertiam; in casu non est sic,nam causa finalis in genere suo efficit efficiens,quatenus ipsam realiter mouet, & efficiens in genere suo efficit finem in esse reali, ideo,&c.

Not. Quod quando dicimus finē esse causam efficientis, non intelligitur quoad esse, sed quoad causalitatem, idest finis est causa vt efficiens causet; similitèr efficiens non est semper causa existentiæ realis finis, præcipuè, quando finis accipitur pro obiecto, vt Deus dicitur finis hominis; homo enim in casu, qui est efficiens non efficit ipsum finem, sed operationem circa ipsum finem, &c. Finis enim vt apprehenditur causat realiter, sed non efficiendo aliquid, quia tunc esset causa efficiens, sed quatenus realitèr mouet agens ad operandum.

Obijc. tertio. Omnis causa in actu debet esse simul cum effectu in actu,ex tex.37. sed finis non est actu, quando effectus est, ergo non est vera causa realis.

Resp. Dist.mai.vniuersalitèr negō; indefinitè concedo; nam ad veritatē illius propositionis sufficit vt aliquæ causæ simul sint cum effectu in actu, ideo, &c.

Obijc. quarto. Finis est causa metaphorica,quia non est effectiua nisi per translationem,ex 1.de generatione tex.55. ergo non est causa realis vera.

Resp. Dist.antecedens, prout trahit,& allicit agens ad operandum, concedo; prout realiter, & actualiter mouet agens ad operandum, nego; nam, &c.

Obijc. quinto. Causæ realis dicit relationem realem ad suum effectum sed finis non est huiusmodi, quia relatio realis requirit fundamentum reale realiter existens, ergo finis vt in mente cum non sit realiter existens, sequitur quod non sit causa realis.

Resp. Neg. min.ad prob.dicimus, quod relatio realis causalitatis finalis non est necesse, vt habeat fundamētum reale realiter existens,sed sufficit vt realiter moueat agens ad agendū, in qua motione consistit eius realis causalitas,ideo talis propositio est tātum verò indefinitæ, non verò vniuersaliter de qualibet causa.

Obijc. sexto. Ideo finis est causa realis,quia est maxima causa, sed hoc est falsum ergo: minor patet, nam maxima causa est, quæ maximè confert ad dandum esse, sed causæ internæ sunt huiusmodi,ergo non causa finalis,quæ est externa.

Resp. Neg. min. ad probationem

dicimus,quod illa est maxima causa, à qua cæteræ causæ dependent, ideo causæ internæ dicuntur immediatiores, non verò maximæ, sicut est causa finalis.

QVAESTIO II.

An causalitas causæ finalis consistat in motione agentis ad agendum, & quomodo?

PRima Conclusio. Causalitas finis non consistit præcisè in motione metaphorica. Est Scoti 5. Met. q. 1. & in prologo sent. q. 4. litter. D. & in 2. d. 1. q. 2. contra quamplures Thomistas, Conimbricenses, qui ponunt causalitatem finis in sola motione metaphorica. Prob. causa finalis est omnium dignissima, sed causa metaphorica non est sic, ergo causa finalis non est præcisè metaphorica. Item causa metaphorica non est vera causa, sed finis est vera causa realis, vt dictum est, ergo, &c.

Secunda Concl. Causalitas finis nō consistit in illa actione, in quantum elicita, & producta ab agente gratia finis; contra Auicennam, Alensem, Occanum, Ruuium, qui volunt causalitatem finis esse actionem ipsam productam ab agente gratia finis. Prob. nam causa finalis habet distinctam causalitatem à causa efficiente, sed talis actio est causæ efficientis, ergo non causæ finalis. Item causalitas finis est prior omnium, ergo est prior actione, quæ est causalitas agentis. Itē actio non procedit à fine, sed est propter finem, ergo, &c.

Tertia Concl. Finis exercet suam causalitatem prout est in mente agētis, & ipsum realitèr mouet ad agendum. Est Scoti vbi supra contra prædictos Auctores. Prob. nam causalitas finis non est præcisè motio metaphorica, nec ipsa actio, vt elicita propter finem, ergo remanet quod sit motio realis ad agere facta à fine, dum est in mente agentis; antecedens patet vt supra. Item finis vt causa realiter mouet efficiens ad agendum, ergo in motione reali consistit eius causalitas, &c.

Item finis licet dum mouet agens sic in intentione, tamen id pro qua mouet est realissimum, ergo causalitas eius est in motione reali ad finem realem; consequentia sequitur, nam ad terminum realem debet esse motio realis. Item finis duo munera exercet circa agentem, scilicet mouet agens, & terminat eius actionem, sed non potest esse causa vt terminat, quia sic est posterior agente, ergo prout mouet agens, sed realiter mouet, ergo, &c.

Obijc. primò. Contra primam conclusionem, finis vt in mente agētis statim excitat, & trahit illum ad agendum, ergo in hac excitatione consistit causalitas finis, sed hoc est mouere metaphoricè, ergo, &c.

Resp. Dist. consequens, præcisè nego; non præcisè, concedo; nam bonitas finis licèt hoc modo, scilicet metaphoricè moueat agens ad agendū, tamen hæc non est ratio totalis causan-

san-

sandi causæ finalis, ratio verò totalis causandi finis, consistit in hoc, quod actualiter,& realiter mouet agens ad agendum,nam vt mouet metaphoricè inchoat causalitatem, sed nó complet, quia finis sæpè excitat, & allicit agens ad agendum,& agens non mouetur, vt patet de agente per cognitionem,&c.

Dices. Ignis quando generat ignē nihil est in eius intentione,quia non est agens per cognitionem, ergo secundum esse intentionale finis non mouet realiter.

Resp. Neg. consequentiam,nam esse intentionale finis est quicquid à natura intenditur ;intentio enim non sumitur tantum pro actione agentis per cognitionem,sed pro omni actione,quæ est propter finem, & non à casu.

Obijc. secundò. Finis, qui est in intentione agentis, non est nobilior agente,quia non habet nobilius esse, ergo non mouet realiter, quia mouens realiter est nobilius mobili, & consequenter mouet tantum metaphoricè.

Resp. Dist. antecedens, non est nobilior agente,quoad esse,concedo; quoad causalitatem,nego; nam quoad causalitatem agens dependet à fine prout in mente, & non è contra, ideo,&c.

Obijc. tertiò. Ante actionem nihil factum est gratia finis, nec etiam fit,ergo non est actu causa, nisi per actionem; sequela patet, nam finis aliquid fit gratia eius,&c.

Resp. Dist. antecedens,nihil est factum gratia finis,concedo, nihil est causatum à fine, nego; nam finire causare est mouere ad agere,sed agere deinde est agentis post motionem factam à fine,&c.

Quæritur. An esse cognitum finis sit ita necessarium,vt voluntas non possit illud velle?

Resp. Voluntas (naturaliter loquendo non potest velle finem incognitum,supernaturaliter potest. Probatur, nam voluntas est potentia cæca,ergo non potest velle aliquod, nisi prius cognoscatur ab intellectu. Item communiter dicitur,nihil volitum, nisi præcognitum. Item voluntas naturaliter est subordinata intellectui, ergo naturaliter actus voluntatis est subordinatus actui intellectus.

Secundum. Etiam patet,nam actus voluntatis intrinsecè non est ab actu intellectus,sed extrinsecè, ergo potest suppleri à Deo; sequela patet, nam omne extrinsecum potest suppleri à Deo. Item voluntas est potentia saltem formaliter distincta ab intellectu, ergo à parte rei potest suspendi actus intellectus, & non voluntatis,&c.

QVAESTIO III.

An finis causet secundum esse reale,vel secundum esse intentionale?

FInis vt causa habet duplex esse, scilicet intentionale, & reale; primum est illud esse obiectiuum, sed

seù cognitum in mente agentis, quod est esse diminutum, seu ens rationis materiale derelictum ex cognitione; secundum est illud esse reale possibile, seu futurum, quod speratur obtineri. Esse reale possibile, seu futurũ est duplex, scilicet simpliciter, & est illud, quod simpliciter acquiritur de nouo per motum, vt sanitas, domus, &c. & secundum quid, & est illud, quod existit in rerum natura, sed est futurum in acquisitione, vt locus ad quem aliquod mouetur, vt ipsum possideat, & Deus, &c.

Sensus igitur quæstionis est an ratio, qua finis exercet suam causalitatem, seù mouet agens, sit illud esse cognitum; an verò sit illud esse reale futurum, seù possibile, vel saltē quod sic possibile apprehendatur; his positis sit.

Concl. Finis exercet suam causalitatem secundum esse reale futurum; illud esse intentionale, seù cognitum requiritur vt conditio necessaria. Est Scoti in 1.d.1.q.4. §. Item autem finis: & in 2.d.25.q.1. litteris Q.& R, contra Capreolum, Soncin. & alios quamplures sustinentes, finem causare secundum esse intentionale, non secundum esse reale; Sghemmam 2. Phys. digr. 11. q. 5. distinguit rationem, qua finis causat, à ratione propter quam causat, prima constituit finem in esse causæ, quæ est esse cognitum; secunda constituit finem inesse termini, quod est illud esse reale.

Primum prob. nam finis secundũ illud esse mouet agens ad agendum, secundum quod ab agente desideratur obtineri, sed finis non desideratur obtineri secundum esse intentionale, sed secundũ esse reale, ergo, &c. mai. patet, nam de ratione causæ finalis est, vt eius gratia aliquid fiat; min. etiam patet, nam quærenti propter quod agens agit? respondetur propter finem non in intentione, sed à parte rei obtinendum; nam medicus nō operatur propter sanitatem præconceptam, sed propter sanitatē in effectu acquirendam, ergo, &c.

Item finis secundũ id mouet agens ad agendum, secundum quod satiat, & quietat, sed non satiam, & quietat secundum esse intentionale, sed secundum esse reale, ergo secundum esse reale mouet; mai. patet, nam quod est primum in intentione, est vltimum in executione; min. etiam patet, nam agens non quiescit in apprehensione, sed in adeptione. Item finis non mouet agens ad agendum secundum esse reale actuale, quia adepto fine actualitèr, non est amplius eius causalitas, nec secundum esse intentionale, quia in executione tale esse intentionale nō expectatur, ergo secundum esse reale possibile vt cognitum, prout ly cognitum se tenet specificatiuè, non reduplicatiuè.

Secunda pars prob. nam finis non potest causare, nisi appetatur, & non potest appeti, nisi cognoscatur, & per cognitionem approximetur, & applicetur appetitui, & voluntati; ergò illud esse intentionale requiritur, vt conditio necessaria sine qua non; sicut enim ratio formalis cur ignis cale-

lefacit est calor, approximatio est cõditio necessaria, ita, &c. eadem conditio in agentibus naturalibus est inclinatio, qua tendunt in suos fines.

Obijc. primò. Causa vt causa essentialiter includit aliquod, quod non est posterior suo effectu, sed causa finalis præcedit tantum secundum esse cognitum, quia secundum esse reale est posterior, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dist. esse reale actuale concedo; esse reale futurum, nego; nam finis mouet secundum esse reale; illud esse cognitum, & futurum sunt conditiones sine quibus, &c. Sanitas enim non solum vt cognita dicitur prior se ipsa in actu posita, sed etiam vt possibilis, & futura.

Dices. Finis secundum esse reale habet rationem causati, ergo non causæ.

Resp. Dist. antecedens, secundum esse reale actuale, concedo; futurũ, nego, nam, &c.

Obijc. secundò. Illud quod semper est necessarium, vt finis causet, potius est eius ratio causandi, quam illud, quod non est ita necessarium, sed esse intentionale est semper necessarium ad finalizandum, & non esse reale, ergo, &c. min. patet de fine impossibili, nam potest accidere, vt aliquis existimet reperiri hyrcoceruum, & alias chymeras, & egredi ad illas venandas, sed tales chymeræ nec sunt reales, nec possibiles, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod chymera licet secundum se sit impossibilis, tamen appræhenditur ab intellectu vt possibilis, & hoc modo appetitur à voluntate; ad min. quando dicitur, tales chymeræ non sunt reales, distinguo in se concedo; in esse apprehenso, nego; nam bonitas, quæ in fine est ratio appetibilitatis debet esse realis, siue in se, siue in existimatione, & in esse apprehenso, quatenus existimatur à parte rei possidenda.

Dices. Causa realis debet esse ens reale, ergo cum finis sit causa realis debet esse ens reale in se, &c.

Resp. Dist. antecedens, in se, vel vt apprehenditur ab intellectu, & proponitur voluntati concedo; semper in se nego; nam, &c.

Obijc. tertiò. Quod variat speciẽ non se habet vt conditio, sed vt ratio formalis, sed esse cognitum obiecti variat speciem appetituum, ergo, &c. min. patet, nam appetitus naturalis, sensitiuus, & rationalis differunt, quia primus tendit in rem ignotam ipsi agenti, & notam primo agenti, nempè Auctori naturæ; secundus tendit in rem cognitam à sensu, tertius in rem cognitam ab intellectu agentis, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. vniuersaliter nego; indefinitè concedo, nam, &c. Vel negando minorem; ad probationem dicimus, quod potentiæ appetitiuæ non solum habent diuersas præsentias obiectiuas, sed etiam diuersas bonitates apprehensas, nam alia est bonitas conueniens appetitui naturali, alia conueniens sensitiuo, & alia rationali.

Obijc.

Obijc. quartò. Finis causat secundum esse quod habet dum causat, sed dum causat habet tantum esse intentionale, ergo, &c.

Resp. Neg. min. nam finis dum causat, habet esse reale, sed esse reale cognitum, & repræsentatum, ideo causat secundum esse reale tanquam per rationem formalem, sed vt cognitum tanquam per eamdem, &c.

QVAESTIO IV.

An omne Agens agat propter finem?

AGere propter finem est operari ex cognitione finis; hoc cõtingit tripliciter. Primò, quando agẽs non solum cognoscit rem, quæ est finis, sed etiam rationem formalem, quæ est bonitas finis, & dirigit, & disponit media in ordine ad illum finẽ consequendum; vt medicus non solum cognoscit sanitatem, sed etiam dirigit, & disponit media proportionata in ordine ad illam consequendam. Secundò, quando agens licet cognoscat rem, quæ est finis, tamen in ea non percipit rationem formalẽ finis, nec etiam dirigit media, sed instinctu naturæ, & cognitione sensitiua mouetur, seu ducitur ad bonum sensibile conueniens suæ naturæ, vt Bruta. Tertiò, quando agens tendit in finem cognitum non à se, sed ab Auctore naturæ, vt Plancta ad faciendum fructum, qui est eius finis, producit ramos, flores, &c. nõ ex cognitione in se; sed in primo Auctore. Deus namquè cognoscens perfectè, & dirigens res in suos fines, statuit cuncta agentia ad finem operari; lapis tendit ad centrum media grauitate, ignis ad calefaciendum medio calore, &c. his positis sit.

Concl. Omne agens siue liberum, siue naturale agit propter finem, ita Arist. tex. 49. 75. 81. cõtra antiquos Philosophos scilicèt Empedoclem, Anaxagoram, putantes omnia euenire necessitate materiæ. Est Scoti in 3. d. 40. littera A, vnde si ab istis quæreretur quare pluit? respondet, quia ascendunt vapores, ex quibus deinde fiunt pluuiæ. Est Scoti in 3. d. 40. littera A,

Prob. Nam quæ fiunt à natura habent determinatas causas in ordine ad determinatos effectus, & quod potest vnum agens, non potest aliud; ergo omne agens agit propter finẽ, nam agere propter finem est agere ex intentione alicuius boni. Item ars imitatur naturam, sed artifex agit propter finem, ergo magis natura. Item in quibus reperitur ordo, necesse est in eis reperiri finem, sed in naturalibus reperitur ordo, ergo & finis.

Item agere ex appetitu finis est agere propter finem, sed tàm agens à proposito, quàm naturale agunt ex appetitu finis, ergo, &c. min. patet, nam medicus, qui est agens liberum, agit ex appetitu elicito recuperandæ sanitatis: lapis, qui est agens naturale agit ex appetitu innato.

Obijc. primò. Finis non potest mouere agens, nisi sit cognitus ab eo, sed

sed multa agentia naturalia nullam habent cognitionem finis, vt patet de igne, de lapide, de plantis, ergo nō omne agens agit propter finem.

Resp. Dist. min. non habent cognitionem in se, concedo; in primo agente, à quo sunt directa, nego; nam ad agendum propter finem sufficit, quod finis cognoscatur, vel à se, vel ab agente superiori, vt plantæ dicuntur agere propter finem, quatenus diriguntur à Deo cognoscente finem, & dante vnicuique agenti institutum naturale, & virtutem ad suum finem consequendum; sagitta enim tendit in finem, quem non cognoscit, quatenus à Sagittario dirigitur in eum, cognoscente ipsum, & sagitta recipit virtutem ab ipso Sagittario; similitèr etiam milites tendunt in finem ab ipsis ignoratum, tamen cognitum à Duce dirigente ipsos.

Dices. Ergò potius causa prima dicitur agere propter finem, & non secunda.

Resp. Neg. sequelam, nam cum causæ secundæ naturales habeant inclinationem naturalem in finem determinatum, tendunt in ipsum, non à casu, sed determinatè, licet hoc agere non dicatur tàm propriè propter finem, sicut agunt agentia per cognitionem.

Dices. Primum agens cognoscit perfectè omnia, ergo si directio agētium naturalium est à primo agente, sequeretur, quod omnia essent ordinata ad proprium finem, sed hoc est falsum, ergo, &c. Falsitas probatur, nam multa agentia sunt nociua, & absque fine, vt animalia velenosa, terremotus, eclypsis, monstra, ergo, &c.

Resp. Neg. falsitatem; ad probationem dicimus, quod animalia velenosa licet aliquibus sint nociua, alijs tamē valde prosunt, quatenus ex eorum partibus fiunt saluberrima medicamenta; terremotus sunt effectus exhalationis inclusæ in visceribus terræ. Eclypsis sunt nobis præter naturam, sed iuxta ordinem totius, & eueniunt certis tēporibus, prout motu infallibili Cælorum orbes se se aspiciunt; monstra verò cōcedo, quod eueniunt à casu, sed ex hoc colligo, quod natura habet determinatum finem, & si deuenient monstra, in illis natura non dicitur agere propter finem.

Obiic. secundò. Dantur multi effectus, quibus non possumus assignare causam finalem, vt v. g. cur fiat pluuia? non enim possumus dicere, vt crescat frumentum, quia sæpè impedit illius generationem, ergò debemus dicere fieri ex necessitate materiæ, &c.

Resp. Neg. antecedens, nam cum omnia habeant materiam, & formā, habent etiam finem, licet aliquando nobis sit ignotus. Ad illud de pluuia dicimus, quod eius finis est, vt aqua reducatur se ad proprium statum, & perueniat ad proprium locum; finis verò remotus est adæquatio terræ, vt generentur mixta, licet aliquando impediat.

Obiic. tertiò. Natura siue intendat, siue non intendat finem semper

 radi-

radices descendunt, & rami ascendunt, nam calidum est natum aptum ascendere superius, frigidum descendere inferius, ergo cum calidum ascendit ad superiora planctarum fiunt folia, & flores, cum frigidum descendit fiunt radices, ergo necessitate materiæ omnia eueniunt, & non propter finem.

Resp. Neg. vltimam consequentiam, nam si aliqua ratio necessitatis possit desumi ex materia, præcipua esset ex præsupposito fine, cuius gratia fit opus; imò ipsa necessitas materiæ est propter finem, vt si quæras propter quid serra est dentata, & dura? dices ex parte materiæ, quia est ferrea, sed ex parte finis dices, vt scindat; ita ob materiam grauem radices descendunt, & folia, & flores ob materiam leuem ascendit, sed ob finem est dicendum, quod radices, frondes, flores sunt vt fructus præbeant; pluuia descendit necessitate materiæ, sed ad finem vt terra fiat mater fœcunda.

Obje. quartò. Id non fit propter finem, cuius oppositum accidit, sed in his, quæ à natura fiunt quandocunque euenit vnum, quandocunque oppositum, ergo natura neutrum operatur, tanquam finem.

Resp. Dist. min. Euenit oppositum propter finem intentum à natura, nego; quia causæ secundæ pro illo tunc non sunt aptæ ad effectum producendum, concedo; nam, &c. Vel secundo euenit oppositum nobis, qui ignoramus causas, nam Cæli, & Astra influunt iuxta signa, & varios aspectus, & faciunt aliquem effectum, qui nobis videtur oppositus secundum exigentiam illarum causarum, tamen non est sic, cum ignoramus illas causas, &c.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Causa Instrumentali.

Quæritur primò. Instrumentum quot modis potest sumi?

Resp. Ex Scoto in 2. d. 1. q. 1. litt. DD. & clarius q. 5. litt. K. tripliciter; primo communissimè .i. pro omni causa agente dependenter, ad differentiam causæ omnino independentis, & in hoc sensu, quælibet causa secunda ent

erit instrumentum, & solus Deus dicetur causa principalis. Secundo cõmuniter scilicet pro omni eo, quod est pars, per quam totum agit, & hoc modo partes animalium, quibus ipsa animalia vitaliter exercẽt varias operationes, vocantur instrumenta Animæ, vt potentiæ Animæ, Pedes, Manus, &c. & totum dicitur agens principale ex 2. de Anima 16. &c. & de instrumento his modis nõ loquimur in præsenti, quia verè possunt dici causæ principales, cum habeant virtutem causandi inesse quieto, &c. Tertiò, propriè, quod scilicet inseruit principali agenti ad producendum terminum per se ab ipso intentum.

Quæritur secundò. Quotuplex est instrumentum propriè sumptum?

Resp. Duplex scilicet actiuum, & non actiuum; non actiuum dicitur instrumentum artis, à quo nomen instrumenti deriuatum est, & est illud, quod neque inesse quieto, neque in ipso fieri formæ habet formã agendi, vt serra, securis, &c. quod non habent nisi quantitatem, & figuram inesse quieto; in ipsa verò operatione recipiunt tantummodo motum localem in ordine ad diuisionem ligni, quæ omnia patent, non esse formas actiuas, aliter Mathematicus considerando quantum figuratum non abstraheret à motu, vel à sensibili actione, &c. Instrumentum actiuum dicitur instrumentum Naturæ, & est illud, quod in ipso fieri formæ non attingit terminum, sed tantum dispositionem, vel est ipsa dispositio, qua posita agens producit terminum, vt est qualitas alterans respectu formæ substantialis generandæ, & cætera huiusmodi.

Quæritur tertiò. Instrumentum actiuum quotuplex est?

Resp. Duplex scilicet naturale, & supernaturale; naturale est, quod ex natura rei aptum est inseruire principali agenti ad suum effectum attingendum, vt qualitas alterans dicitur instrumẽtum substantiæ ad generandam substantiam, & calor dicitur instrumentum ignis ad producendum ignem; supernaturale dicitur illud, quod inseruit agenti supernaturali ad aliquod opus faciendum, tamen ex sua natura non est tale, sed dependet præcisè à dispositione diuinæ voluntatis; instrumentum actiuũ naturale necessitat simpliciter agens secundum rei exigentiam ad producendum terminum, vt patet de alteratione respectu formæ substantialis generandæ, &c. Instrumentum actiuum supernaturale necessitat tantum secundum quid; idest ex diuina dispositione, vt patet de susceptione Sacramenti respectu gratiæ à Deo creandæ, vel de organizatione corporis respectu Animæ etiã à Deo creãdæ, vt Auctore Naturæ, &c. Ideo instrumentũ quocunque sumatur nunquam attingit terminum principalis agentis, sed vel recipit motum tantum si fuerit instrumentum nõ actiuum, vel attingit dispositionem in ordine ad terminum ab agente producendum, si fuerit actiuum naturale, vel supernaturale, vt dictum est, &c.

QVAESTIO I.

An Instrumenta habeant aliquam actiuitatem.

PRima Concl. Instrumenta naturæ sunt actiua, sed non semper actiuè se habent. Est Scoti in 4. d. 1. q. 5. litt. F. prima pars patet, nam instrumenta sunt data à Natura, vt necessaria ad effectum agentis principalis, sed talia instrumenta sunt capacia actionis, vt calor ignis ad producendum ignem in ligno, ergo sunt actiua.

Secunda pars prob. nam calor inductus in aquam expellit frigus formaliter, quia impossibile est, hæc duo simul esse, & ab igne tantum expellitur effectiuè, ergo in hoc casu non se habet actiuè, licet actiuum sit.

Obijc. primo. Contra secundam partem. Calor est actiuus, ergo effectiuè expellit. Item expellere est agere, ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens, calor inducens est actiuus, concedo; vt inductus, nego; nam calor inductus in aqua est expellens formaliter frigiditatem propter incompossibilitatem, sicut albedo eijcit formaliter nigredinem, & vnum contrarium expellit formaliter aliud, ita, &c. Ad aliud dist. antecedens, expellere efficienter est agere, concedo; expellere formaliter, nego; nam sic est actus in quantitate, cuius non est agere.

Secunda Conclusio. Instrumenta artis non sunt actiua. Est Scot. loc. cit. contra aliquos oppositum sustinentes. Prob. nam instrumenta artis non habent principium intrinsecum sui motus, nec illud recipit ab agente in actuali motione, ergo non sunt actiua, &c. Antecedens patet, nam serra non habet principium intrinsecum secandi, nec illud recipit ab agente, quia tantum ab agente recipit motũ localem, & formam, quæ non sunt actiua, &c. Item in serra non reperitur nisi motus localis, figura, quantitas, durities, sed ista non sunt actiua, vt patet, nam quantitas non est actiua, nec durities, quia est tantum qualitas resistitiua, non actiua, &c.

Obijc. primo. Serra attingit scissionem, non verò agens, ergo serra est actiua. Item est contra sensum, acum non pungere, gladium non incidere, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens, nam ex coniunctione, quam habet agens cũ serra, & serra cum effectu, agens attingit effectum; sonus enim non est à corda effectiuè, sed à sonante; formaliter verò à collisione corporum.

Obijc. secundo. Ars imitatur naturam, sed instrumentum naturæ est actiuum, ergo & artis. Item ad nullum genus causæ reducitur, nisi ad efficiens, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. Ars imitatur naturam concedo; est natura nego; nam instrumenta naturæ sunt actiua, quia sunt coniuncta agenti, vt calor in igne,

igne, ideo sunt capacia virtutis actiuæ; instrumenta artis sunt tantum pati motum,& actionem agentis, & non habent principium intrinsecum agendi. Ad aliud neg. antecedens,nã propriè ad nullum genus causæ reducitur, sed similitudinariè ad omne genus causæ; nam vt recipit motum ipsius agentis reducitur ad causam materialem; vt id,quod assumit agẽs, dum causat,ad efficientem; vt cuius gratia sit,ad finalem,quia agens facit malleum,vt eo vtatur, &c. & vt formaliter pellit aliud corpus,ad formalem, &c.

QVAESTIO II.

An instrumenta actiua attingant terminum principalis agentis?

CONclusio neg. Est Scot.in 4. d. 1. q. 5. litt. F. contra nonnullos recentiores,& veteres Thomistas asserentes,instrumentum semper attingere terminum principalis agentis, vt eleuatum à causa principali, tamen discrepanti in explicatione huius eleuationis. Prob. Causa principalis differt ab instrumentali, sed si causa instrumentalis attingeret effectum agentis principalis, tunc non differret ab illa,ergo, &c.

Resp. Quod causa instrumentalis differt à causa partiali principali, quia instrumentalis attingit effectum agẽtis principalis vt eleuata, non sic causa principalis.

Contra. Ista eleuatio vel fit per concursum concomitantem causæ principalis in eundem effectum,& sic non differret à causa principali,quia hæc in tantum non producit effectũ, quia est insufficiens se sola; vel fit per virtutem aliquam infusam à causa principali in actuali motione, & hoc non, quia ista virtus non potest dari in accidente respectu substantiæ, cum talis virtus sit etiam accidens, & semper improportionata substantiæ, vt dictum est in quæstione, &c.

Item si talis virtus posset attingere effectum, tunc esset causa partialis principalis,& non instrumentalis, nã aqua calida denominatur principaliter calefacere, non instrumentaliter, quia calor respectu calefactionis non est causa instrumentalis,sed principalis,&c. Neque dicas,quod virtus partialis principalis permanet in esse quieto; instrumentalis verò in actuali motione, quia ad causationem parum refert, quod causa permaneat ante,vel post causationem, sed sufficit, vt sit dum causat. Item Deus posset conseruare illam virtutem transacta actione, ergo se habebit per modum habitus permanentis.

Obiic. Primo. Phantasma actiuè attingit productionem speciei intelligibilis,sed instrumentaliter concurrit, ergo instrumentum vt eleuatum potest attingere effectum principalem. Item semen productionem fœtus, ergo,&c.

Resp. Neg.min. nam phantasma, &

& intellectus sunt causæ partiales principales productionis speciei intelligibilis. Ad aliud dicimus, quod semen dicitur instrumentum non respectu formæ corporeitatis, quam attingit, sed respectu animationis, ad quam non concurrit actiuè attingendo, sed tantum disponendo; instrumentum potest dici eleuari, quatenus assumitur in ordine ad effectum nobiliorem, non attingendo, sed disponendo.

Obiic. secundo. Instrumentum naturæ est actiuum, sed non potest esse instrumentale actiuum effectus præuij, quia vt sic se habet, vt causa principalis, ergo est instrumentale actiuum respectu effectus agentis principalis.

Resp. Dist. consequens, disponendo, concedo; attingendo effectum, nego; nam instrumentum naturæ dicitur actiuum, quia est aliquid causæ efficientis, per quod tanquam per causam dispositiuam agens principale attingit effectum.

Obiic. tertiò. Gladius dicitur incidere, malleus dicitur frangere, sed hæc dicunt actionem, ergo, &c.

Resp. Neg. mai. nam agens efficit incisionem, & fractionem; dicuntur talia instrumenta exercere actiones illas, quatenus per illa instrumenta illæ actiones proueniunt ab agente, & in eo sensu, quæ vna forma dicitur expellere aliam à subiecto.

Quæritur. Quænam est ratio formalis instrumenti?

Resp. Quod potest sic melius explicari, causa instrumentalis est illa, quæ vel inseruit principali agenti ad producendum terminum per se intentum ab ipso agente, vt accidentia in ordine ad substantiam, vt calor ignis ad producendum ignem; vel inseruit, quia est susceptiua effectus præuij ordinati ad effectum principalem, vt serra recipiens motum localem ad formam arcæ; aut est ipsa dispositio, vt motio serræ, sectio venæ, quia per motionem serræ dicimus, lignum diuidi, & sectione venæ animal sanari, &c. Vel si attingit terminum principalem, tamen hoc non est effectiuè, sed formaliter, cum fit per expulsionem alterius corporis, sicut est in sigillo; vel materialiter si inseruiret ad coniunctionem duorum corporum, vnum illorum deferendo, vt est in calamo respectu scripturæ, &c.

Quæritur. Causa instrumentalis per quid differt à causa principali?

Resp. Per habitudinem famulatiuã, nam causa instrumẽtalis inseruit principali agenti; causa principalis è contra in sua actione nulli alteri inseruit, & assequitur effectiuè proprium effectum per propriam virtutem.

Quæritur. Causa instrumentalis ad quod genus causæ reducitur?

Resp. Ad genus causæ efficientis, quamuis aliquo modo potest etiam pertinere ad alia genera causarum; patet, quia instrumentum sub tali genere assignatur ex 5. Metaph. c. 2. & 2. Phys. 31. &c.

Item instrumentum dicitur inseruire agenti, à quo assumitur ad productionem effectus, & ipsi subordinatur,

natur, ergo spectabit ad tale genus causæ, vt aliquid illius, &c. & quamuis multa instrumenta non sint actiua, imo vel formaliter, vel materialiter concurrant, tamen hoc parum refert, quia non est de ratione instrumenti, quod agat, sed tantum vt inseruiat; vndè si considerantur, vt causant aliquid formaliter, vel materialiter, tunc habent rationem causæ principalis, in illo genere, non verò instrumenti; potest etiam aliquo modo extendi ad alia genera causæ; scilicet similitudinariè; nam vt recipit motum reducitur ad causam materialē; vt est, cuius gratia fit, ad causam finalem, quia agens facit malleum, vt eo vtatur, &c. & vt formaliter pellit aliud corpus ad causam formalem.

Notandum. Instrumenta sunt duplicia, alia sunt coniuncta, alia separata; coniuncta adhuc sunt duplicia, scilicet coniuncta secundum esse, vt calor igni, calamus scriptori, & coniuncta secundum causalitatem, vt calamus, qui non inseruit scribenti, nisi quando scribens influit in scripturam; separata etiam sunt duplicia, scilicet separata secundum esse, vt semen iam decisum, quod nullo modo est coniunctum agenti principali; & separata secundum causalitatem, vt calor disponit materiam ad formam ignis propria virtute, etiam si ignis ad illam actionem dispositiuam actu non influat; vndè idem instrumentum poterit dici coniunctum, & separatum secundum varias acceptiones, nam calor in igne est instrumentum coniunctum secundum esse, & separatum secundum causalitatem; semen verò est separatum vtroque modo; calamus vtroque modo coniunctum.

DISPVTATIO OCTAVA.

De Causa exemplari.

EXemplar (pro nunc) idem est, ac idea, & imago rei; diuiditur communiter à Scoto in 4. d. 50. q. 8. litt. D. in exemplar externum, & internum; primum est illud, quod artifex proponit sibi ante oculos, vt ad eius similitudinem aliquid efficiat, vt pictura, ad cuius similitudinem pictor depingit. Secundum est illud, quod artifex sibi format in mente, vt ad eius similitudinem aliquid efficiat extra, vt exemplar domus, quod intus format artifex; de interno est sermo in præsenti disputatione, quia hoc est semper necessarium ad actionem artificis, non illud.

Quæritur. Quid est exemplar?

Resp. Est ratio in mente Artificis, secundum quam aliquid est factibile ad extra, secundum propriam rationem eius. Colligitur ex Scot. in 1. d. 35. litt. I. vbi Scotus agit de Ideis diuinis; dicitur, ratio, quia Artifex operando rationabiliter agit, quia habet rationem, secundum quam format; dicitur in mente Artificis, ad differentiam exemplaris externi, quod non semper est necessarium ad opus; Dicitur secundum quam aliquid est, vt explicetur formalitas causæ exemplaris, quæ consistit in respectu similitudinis, & imitabilitatis ad opus causatum ab Artifice ad eius similitudinem, ex qua definitione colligitur exemplar solum reperiri in agente intellectuali, in brutis verò non reperiri.

QVAESTIO I.

An exemplar sit conceptus formalis, vel obiectiuus.

COnceptus formalis est ipsa cognitio rei formaliter sumpta, est species expressa, seu Conceptus obiectiuus est ipsa res, vt cognita, & præconcepta; ideo quæritur an, Exemplar sit ipsa cognitio rei facienda, vel an sit ipsa res facienda, vt præconcepta. Pro qua sit.

Concl. Exemplar est conceptus obiectiuus, non formalis; est Scoti in 1. d. 35. litt. I, & K. contra Thomistas, & quamplures recentiores substinentes, Exemplar consistere in conceptu for-

formali, non obiectiuo. Prob. primo ex 7. Met. 23. domus extra fit à domo intra, sed domus intra non est cognitio domus, sed est domus concepta, quæ est alia à domo à parte rei, ergo est conceptus obiectiuus, nõ formalis; min. patet, nam si domus intra diceret conceptum formalem, tunc non esset domus intra, sed cognitio domus, quæ est extra, & sic eadem domus conficeret seipsam, & non aliam.

Secundo ratione. Exemplar est id, cui agens dum operatur, intendit assimilare suum opus, sed agens assimilat suum opus rei cognitæ, non suę cognitioni; nam Architectus intendit assimilare domum externam, non suæ cognitioni, sed domui, quam in mente concepit; ergo, &c.

Obijc. primo. Exemplar habet determinare actionem Artificis extra, habet dirigere, & regulare eius actionem, & tandem repræsentare opus faciendum, sed hæc omnia conueniũt conceptui formali, non obiectiuo, ergo, &c. min. patet, nam conceptus formalis determinat, quia sicut agens naturale constituitur in actu primo ad agendum per formam naturalem, ita agens intellectuale per formam intellectualem, quod est intellectio; dirigit, & regulat, quia est quodam lumen ostendens viam, modum, & terminum actionis, sed conceptus obiectiuus non dirigit, sed est ille ad quem dirigitur; repræsentat, quia est vera species expressa obiecti; conceptus obiecti non repræsentat, sed est res repræsentata, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. in ratione obiecti cogniti, concedo; in ratione cognitionis, nego; nam conceptus obiectiuus est determinatiuus, directiuus, regulatiuus, & repræsentatiuus in ratione obiecti, non in ratione cognitionis. Ad minorem quando dicitur, quod conceptus obiectiuus non dirigit, sed est terminus, ad quem dirigitur; dicimus, quod est verum de re secundum esse reale, non verò prout habet esse cognitum.

Obijc. secundò. Exemplar semper distinguitur à re exemplata, sed res vt concepta non est distincta à seipsa, vt in re posita, ergo res, vt concepta non est exemplar; maior patet, quia est causa illius; minor patet, quia illud idem numero non est idea, & ideatum, exemplar, & exemplatum.

Resp. Dist. mai. exemplar in esse simpliciter distinguitur ab exemplato concedo; in esse repræsentatiuo, & ostensiuo, nego; nam res vt concepta in esse repræsentatiuo est idem cum re ad extra, tamen in esse simpliciter est aliud, & aliud esse, quia ab esse cognito prodit esse simpliciter in re, &c. Item eadem res vt cognita potest esse causa suipsius in esse reali, vt patet de causa finali, &c.

QVAESTIO II.

Exemplar ad quod genus causæ reducitur.

CONcl. Exemplar reducitur ad causam efficientem. Est Scoti,

in 1.d.2.q.2.litt.G. & d.30.litt.B. contra Henric. Dur. Conimbric. & nonnullos alios dicentes, exemplar pertinere ad causam formalem. Probatur inductiuè, non reducitur ad causam materialem, quia huiusmodi causa est id, ex quo aliquid fit; exemplar verò non est sic, ergo, &c. Neque ad finalem, quia finis est, cuius gratia agens agit, & propter eius acquisitionem, sed exemplar non est, cuius gratia, sed ad cuius similitudinem agens agit; nec agens agit propter acquisitionem exemplaris, quia illud actu habet; nec ad formalem, quia causa formalis siue intrinseca, siue extrinseca causat per exhibitionem sui, exemplar verò non se communicat effectui, nisi in quantum effectus assimilatur ei, ergo remanet, vt reducatur ad causam efficientem.

Item patet ex 7. Metaph. 23. & 9. Met. 3. vbi Arist. docet, agentia naturalia producere sibi similia per formam, artificialia per ideam, seù exemplar, quod est principium, quo agens agit. Tunc sic. Id, sine quo efficiens non est causa completa debet reduci ad efficiens, tanquam aliquid eius, sed causa exemplaris est huiusmodi, quia sicut agens naturale completur in ratione principij per formam naturalẽ, quæ proximè agit, ita agens, intellectuale completur per exemplar in ordine ad effectum causandum, ergo, &c. Tamen si consideretur in ordine ad agens, posset dici causa formalis, quia forma naturalis respectu agentis naturalis est causa formalis, ergo idem dicendum de exemplari respectu agentis intellectualis, non quod sit de essentia illius, sed vt quid complens in ratione agentis.

Obijc. primo. Exemplar est forma, ad quam respiciens agens, operatur, sed forma vt similitudo pertinet ad causam formalem, ergo, &c.

Item exemplar non efficit, sed agẽs efficit ad similitudinem exemplaris, ergo potius se habet vt forma, quam vt efficiens.

Resp. Dist. mai. est forma efficiens nego; est forma causæ efficientis, cõcedo; nam, &c. Ad secundum distin. antecedens, exemplar non efficit, vt quod, concedo; vt quo, nego; nam exemplar est ratio agentis, &c.

Obijc. secundò. Agens est causa existentiæ effectus, idea verò causat conformitatem, ergo, &c. Item efficiens est principium vndè motus, exemplar est id, ad cuius similitudinem agens agit, ergo habet distinctas causalitates, nam imitari non est causę efficientis, &c.

Resp. Quod idea simul cum agente est causa suo modo, tàm existentię, quàm conformitatis effectus, quia in tantum effectus recipit existentiã, in quantum determinatur ab idea. Ad aliud dicimus, quod si idea non est principium, vndè motus, quia non est efficiens, est tamen aliquid illius, quod sufficit.

Dices. Finis etiam causat determinando agens ad amorem sui, & tamẽ non reducitur ad efficiens, ergo idem dicendum de idea.

Resp. Neg. consequentiam; nam finis licet causet determinando agens ad

ad amorem sui, tamen cum effectus prodit ab agente, intelligitur esse simul gratia bonitatis finis, & vt agens consequatur finem, quare effectus non respicit finem, vt completiuum agentis inesse agentis, sed potius vt mouens agens constitutum inesse agentis ad agendum, &c. non sic est dicendum de idea, quia ipsa est completiua agentis in esse agentis.

DE CAVSIS

Per accidens.

ARist. post tractatum de causis per se agit de causis per accidens, scilicet de casu, & fortuna; Ita & nos sequentes eius vestigia; dicemus etiam aliqua de monstris, cũ sint earum effectus, & de fato, cum opponatur ipsis.

Causa dicitur per accidens dupliciter; primo ex parte causæ, quæ nihil influit in effectu, sed tantum coniungitur accidentaliter cum causa per se influente, vt musica coniuncta cum ædificatore dicitur causa per accidens ædificij, vndè solemus dicere, musicus ædificat, &c. secundò ex parte effectus, quatenus effectus, respectu cuius dicitur causa per accidens coniungitur accidentaliter cum effectu per se illius causæ, vt fossio est causa per accidens inuentionis thesauri, quia fossio per se est causa aperturæ terræ, cum qua apertura per accidens est coniuncta inuentio thesauri, &c. In præsenti loquimur de causa per accidens secundo modo.

An Fortuna, & Casus dentur à parte rei, & quid sint?

NOmine Fortunæ intelligitur quælibet causa effectuum prouenientium ab agente libero, quorum nescimus assignare causam determinatam, cum rarò eueniant, & præter intentionem talis agentis, &c. Nomine casus intelligitur eadẽ causa effectuum prouenientium ab agente naturali; Fortuna, & Casus in omnibus conueniunt, præter in hoc, quod Fortuna est in agente libero, Casus in agente naturali; & quod dicimus de fortuna, intelligitur dictum de casu; pro qua sit.

Prima Conclus. Fortuna, & casus dantur à parte rei. Ita Arist. 2. Phys. 39. & Scot. quolib. 21. & communiter omnes; contra quosdam antiquos omninò negantes, dari fortunam, & casum. Patet ex cõmuni modo loquendi; nam omnes concedunt esse plures effectus fortuitos, & casuales, vt inuentio thesauri in eo, qui fodit terram, fractio capitis ex lapide cadente, &c. ergo datur fortuna, & casus; consequentia sequitur, quia fodiens, dum præter intentionem inuenit thesaurum, est fortuna eius, & lapis desuper cadens, fregit caput, est casus, ergo, &c.

Secunda Concl. Fortuna est causa secundum accidens in ijs, quæ secundum electionem eorum, quæ propter aliquid sunt. Ita Arist. tex. 52. ponitur causa loco generis, notatur obiter fortuna quandoque accipitur pro ef-

fectu fortuito, tamen in præsenti est sermo de fortuna, vt est causa talis effectus; dicitur secundum accidens, quia est causa per accidens ex parte effectus rarò euenientis; Dicitur in ijs, quæ secundum electionem, ad differentiam casus, qui est in ijs sine electione; Dicitur eorum, quæ propter aliquid sunt, quia effectus fortuitus non est intentus ab agente, sed semper est coniunctus cum alio effectu per se intentus.

Tertia Concl. Si fortuna non sumatur formaliter, sic solum dicit habitudinem causæ ad effectum euenientem præter intentionem; si fundamentaliter, & sic non est aliqua causa per se distincta ab intellectu, & voluntate; sic dicendum de casu, nam casus formaliter dicit habitudinem causæ ad effectum præter intentionē; fundamentaliter est ipsamet entitas agentis naturalis.

Obijc. primò. Contra primam conclusionem, nihil fit, quod non sit cognitum, & intentum à Deo, ergo nullus effectus est fortuitus, vel casualis, & consequenter non datur fortuna, & casus.

Resp. Dist. primum consequens; nullus est effectus fortuitus, & casualis respectu Dei, concedo; respectu agentis creati, nego; nam idem effectus potest esse fortuitus, & casualis respectu causæ secundæ, licet non sit talis respectu causæ primæ, & consequenter datur fortuna, & casus. Explicatur exemplo. De Domino, qui mittat duos seruos per diuersas vias ad eundem locum, vbi iaceat bos in puteo, nec vterque sciat aliquid de boue, nec vnus de alio, aut è contra, &c. Tunc obuiatio istorum duorum ad puteum, & extractio bouis de puteo suut à fortuna respectu vtriusque, quia neuter illorum effectuum intendebatur ab aliquo illorum, & tamen illi effectus non sunt fortuiti respectu Domini, qui intendebat illos effectus, ergo quamuis sit impossibile, quod aliquid sit fortuitum respectu causæ primæ, tamen potest esse fortuitum respectu causæ secundæ.

Dices Quid dicendum de peccatis, quæ fiunt præter intentionē Dei? an sint fortuita?

Resp. Ad hoc, vt aliquid sit fortuitum, vel casuale respectu causæ operantis per intellectum, non solum requiritur, vt sit prȩter voluntatem positiuam, sed etiam præter scientiam, & voluntatem permissiuam, &c. Nam illa particula, præter intentionem, sumitur latè, scilicet, vt comprehendat etiam scientiam, & voluntatem permissiuam; & cum peccata non sint præter scientiam, & permissionem Dei, non debent appellari effectus fortuiti respectu Dei.

Obijc. secundò. Omnis effectus per accidens reducitur ad causam per se, quia sicut omne ens per accidens reducitur ad ens per se, sed effectus fortuiti sunt effectus per accidens, vt patet, ergo, &c. & consequenter non datur talis causa per accidens.

Resp. Dist. mai. reducitur ad causam per se, itaut per se producatur ab illa causa, nego; vt producatur ab illa causa, quæ est causa per se alterius effe-

fectus, concedo; nam talis propositio intelligitur in secundo sensu; fossio enim terræ per se causat aperturam terræ, & per accidens causat inuentionem thesauri, & ita effectus per accidens reducitur ad causam per se, quæ est causa per se alterius effectus; vel dicimus, quod reducitur ad causam per se priorem origine, & perfectione, vt est Deus.

Obiic. tertiò. Effectus fortuitus est ens verum, & determinatum, quia singulare, vt thesaurus inuentus; ergo habet causam determinatam, & consequenter non est à fortuna, quæ dicitur esse causa indeterminata.

Resp. Dist. antecedens, est ens verum, & determinatum quoad entitatem, concedo; quoad causalitatem, & intentionem agentis, nego; nam thesaurus inuentus potest habere plures causas per accidens, vt fodiens terram intendit inuenire aquam, vel lapidem, vel lignum, &c.

Obiic. quartò. Omnis actio est ad aliquem finem, sed actio fortuita non est ad finem, ergo non datur.

Resp. Dist. mai. Omnis actio agentis per se, concedo; agentis per accidens, nego; nam, &c.

Obiic. quinto. Inuentio thesauri, quæ solet dici effectus fortuitus, habet causam determinatam, scilicet fossionem terræ, ergo non erit effectus fortuitus; consequentia sequitur, quia effectus fortuitus non est à causa determinata.

Resp. Neg. antecedens ad probat. dicimus, quod fossio terræ non est causa determinata inuentionis thesauri, quia finis talis fossionis est inuenire aquam, vel lapidem, &c.

Obiic. sexto. Contra secundam concl. si quis ludendo intendat vincere, & vincat, talis effectus est fortuitus, sed non est præter intentionem, ergo, &c.

Resp. In tali casu talis effectus non est simpliciter fortuitus, quia est intentus, potest tamen dici fortuitus secundum quid, quatenus scilicet talis actio ex sua natura non est ordinata ad talem effectum, & rarò talis effectus coniungitur cum tali actione.

Obiic. septimò. Definitio debet per se prædicari de definito ex 1. Post. 9. ergo male dicitur, quod fortuna sit causa per accidens. Item fortuna est causa effectus fortuiti, sicut Natura est causa effectus naturalis, sed Natura per se influit in effectu, ergo, & illa.

Resp. Nego consequentiam; nam ly per accidens in definitione fortunæ non denotat, definitionem per accidens conuenire fortunæ, sed denotat, effectum fortuitum non esse intentum ab agente, respectu cuius dicitur fortuitus. Ad aliud dicimus, quod ita conuenit per se fortunæ producere effectum non intentum, sicut agenti naturali, & intellectuali producere effectum intentum.

Obiic. octauo contra 3am conclus. ex Arist. lib. de bona fortuna c. 1. ubi plurimum de intellectu, ibi minimum de fortuna, et e contra, ergo fortuna non est intellectus. Resp: negando consequentiam nam Arist: ibi non loquitur de intellectu

in actu primo, quomodo est fortuna, sed de intellectu in actu secundo.

Obiic. nonò. Fortuna est causa indeterminata, sed intellectus, & voluntas sunt causæ determinatæ, ergo, &c. Item intellectus est prior fortuna ex 2. Phys. 67. ergo non est fortuna.

Resp. Dist. min. sunt causæ determinatæ in ordine ad effectum per se, concedo; in ordine ad effectum per accidens, nego; nam, &c. Ad aliud dist. antecedens, intellectus est prior fortuna, sumendo fortunam formaliter, concedo; sumendo illam fundamentaliter, nego; nam fortuna formaliter dicit relationem, quæ est posterior intellectu; vel dicimus, quod Arist. ibi loquitur de primo intellectu, & natura vniuersali, vt est Deus, qui dicitur causa vniuersi.

Quæritur. Effectus fortuiti, respectu cuius dicuntur tales?

Resp. Quod respectu Dei nullus est effectus fortuitus, quia Deus omnia præuidet, & nihil potest euenire præter eius intentionem; tamen respectu hominum, Angelorum, & etiam orbium cælestium dicuntur effectus fortuiti, & casuales; respectu hominum patet, vt plures dictum est; respectu Angelorum probatur; nam Deus potest designare Angelum in aliquem effectum, vt inde sequatur alius effectus ignotus ipsi Angelo, vt v.g. ad euertendam aliquam Ciuitatem, ad hoc vt habitantes in ea conuertantur ad Dominum, tunc euersio esset Angelo effectus per se, & conuersio esset effectus fortuitus, quia nec intentus, nec præuisus ab eo; respectu orbium cælestium etiam patet, nam plura contingunt in his inferioribus præter naturalem inclinationem orbium cælestium, & ab eis non intenta, & hoc vel ob oppositionem alicuius contrarij, vel ex indispositione materiæ.

Notandum, quod pauca eueniunt fortuito in ordine ad Angelos, & viros prudentes, quia prudētes vt plurimum, præuident, quid sint operaturi, & quicquid possit sequi ex ea operatione, quia turpe est dicere viro prudenti: non putaram: ideo Arist. ait in lib. de bona fortuna c. 1. vbi plurimum de intellectu, ibi minimū de fortuna; vnde in puero, & in amente non adest fortuna, quia non agunt à proposito, & propter finem, sed in agendo potius assimilantur agenti naturali.

Quæritur. In quo genere causæ sint fortuna, & casus?

Resp. In genere causæ efficientis propriè loquendo. Ita Arist. 2. Phys. 67. patet, quia fortuna est in agente à proposito, operante propter finem, cui fini intento vnitur alter finis non intentus, respectu cuius dicitur causa per accidens, sed talis causa est efficiens, vt patet, ergo, &c. Videtur in alijs generibus reperiri, quatenus illæ causæ coniunguntur cum agente ad causandum.

Quæritur. Quænam est bona fortuna, & quæ mala? & quis potest dici benè fortunatus?

Resp. Bona fortuna est, quando euenit aliquod bonum agenti à proposi-

posito præter intentionem; mala fortuna è contra; vnde benè fortunatus dicitur ille, cui inest bona fortuna; male fortunatus è contra.

Ex quo infertur, quod nullus debet dici benè fortunatus ex eo, quod semel sibi aliquid benè eueniat, nec ex eo, quod semper eueniat, sed bene vt in pluribus; primum patet ex 1. Ethic. 9. vna hirundo nō facit ver, ita, &c. Item vnus actus non denominat subiectum permanens, ergo nec vnus euentus bonus facit hominem fortunatum.

Secundum etiam patet, quia hoc non esset sine miraculo, vt si aliquis semper vincat, siue pugnet fortiter, siue leuiter, &c. & si nauiget estate, vel hyeme, semper prosperè procedat, &c. ergo non est ex fortuna, si Deus miraculo non suppleret concursum causarum secundarum; quia cum causæ secundæ cōcurrant simul contingenter, & non sint in nostra potestate, non videtur posse naturaliter contingere, quod semper cum effectu per se intento sit alius euentus bonus, & ideo variabitur fortuna.

Tertium patet ex Arist. lib. de bona fortuna: Item si quis per mare transmittat merces, quæ tutè ad portum perueniant; merces verò aliorum vel merguntur, vel tolluntur à Piratis, tunc talis dicitur benè fortunatus; alter verò è contra.

Quæritur. Vnde eueniat, quod aliquis sit benè fortunatus?

Resp. Ex Scoto Quodlib. 21. infra H. vbi sic ait; non inuenio aliquid intrinsecum in homine, propter quid debeat dici benè fortunatus isto modo, sed hoc accidit sibi ex concursu causarum extrinsecarum, qua potest esse ex Deo disponente secundum Theologos, licet non secundum Arist. sicut si aurum sit ibi, & aliquis intendens fodere, ipsum inueniat, hoc est ex concursu causarum extrinsecarum, & non est alia causa, nisi quia ipse est magis dispositus, vt causa vniuersalis moueat ipsum ad hunc locum magis, quam ad alium; sed quid tenendum est secundum mentem Arist. Scotus ibi docet, esse impetum prouenientem à Natura, quo aliquis absque vlla ratione mouetur ad agēdum aliquid, quod sibi in bonum vertitur, si sit bona fortuna, qui impetus non est in anima, sed in corpore, scilicet est quædam dispositio consequens complexionem determinatam.

De Monstris.

Quæritur. Quid sit Monstrum?

Resp. Ex 2. Phys. 82. est peccatum illius, qui propter finem agit; & ex lib. 4. de generat. Animalium, est oblæsio rei præter naturam eius in ijs, quæ non semper, sed vt plurimū agunt; ex quibus colligitur vna completa definitio, quæ est; monstrum est effectus naturalis degenerans à recta, & ordinaria dispositione notabiliter secundū speciem; dicitur effectus naturalis loco generis, & etiam ad differentiam artefactorum, in quibus propriè non sunt monstra, sed tantum analogicè analogia de-

sum-

sumpta à rebus naturalibus, in quibus propriè sunt monstra; dicitur degenerans à recta, & ordinaria dispositione, vt intelligamus, quod monstra tunc fiunt, quando aliquid fit præter ordinem intentum ab agente, & contra dispositionem rectam; dicitur notabiliter, quia si defectus est paucus, sic non esset monstrum; dicitur secundum speciem, ad denotandum, quod monstrum non debet esse alterius speciei, sed eiusdem speciei; vt homo habens quatuor manus, &c.

Quæritur. Vnde euenit, vt oriantur tam infinita monstra?

Resp. Quod cum ad generationẽ rerum naturalium multa concurrant, ideo propter eorum diuersitatem generantur varia monstra; primo ex abundantia, vel defectu materiæ, siue in toto effectu vt Gigantes, & Pigmei, siue in aliquo membro, vt homo habens vnum pedem, &c. secundo ex parte efficientis, siue principalis, vt est virtus formatiua fœtus, quæ cum sit debilitata non potest efformare membra articulatim, hinc in corpore fœtus oriuntur quamplures imperfectiones, vt homo habens caput arietis, & cætera membra alterius speciei; siue instrumentalis, vt est calor vehemens ipsius virtutis formatiuæ, ex hoc enim fit, vt homo nascatur barbatus, vel dentatus, &c. Tertio ex parte loci, seu matricis, seu membranæ, qua tegitur fœtus, nam si membrana scindatur, & semina, quæ in loco distant misceantur, tunc varia monstra oriuntur ex varia confusione seminum, vt homo habens duo capita, quatuor pedes, de qua Scotus in 4. d.6. q.2. littera F. sicut videmus in pullo oriente ex ouo habente duo vitella, sed non perfectè distincta per pelliculam, tunc talis pullus nascitur habens duo capita, & quatuor pedes. Quarto ex aliqua passione matris, siue talis passio sit desiderium, siue timor, vt cum mater cupit vehementer aliquid, si tangat se, tunc ea pars Pueri inficietur colore ipsius rei, quam desiderat; quinto ex influentia Cælorum, quia certis effectibus requiritur quoque certa constellatio, quæ si desit, & alia opposita adueniat, tunc monstrum generatur, quia omnia eueniunt præter intentionem agentis.

Notandum, monstra propriè reperiuntur in animalibus; minus propriè in Plantis, & impropriè in cæteris, quia requirunt pauciora.

Quæritur. An monstra intendantur à Natura?

Resp. Negatiuè. Ita Arist. tex.77. & 82. Probatur, Natura semper intendit dare effectui esse perfectissimum, quod potest, ergo monstra cũ sint defecta naturæ eueniunt præter eius intentionem, & consequenter non intenduntur ab ea.

Dices. Ex Augustino 21. de Ciuit. Dei c. 28. portenta, & monstra fiunt non contra naturam, sed contra notam naturam, ergo sunt intenta à natura, quamuis causæ sint nobis incognitæ.

Resp. Neg. consequentiam; nam Augustinus ibi tantum docet, monstra

ſtra eſſe ex cauſis vniuerſalibus nobis incognitis, non quod Natura intendat ipſa.

DE FATO.

FAtum (vt ſumitur à Catholicis) eſt ordo cauſarum naturalium exequentium diuinam prouidentiam; talis ordo poteſt dupliciter conſiderari; primò prout eſt in diuina mente omnia ordinante, & diſponente, & ſic eſt diuina prouidentia; ſecundò prout eſt in ipſis rebus ordinatis, & diſpoſitis, & ſic dicitur fatum; & definitur à Boetio 4. de conſolatione proſa 4. ſic. Fatum eſt rebus mobilibus inhærens immobilis diſpoſitio, per quam Dei prouidentia ſuis quoque nectit ordinibus; dicitur diſpoſitio, non quæ eſt in genere qualitatis, ſed prout dicit ordinem, qui eſt relatio, quia nulla cauſa ſeparata ab alijs poteſt dici fatum, ergo ratio fati conſiſtit in illo ordine, & diſpoſitione mendicata à diuina prouidentia.

Ex quibus colligitur primò, fatum formaliter eſſe illam relationem repertam inter cauſas ſecundas ordinatas à Deo; fundamentaliter vero dicere entitatem illarum cauſarum.

Colligitur ſecundò; omnia, quæ ſunt ſub cælo, & quæ eueniunt à cauſis ſecundis dicuntur dependere à fato; quæ verò producuntur à ſolo Deo, vt gratia, iuſtificatio, &c. non ſubijciuntur fato, quia non reſpiciũt cauſas ſecundas ordinatas, & diſpoſitas à Deo.

Colligitur tertiò, fatum ſi conſideretur in ordine ad ſuum principiũ, quod eſt diuina prouidentia eſt vnũ, ſicuti vna eſt prouidentia diuina; ſi verò in ordine ad effectus, vel cauſas ordinatas, & diſpoſitas eſt multiplex, ſicut ſunt multiplices diſpoſitiones cauſarum, iuxta illud Poetę: *Te tua fata tulerunt.*

Colligitur quartò; fatum propriè ſpectat ad cauſam efficientem, tamen poteſt etiam ſpectare ad alias cauſas, quia nõ ſolum cauſæ efficientes ſunt diſpoſitæ à Deo, verum etiam cauſæ materiales, & formales, in quibus reperitur proprius ordo.

Colligitur quintò; fatum differt à fortuna, & à caſu, quia fatum intendit per ſe proprium effectum, quia dicit cauſas vt diſpoſitas à Deo, ſed fortuna, & caſus reſpiciunt effectus per accidens, & illos non intendunt, nec præuident.

Colligitur ſextò; fatum non ſunt ſimpliciter cauſæ naturales, nec ſimpliciter diuina prouidentia, ſed ſunt cauſæ naturales, quatenus dicunt habitudinem ad diuinam prouidentiam, cui ſubſunt.

Finis Secundi Libri.

LIBER TERTIVS PHYSICORVM.

Egit Arist. in primo lib. de principijs corporis naturalis, & in secundo de causis eius; nunc verò in hoc tertio incipit agere de passionibus eius, & primo de motu, qui est prima passio corporis naturalis, & notior alijs; agit etiam de infinito, quia motus est de genere continuorum, & cum continuum sit diuisibile in infinitum, necesse fuit ad melius percipiendum motum, cognoscere naturam infiniti; & occasione textus 19. vbi habetur, quod motus non sit vnus actus, sed duo, alter actiui, seù motiui, qui dicitur actio; alter passiui, vel mobilis, qui dicitur passio; ideò in tres diuidimus disputationes; primam de motu, secundam de actione, & passione, & tertiam de infinito.

DISPVTATIO I.

De Motu.

Q*Væritur primò*. An detur motus?

Resp. Affir. ita Arist. in hoc libro, & in 6. Phys. contra veteres Philosophos negantes motum; contra ipsos est arguendum potius ambulando, quam

quam rationibus, & patet, nam motus est sensibile commune, & omni sensu percipitur, ergo datur; antecedens patet inductiue, nam oculis videmus mobile pertransire de vno loco in alium. Tactu experimur aquam frigidam fieri calidam; gustu experimur, eandem rem transire ex dulcedine in amaritiem; ideò Arist. meritò dixit, negantes motum indigere sensu, & vsu rationis; Diogenus (vt legitur) auditis rationibus Zenonis sic dicebat, tu Zeno moues labia, & motum negas, &c.

Quaeritur secundo. Quid est motus?

Resp. Est actus entis in potentia secundum quod in potentia; ita Arist. t. 6. ponitur actus loco generis, quia tàm motus, quàm forma dicitur actus; dicitur entis, idest mobilis; dicitur in potentia non actiua, sed passiua, seù receptiua vlterioris actus perfecti; dicitur secundum in potentia, quia mobile cum habeat actum imperfectum dicit ordinem ad actum perfectum, vt cum aqua mouetur ad calorem; primo habet actum imperfectum, scilicet calorem remissum, deinde ordinatur ad calorem magis intensum; & ista particula ponitur loco differentiæ, qua motus differt à mutatione instantanea, in qua forma simul tota acquiritur perfectè, &c.

Item Arist. in hoc tertio libro assignat alias definitiones, seù descriptiones, vt t. 16. motus est actus mobilis, prout est mobile; & t. 23. motus est actus motiui, & mobilis, quatenus huiusmodi, sed prima definitio, seù descriptio est celebrior, &c.

QVAESTIO I.

An definitio motus sit recta, & an conueniat mutationibus instantaneis?

PRima Conclusio. Motus rectè definitur supradicta definitione in qua dicitur motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia; patet explicatione supra allata, ergo, &c.

Obiic. primo. Definitio constat ex genere, & differentia, sed ista non est huiusmodi, ergo, &c. min. patet, nam definitio constans ex genere, & differentia præsupponit, definitum esse speciem, & consequenter in determinato genere; sed motus non est in determinato genere, vt infra, ergo, &c. Item motus non est quid vniuocum, ex 4. Phys. t. 4. ergo, &c.

Resp. Disting. mai. definitio specifica, & propria, concedo; trascendentalis, & non rigorosa definitio, nego; nam hæc definitio motus est aliquo modo trascendentalis, & non propria definitio, quatenus est oratio explicans suo modo quidditatem motus, qui cōstat ex conceptu contrahente, & contrahibili. Ad aliud per idem resp. nam ens etiam suo modo definitur, & est quid vniuocum ad decem genera generalissima; ita dicēdū, &c.

Obiic. secundo. Hæc definitio conuenit alijs à definito, ergo non est re-

cta; antecedens probatur, nam forma est actus materiæ, quæ est ens in potentia, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens, ad probationem dicimus, quod materia sub forma dicitur in potentia respectu alterius formæ: motus enim est actus entis in potentia, itaut per ly actum entis in potentia denotatur, sic esse actum, vt eo stante adhuc mobile est in potentia ad ipsum actum; vt dum aliquod mobile mouetur, semper est in potentia ad eundem motum secũdum aliam, & aliam partem acquisibilem, quod de forma dici non potest ideo, &c.

Dices. Calor remissus est actus entis in potentia, quia actuat, v. g. lignũ, & illud relinquit in potentia ad eundem calorem, vt intensiorem, sed calor huiusmodi non est motus, quia est qualitas, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. est actus entis in potentia, quatenus illud mobile relinquit in potentia negatiua, quæ est negatio perfectæ actualitatis, concedo; in potentia positiua, quæ præter dictã negationem dicit etiam ordinem, & viam ad terminum, nego: nam mobile, nempe lignum potest habere calorem remissum absque eo, quod tendat in calorem intensiorem, & tũc tale mobile dicitur in potentia tãtum negatiua, quatenus habet negationem perfectæ actualitatis, motus verò relinquit subiectum in potentia negatiua, & positiua, idest constituit ipsum subiectum in via ad terminum, quod non est dicendum de calore remisso, &c.

Obijc. tertio. Actus, & forma conuertuntur, ergo si motus est actus; erit etiam forma, quæ per motum acquiritur, & sic idem per seipsum acquireretur, quod est falsum, &c.

Resp. Dist. antecedens, si actus accipitur pro termino viæ, concedo; si pro via, & tendentia, nego, nam actus pro termino viæ est idem ac forma, non verò pro via, seu tendentia ad formam, &c.

Dices. Duo actus non possunt esse in eodem subiecto; sed motus est actus; forma, quę acquiritur est actus, ergo motus, & forma non possunt esse in eodem subiecto, &c.

Resp. Dist. mai. duo actus in esse perfecto, concedo; in esse imperfecto, itaut vnus sit via ad alterum, nego; nam, &c.

Obijc. quarto. Si motus est actus, ergo quilibet motus esset actus, sed hoc est falsum, ergo, &c. min. probatur, nam corruptio, & diminutio sunt species motus, sed non sunt actus, quia actus aliquo modo dicit perfectionem, & corruptio, & diminutio dicunt carẽtiã perfectionis, ergo, &c.

Resp. Neg. falsitatem, ad probationem disting. min. non sunt actus, prout sunt in via, nego; prout sunt in termino, concedo; nam corruptio, & diminutio, prout sunt in termino nõ sunt actus, quia sic dicunt carentiam; prout verò sunt in via, sic sunt actus, & dicunt suo modo perfectionem; vel secundo dicimus corruptionem, & diminutionem non esse ex se species motus distinctas, sed priuationes generationis, & augmentationis, & con-

consequenter pertinent ad tales motus,& inter se distinguuntur sicut priuationes, quæ sumunt distinctionem in ordine ad habitum, &c. quæ responsio colligitur ex 8. Physic. t. 55. vbi Aristotiles (dimissis generatione, & corruptione, quæ non sunt motus) fecit solum mentionem de augmentatione, alteratione, & motu locali; quasi diminutio, vt priuatio pertineat ad augmentationem,&c.

Dices. Motus respicit terminum à quo,& ad quem, sed per hanc definitionem explicatur solum respectus ab subiectum,ergo,&c.

Resp. Neg. min. nam dum dicitur motus est actus entis in potentia, ostenditur ordo,quem dicit mobile ad terminum à quo procedit, & ad quem tendit, &c.

Secunda Conclusio. Probabile est, dictam definitionem motus non cõuenire motibus instantaneis; probatur ex solutione argumentorum, cum equè benè soluantur; nam si.

Obijc. primo. Arist. in hoc tertio postquam tradit definitionem motus, statim exemplificat, tam de motibus successiuis, vt est augmentatio, alteratio, & secundum locum mutatio, quã de instantaneis, vt generatio,&c.

Resp. Quod Arist. ibi accipit generationem communiter sumptam, scilicet pro præuia alteratione,&c.

Obijc. secundo. Generatio est actus entis in potentia, quatenus in potentia, quia actuat materiam primam, & illam relinquit in potentia ad formam, & ad hanc recipiendam positiuè ordinat, sed hæc est definitio motus tradita ab Arist. ergo,&c.

Resp. Disting. mai. Generatio cõmuniter sumpta, concedo, strictè, & propriè, nego; nam generatio communiter sumpta, idem est, ac alteratio, & hæc est actus entis in potentia, quatenus in potentia: generatio verò strictè, & propriè, statim constituit mobile in actuali quiete, motus verò primo constituit mobile cum tendentia, & via ad perfectiorẽ actũ,&c.

Obijc. tertiò. Ille motus hic definitur, cuius natura est principium, sed motus instantaneus habet pro principio naturam, vt patet de generatione, ergo motus instantaneus comprehenditur in hac definitione; mai. patet, nam natura est principium motus, ergo, &c.

Resp. Neg. mai. nam nunc definitur hic motus propriè sumptus, scilicet successiuus, non communiter sũptus; natura enim est principium, tam motus successiui, quàm instantanei, ideo,&c.

Tertia Concl. Probabilius est, dictam definitionem motus conuenire, tàm motibus successiuis, quàm instantaneis: probatur solutione argumentorum cum æquè benè soluantur, nam si.

Obijc. primo. Ex 5. Phys. t. 8. & 9. motum esse tantum ad tria prædicamenta, scilicet ad quantitatem, qualitatem, & vbi, & negat motum esse ad substantiam, ergo definitio motus non conuenit generationi, quæ est mutatio instantanea. Item in hoc tertio motus est de genere continuorũ, sed motus instantaneus non est huiusmo-

iusmodi, quia continuitas non potest esse in instanti, ergo nomine motus accipitur motus successiuus, & consequēter ille definitur in hac definitione.

Resp. Disting. antecedens, motum præsse sumptum esse tantum ad tria prædicamenta, concedo; latè sumptū, nego, nam motus primo modo est successiuus, de quo ibi intelligit Arist. motus verò communiter sumptus comprehendit motum successiuum instantaneum. Ad aliud per idem resp. nam motus successiuus est de genere cōtinuo, non verò instantaneus, & per idem respond. ad omnia huiusmodi loca Arist. &c.

Obijc. secundò. Motus (prout definitur) ita actuat mobile, vt illud relinquat partim in actu, & partim in potentia, idest dicit terminum acquisitum, & acquirendum, sed in generatione simul acquiritur totus terminus, & non pars post partē, ergo, &c.

Resp. Disting. min. simul acquiritur totus terminus simultate temporis, concedo; simultate naturæ, nego; nam ille motus instantaneus cum sit via ad formam in illo priori, in quo est via subiectum adhuc est in potentia ad terminum, seu ad factum esse formæ, & sic mobile actuatum fieri formæ, adhuc est in potentia ad receptionem formæ acquirendæ per motum, &c.

Not. Quod Philosophus quando ait, mobile per motum partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem, intelligendus est, vel de motu successiuo, quatenus partim est in passo, & partim in virtute actiua agentis; vel de motu instantaneo, quatenus in illo priori, in quo est via respicit efficiens, tanquam à quo, & effectum tanquam ad quē, qui subiectatur in passo, &c.

Quæritur. An sensationes, volitiones, intellectiones, & reliqui actus vitales, qui sunt motus instantanei cōprehendantur sub dicta definitione?

Resp. Affir. loquendo de actibus vitalibus dependentibus à materia, vt sensationes, volitiones entis corporei, scilicet hominis; probatur, nam intellectio est actus intellectus existentis in potentia ad ipsam, & ipsum relinquit in potentia ad factum esse, scilicet ad ipsam actualem intellectionem ergo, &c.

Dices. Ex 3. de Anima t. 28. actus vitales esse alias species motus, ergo, &c. Item actus vitales sunt actus entis perfecti, sed motus est actus entis imperfecti, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam motus instantaneus, & successiuus etiam distinguuntur specie, & tamen comprehenduntur sub eadem definitione, vt dictum est; ita dicendum de actibus vitalibus: ad aliud dicimus, quod calor est etiam actus entis perfecti, .s. aquæ, & tamen est motus; ita dicendum in casu, &c.

Not. quod intellectiones, & volitiones Angelorum, & animæ separatæ non comprehenduntur sub hoc motu physico; patet, quia physicus agit tantum de his, quæ continentur per se sub corpore, sed Angeli non continentur sub corpore, nec etiam anima separata, ergo, &c.

QVAE-

QVAESTIO II.

In quo consistit ratio formalis motus?

IN motu multa reperiuntur; primo in eo sunt tres entitates absolutæ, scilicet mouens, seu agens, mobile, & forma, quæ in motu locali est respectiua non absoluta; secundo in eo adsunt multi respectus reales; nam si agens comparetur ad formam, vel compositum dicit relationem educentis, aut producentis, & econtra, &c. qui respectus sunt intrinsecus aduenientes; si verò ad materiam comparetur, in quam vt subiectum inducit formam, insurgunt respectus transmutantis ad transmutatum, seu agentis ad passum, & econtra, &c. qui respectus sunt intrinsecus aduenientes; si materia, & forma inter se comparentur, præter respectum illum intrinsecus aduenientem eductionis, adsunt alij respectus, scilicet perfectibilis ad perfectiuum, & econtra, &c. & sunt respectus extrinsecus aduenientes, quia possunt esse materia, & forma absque eo, quod forma materiam perficiat, & informet, &c. Tertio præter hos respectus reales adsunt etiam multi respectus rationis, qui in tantum dicuntur rationis, non quod sint entia rationis, sed in quantum ipsis deficit aliqua ex conditionibus relationis simpliciter realis, scilicet quod sit inter extrema realia realiter distincta, & quod insurgat independenter ab opere intellectus; vt cum forma, & respectus simpliciter reales educti habuerint suas priuationes, ideò dicũt relationem ad non esse præcedens, non relationem realem simpliciter, quia alterum extremum non est reale simpliciter, sed tantum secundũ quid, &c. his positis sit.

Prima Concl. Motus formaliter non dicit respectum mobilis ad mouens, nec respectum mobilis ad formam. Prima pars prob. nam Deus potest causare motum sine mobili, seu subiecto, vt patet in Sanctissimo Sacramento Altaris, ergo signum est, motum formaliter non dicere respectum mobilis ad mouens, &c. Secũda pars patet per idem; tum etiam ille respectus manet prætereũte motu, sicut manet ipsa forma, ad quam est ille respectus, ergo, &c.

Secunda Concl. Nec dicit respectũ formæ ad mouens. Prob. motus est in mobili ex tex. 16. & 23. sed talis respectus est in forma, & ipsam denominat, ergo talis respectus non est formaliter motus. Item motus non definitur à Philosopho in ordine ad agens, ergo, &c. Item si forma esset separata à materia à Deo, & postea induceretur in subiecto, vt erit in resurrectione de anima rationali, tunc daretur motus absque isto respectu ad agens creatũ, nam respectus ad agens increatũ est realiter identificatus, nec est in prædicamento relationis, ergo non erit motus, &c.

Tertia conclusio, nec dicit successionem; Prob. nam successio est acquisitio partis post partem, sed hæc

non

non potest dari in omnibus motibus, vt patet de illuminatione, & visione, quæ fiunt in instanti; ergo,&c. Item formæ, quæ non suscipiunt magis, & minus, non possunt successiuè acquiri, & consequenter motus ad ipsas non erit successiuus, sed multæ sunt huiusmodi formæ, vt sunt formæ substantiales; de genere quantitatis, vbi, ergo, &c.

Quarta conclusio, motus formaliter dicit formam fluentem; est Scoti in 4. d. 15. q. 1. litt. H. I. M. Prob. primo, nam illud formaliter importatur per motum, per quod mobile formaliter denominatur moueri; sed mobile non denominatur moueri ex eo, quod recipit respectum, sed quia recipit formam fluentem, ad quam est ille respectus; nam dicitur calefieri, quia recipit calorem; ergo non ille respectus, sed forma fluens erit formaliter motus. Item motus in nullo prædicamento determinato est; est actus mobilis imperfectus, sed hæc conueniunt formæ fluenti; quia vel est in prædicamento substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, vel vbi; est actus mobilis, & respectus non est actus mobilis; est actus imperfectus, quia dicit formam non quamcunque, sed fluentem.

Secundò. Omne denominatiuum importat formaliter formam, secundum quam fit denominatio, sed calor fluens denominat subiectum; seu mobile calefieri, & albedo fluens dealbari, sicut inesse quieto denominat ipsum calidum, & album; ergo calefactio, & dealbatio, quæ sunt species motus formaliter dicent calorem, & albedinem fluentem; & consequenter idem dicendum de motu in cōmuni, quod formaliter importat formam fluentem, &c.

Obijc. primò. Contra primam concl. moueri est pati, ergo motus est passio; consequentia sequitur per locum à coniugatis, idest à concretis ad abstracta tenet consequentia, &c. Item illud, per quod patiens refertur ad agens est passio, sed mobile, quod est patiens refertur ad agens per motum, quia mobile, in quantum mouetur, est patiens; ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens moueri est pati formaliter, nego; concomitanter, concedo; nam moueri non est pati formaliter, quia passio dicit respectum transmutati ad agens transmutans, motus autem dicitur pati concomitanter; quia ad motum semper comitantur illi respectus actionis, & passionis, &c. Ad aliud per idem resp. dist. min. refertur ad agens per motum concomitanter, concedo; formaliter, nego; nam, &c.

Dices. Arist. 5. Phys. t. 10. probat ad actionem, & passionem non esse motum, quia ad motum non est motus; ergo si motus formaliter non esset passio, tunc discursus Arist. non valeret, &c. Item eadem potentia non habet distinctos actus genere; ergo cum potētia passiua habeat pro actu motum, & passionem, cum ista non possint esse actus potentiæ actiuæ, sequitur, quod motus, & passio non erunt genere distincta, & consequēter motus erit formaliter passio, &c.

Resp.

Resp. Neg. consequentiam, nam Arist. ibi negauit motum ad actionẽ, & passionem, quia actio, & passio sunt respectus semper vniti cum ipso motu; ideo ad ipsas acquirendas non requiritur alter motus, & sic nõ vult, quod actio, & passio sint motus formaliter, vel quidditatiuè, sed concomitanter, vt expresse habet in hoc libro 3. t. 22. &c.

Ad aliud dist. antecedens, non habet distinctos actus absolutos, concedo; relatiuos, nego; nam eadem potentia actiua fundat distinctos genere actus relatiuos, nempe respectus producentis, educentis, transmutantis, ita dicendum de eadem potentia actiua, &c.

Obijc. secundò. Ex Scoto in 2. d. 1. q. 5. litt. T. motus communiter sumptus dicit respectum subiecti ad formam connotando alios duos respectus, scilicet ad esse imperfectius immediatè præcedens, ad esse perfectius immediatè sequens, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam Scotus ibi non loquitur de motu cõsiderato secundum rationem absolutam, sicut cõstat ex verbis illius, sed de motu in ordine ad subiectum transmutatum; & sic nedum importat formam, sed etiam respectum subiecti ad formam, ideo, &c.

Obijc. tertiò. Contra secundam conclusionem Scotus in 4. d. 13. q. 1. litt. M. docet, motum importare fluxum formæ, qui est respectus intrinsecus adueniens, &c. Item generatio est vna species motus; sed generatio formaliter dicit originem geniti à generante; ergo motus in cõmuni importabit talem dependentiam, cum omnis species debeat contineri sub genere, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam Scotus ibi attentè loquitur, præcipuè in litt. I. & K. potius facit pro nobis, cum ibi clarè habeat, motum importare formam fluentem, cum Commentatore connotando illos respectus, ideo, &c. Ad rationem dicimus, quod generatio, vt dicit talem respectum non est species motus, quia vt sic transfertur ad diuina, in quibus non datur motus; ideo vt formaliter dicit formã fluentem est species motus, quam formam comitantur multi respectus reales, & rationis, vt supra, &c.

Obijc. quartò. Contra quartam conclus. in generatione forma substantialis in instanti introducitur, ergo talis forma non fluit, & consequenter motus formaliter non consistit in illa forma fluente, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam non est necesse, quod forma vt fluẽs ab esse imperfecto ad esse perfectum in omni motu eodem modo attendatur, sed sufficit si in aliquibus attendatur ratione secundum intensiorem gradum formæ; & in aliquibus secundum extensiorem ratione extensionis entitatiuæ materiæ, in casu verò forma dicitur fluens ratione materiæ; vt cum lignum comburitur, & informatur forma ignis, omnes partes ligni non simul informantur tali forma, vt patet, &c. Item in generatione hominis membra paula-

tim generantur, nam secundum Aristotilem primo generatur cor, deinde generantur aliæ partes, ideo, &c.

Dices. In motu locali forma non est fluens, quia vbi, quod est forma in hoc motu tunc acquiritur, quando est absolutus talis motus, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens; nam corpus acquirit fluxibiliter ipsum locum; quia modo est præsens vni parti loci; modo alteri parti loci, vsque dum perueniat ad suum vbi passiuum in quo quiescit, ideo, &c.

Notandum, quod motus est quid denominatiuũ, & consequenter vnũ significat pro formali, & aliud pro connotato; pro formali significat ipsam formam fluentem; pro connotato dicit fluxum formæ, nempe respectum ab esse imperfecto ad esse perfectum, ideo, &c.

QVAESTIO III.

An omnis motus subiectetur in mobili?

C*Oncl. affir.* Est communis, quo ad omnes alios motus, præter localem; nam Gregorius Ariminensis; Soncinnas, & alij substinent, motum localem non subiectari in mobili, sed in spatio, vel in termino; patet de motu augmentationis, alterationis, & generationis, quia mobile augetur, alteratur, & ratione formæ dicitur mutari, ergo, &c. Probatur de motu locali; nam omnis motus ex Philosopho est actus mobilis, sed actus est subiectiuè in illo cuius est actus, ergo, &c. Item si motus esset in spatio, seu loco, ergo locus diceretur moueri, quod est falsum, quia locus est immobilis ex 4. Phys. ideo, &c. Item omnis actus intrinsecus alicuius est in illo, quod denominat; sed motus localis est actus ipsius mobilis; quia mobile dicitur locabile, & moueri localiter per motum localem, ergo, &c. Dicitur notanter actus intrinsecus, quia actus extrinsecus potest etiam denominare aliquod, in quo non est, nam locus est vltima superficies corporis continentis, & in ipso subiectatur, tamen denominat res locatas, in quibus non est subiectiuè; similiter tempus est actus motus primi mobilis, tamen denominat res temporales, in quibus non est subiectiuè; & sic dicendum de multis alijs, &c.

Secundo. Si esset vacuũ tunc in eo posset fieri motus localis, vt infra in 4. Physicorum, sed tunc non esset in loco, quia locus non esset, non in nihilo, quia hoc non potest esse fundamentum accidentium, ergo in mobili, & consequenter nunc in mobili subiectatur, quia motus localis semper est eiusdem rationis, &c.

Obijc. primo. Motus est etiam actus mouentis, quia actio est quidã motus, ergo est in mouente, &c.

Resp. Dist. antecedens, est actus mouentis vt agentis, concedo, vt subiecti, nego; nam motus est in mouente, vt in efficiente, non vt in subiecto, ideo, &c.

Obijc. secundo. Ex Gregorio, Soncinna;

cinna; nam Arist. 8. Phys. t. 59. habet, mobile secundum motum localem nihil mutari ab esse, neque secundum substantiam, neque secundum accidens, quod est dicere, mobile nihil intrinsecè recipit, ergo motus localis non est in mobili; consequentia sequitur, quia cum motus sit accidens, & si esset subiectiuè in mobili; tunc mobile aliquod reciperet, quod Arist negat, &c.

Resp. Dist. antecedens, mobile nihil recipit absolutum, concedo, respectiuum, nego, nam mobile per motum localem non dicitur mutari absolutè, vt quantitas, qualitas, sed respectiuè, ideo nihil recipit absolutum, sicut accidit in alijs motibus, sed recipit respectiuum, quod non negauit Arist. in alijs autem motibus præter fluxum, seu respectum acquiritur aliquod aliud, nempe illud absolutum, &c.

Obijc. tertiò. Terminus alicuius rei est simul cum illo, cuius est terminus, & è conuerso, sed vbi est terminus motus localis, & fundatur supra locum, vel spatium, ergo, supra ipsum fundatur motus, & consequēter non supra mobile, &c.

Resp. Neg. secundam partem minoris; nam vbi non est in loco principaliter, sed est in ipso mobili; terminatiuè est in loco; si verò motus sit in vacuo, tunc nullo modo esset in loco, &c.

Notandum, quod si esset motus in vacuo, tunc respectus non esset realis ex parte termini, vel vbi, sed defectu vnius termini realis, diceretur respectus rationis, non quod ab intellectu fieret, sed ob defectum alterius termini realis, &c.

Notandum, quod motus localis intrinsecè, & per se terminatur ad illud nouum vbi, quod mobile acquirit de nouo per motum localem; ad locum verò terminatur solum extrinsecè, & concomitanter, quatenus non potest esse vbi, nisi etiam sit superficies ambiens; motus enim localis de sua ratione formali dicit vbicationem illam mediam factam in spatio, quæ vbicatio est in mobili, &c.

Obijc. quarto. Vbi est respectus extrinsecus adueniens locati ad locū; sed ad respectum non datur motus, ergo vbi non potest esse terminus motus localis, & consequenter locus est terminus.

Resp. Dist. min. ad respectum intrinsecus aduenientem, non datur motus, cōcedo, quia mobile per motum aliquod acquirit, si esset subiectiuè in illo; extrinsecus aduenientem, nego; nam, &c.

QVAESTIO IV.

An motus realiter distinguatur à mobili, & à termino?

Concl. affir. Est Scoti in 2. d. 1. q. 5. litt. T. est contra aliquos. Probatur prima pars; nam potest esse mobile sine motu, quia cessante motu, adhuc mobile manet, ergo distinguitur realiter à mobili; consequentia sequitur, &c.

 Se-

Secundò Prob. Nam motus est, quando terminus non est, & terminus est, quando motus non est, vt habet Arist. ex primo de generatione tex. 55. habitibus præsentibus cessat motus, ergo, &c. Item motus est successiuus, vel instantaneus, terminus, & etiam mobile est permanens, sed idē non potest esse permanens, & successiuum, & instantaneum, &c.

Obijc. primo. Contra primam partem, si motus realiter distingueretur à mobili, sequeretur, quod Deus posset separare motum à mobili, sed hoc est falsum, ergo, &c.

Resp. Neg. sequelam mai. quia distinctio realis non arguit mutuam separabilitatem, &c. vel secundo dicimus cum Scoto in 4. d. 12. q. 4. in solutione argumentorum, quod nullum est inconueniens, manere motus sine mobili, quia sicut potest esse per Dei potentiam albedo sine subiecto, ita intentio, & remissio albedinis, quæ est formaliter motus sine eo, quod dealbatur, &c.

Obijc. secundò. Contra secundam partem; motus formaliter est forma fluens, terminus motus est ipsamet forma in facto esse, sed forma vt in fieri non distinguitur à seipsa, vt in facto esse, ergo, &c. min. patet, quia est eadem forma, &c.

Resp. Dist. min. specificatiuæ, concedo; reduplicatiuæ, nego; nam forma fluens, vt fluens reduplicatiuæ, distinguitur realiter ab eadem forma, vt in facto esse, quia cum est in facto esse non est fluens; modo verò specificatiuè, quia eadem forma est, vt calor idem est dum est in via, & dum est in facto secundum entitatem caloris, ideò, &c.

Not. Quod sicuti terminus motus non dicit formam, quia terminat præcisè; sed quia habet esse perfectum, & quietum cum negatione respectus, quia est ab esse imperfecto immediatè præcedente, ad esse perfectius immediatè sequens, ita & motus non dicit præcisè formam fluentem, sed etiam connotat respectum illum ab esse imperfecto immediatè præcedēte, ad esse perfectum immediatè subsequens, &c.

QVAESTIO V.

In quo Prædicamento sit motus?

PRima conclusio. Motus non est in aliquo determinato prædicamento, sed ponitur in prædicamento sui termini; est Scoti in 4. d. 13. q. 1. Prima pars patet ex Arist. 5. Physic. t. 18. motum esse ad tria prædicamēta, scilicet ad quantitatem, qualitatem, & vbi, ergo non est indeterminato prædicamento; Item ens perfectum, & completum ponitur per se in prædicamento determinato, sed motus est quid imperfectius tendens ad perfectum, ergo non est necesse, quod ponatur in prædicamento determinato, &c. Secunda pars probatur, nam forma fluens, & terminus fluxus sunt idem, & eiusdem rationis, sed quæ sunt eiusdem rationis collocantur in co-

eodem prædicamento,ergo cum motus sit forma fluens est in prædicamento sui termini, &c.

Secunda concl. Motus per se est ad substantiam,quantitatem,qualitatem,& vbi,non verò ad alia prædicamenta. Prima pars probatur de substantia, quia ad illud datur motus, quod intenditur à natura, & habet propriam acquisitionem, sed forma substantialis est huiusmodi, cum sit perfectior omni forma acquisibili, &c.non solum hoc est verum de forma substantiali, quæ à subiecto dependet, sed etiam de forma substantiali, quæ non dependet à subiecto, quia ipsi conuenit definitio motus, quia verè est actus entis in potentia, quatenus in potentia, & verè subiectum aliter se habet nūc quam prius; respectus enim eductionis non est necessarius ad rationem formalem motus,ideo,&c. Patet de quantitate, quia augmentatio per se est intenta à natura,vt maximum bonum subiecti, ad hoc vt possit exercere quantitates, ergo ad quantitatem est motus; patet de qualitate, quia alteratio per se intenditur à natura, non solum quoad intensionem,sed etiam quoad extensionem,ergo, &c. Not. quod si alteratio sumatur pro acquisitione qualitatis,quæ disponit ad corruptionem, & generationem,aut istam cōmitatur sic solum erit ad tertiam speciem qualitatis, scilicet ad passionem, & passibilem qualitatem; si verò sumatur latius,scilicet pro acquisitione cuiuscunque qualitatis per se intentæ à natura,sic ad omnes species qualitatis datur motus; colligitur ex Arist. & præcipuè in 8. Phys. t. 20. & 26. vbi admittit motum ad sensationem, & imaginationem, qui motus non potest reduci,nisi ad alteratione, &c. patet de vbi,quia motus localis est ad vbi,ergo ad substantiam est motus, qui dicitur generatio,& corruptio,ad quantitatem auctio,& diminutio, ad qualitatem alteratio,ad vbi latio, seu motus localis,&c.

Secunda pars patet inductiuè; primo de relatione,quia ista non acquiritur propria acquisitione,sed resultat & non producitur;nec est ens per se intentum à natura,cum sit potius occasionatum;secūndo de quando,quia hoc prædicamentum consistit potius in quadam extrinseca denominatione,aut in relatione mensuræ, quæ est rationis; de habitu patet, quia habitus sumitur pro habere vestes, & similia, & sic nihil aliud est, nisi quidam respectus non per se acquisitus,sed resultans ex approximatione vestium ad corpus; de situ patet, nam si corpus aliquando mutat situm, iste motus est secundum partes,& est quidā motus partialis localis; de actione, & passione etiam patet, quia nec per se, intenduntur,quia agens solum intendit formam in subiecto,nec propria acquisitione acquiruntur, quia resultant ex inductione alicuius formæ in subiecto ab agente: Item si actio, & passio terminarent motum, tunc fierent per aliam actionem, & passionē, & sic esset processus in infinitum; sequela patet,nam quod per se acquiritur,per se etiam recipitur in subie-

cto

cto virtute agentis, & consequenter pe r actionem,& passionem,&c.

Obijc. primo. Vnica entitas est in vnico solum prædicamento, sed motus est vnica entitas,& vnica definitione definitur, ergo,&c.

Resp. Dist.mai.vnica entitas specifica,vel generica,concedo,trascendẽtalis, nego; nam motus est entitas quodammodo trascendentalis, & vnica definitione trascendentali definitur,ideo, &c.

Dices. Motus est vna species quãtitatis ex Arist. capite de quantitate, ergo est indeterminato prædicamento,scilicet quantitatis, &c.

Resp. Quod Arist. ibi locutus est secundum mentem aliorum, vel dicimus quod est species tantum per accidens,vt habet Arist.5.Met.

Obijc. Secundo. Vltima sphæra mouetur localiter,sed ista non acquirit aliquod vbi, quia non est in loco, ergo vbi non terminat motum, & consequenter ad ipsum vbi non est motus,&c.

Resp. Dist. min. non acquirit vbi passiuum,concedo,actiuum,nego,nã tam vbi passiuum, quam actiuum possunt terminare motum localem, vt infra in 4.Phys. &c.

Obijc. tertio. Ex 5.Phys.18.motum esse solum ad quantitatem,qualitatem,& vbi, ergo non ad substantiam.

Resp. Dist. antecedens motum præcise sumptum, concedo; communiter sumptum,nego,nam, &c.

Obijc. quarto. Contra secundam partem secundæ conclusionis; sex vltima prædicamenta respectiua possũt terminare motum, ergo ad ipsa potest esse motus; antecedens patet ex Scoto in 3. d. 1. q. 1. litt. K. relationes extrinsecus aduenientes, acquiruntur per se absque eo, quod fiat mutatio secundum aliquod absolutũ in altero extremorum, sed quod per se terminat actionem agentis, per se intenditur ab agente, ergo quilibet respectus extrinsecus adueniens potest terminare motus,&c.

Resp. Neg.antecedens, ad probationem dicimus,quod ibi Scotus non loquitur vniuersaliter de quacunque relatione extrinsecus adueniente, sed indefinitè,& sufficit quod verificetur per se de vbi, & aliquo modo de situ, &c.

Dices. In prædicamento habitus ille respectus vnionis per se fit, & intenditur ab agente, quia agens non intendit motum vestium,sed vnionẽ; similiter vnio hypostatica ex Scoto potest terminare motum, sed talis vnio ad nullum prædicamentum reducitur nisi ad habitum,vel saltem ad nullum ex illis quatuor,ergo,&c.

Resp. Quod illa vnio vestium propriè non spectat ad prædicamentum habitus,nisi secundum quendam modum explicandi per verbum,habere, sed propriè pertinet ad prædicamentum vbi, quia est quædam continentia localis, & est terminus motus approximationis,&c. Ad illud de vnione hypostatica dicimus, quod hæc potest terminare motum, quia cum sit quædam relatio terminata ad verbum, potest de nouo aduenire cuilibet

bet naturæ, absque eo, quod aliud absolutum recipiat, & consequenter ad prædicamentum habitus est motus, si ad illud est reducibilis, sed hoc non est speculationis naturalis, sed supernaturalis, ideò naturaliter loquendo motus est tantum ad quatuor prædicamenta, &c.

Quæritur. Quod motus ponitur post prædicamentum, quomodo ergo est in genere?

Respondet. Motus ponitur post prædicamentum ad denotandum, ipsum non esse in vnico genere, sed in pluribus, ideo, &c.

DISPVTATIO II.

De Actione, & Passione.

QVAESTIO I.

An Actio, & Passio sint idem realiter inter se, & in motu?

Concl. neg. Formaliter loquendo, scilicet ratione significati formalis, est contra Ruuium, & quãplures; probatur, nam actio, & passio sunt formaliter respectus oppositi, quia actio est respectus agentis ad passum, & passio est respectus patiẽtis ad agens, sed tales respectus realiter distinguuntur, vt patet de respectibus fundatis supra potentiam actiuam, & passiuam, ergo, &c. Item quæ ponuntur in diuersis prædicamentis realiter distinguuntur, sed actio, & passio constituunt diuersa prædicamenta, ergo, &c.

Secunda probatio. Quod distinguantur à motu; nam actio, & passio dicunt respectum, motus frequenter dicit formam absolutam, & si aliquãdo dicat formam relatiuam, vt in motu locali, tamen talis forma relatiua est diuersi generis, scilicet vbi, ergo actio, & passio realiter distinguuntur à motu, &c.

Obiic. primò. Causa efficiens est principium vndè motus ex 2. Phys. t. 29. sed quod est ab efficiente, seu agente est actio, ergo motus idem est ac actio, &c.

Resp. Dist. min. est actio materialiter considerata, nempè actio actiua, concedo; formaliter considerata, nego; nam actio actiua est ipsa res, quæ producitur ab agente, & sic est idem cum ipso motu formaliter considerato; actio formaliter considerata est respectus agentis, & sic distinguitur à motu;

motu;vel dicimus quod ly vndè motus,in maiori propositione non sumitur reduplicatiuè, sed specificatiuè; nam motus vt motus non dicit ordinem,nec ad motorem,nec ad mobile, sed tantum dicit formam fluentem; si sumatur specificatiuè, & sic non sequitur id,quod infertur, quia actio pro re acta non distinguitur à motu, vt dictum est,ideo, &c.

Obijc. secundò. Mouere est formaliter agere,ergo motus est formaliter actio;sequela sequitur, quia locum est à coniugatis, &c.

Resp. Neg.antecedens; nam mouere est tantum concomitanter agere,non formaliter,& ideò tantum sequitur, quod motus sit concomitanter actio, &c.

Obijc. tertiò. Moueri est illud, per quod subiectum aliter se habet nunc,quam prius, sed per passionem subiectum, seù passum aliter se habet nunc,quam prius,ergo passio est formaliter motus.

Resp. Dist. min. per passionem subiectum, seù passum aliter se habet,&c. primo,nego;concomitanter, & secundo,concedo;nam cum subiectum fit album solum dicitur mutari primo per albedinem,vt fluentem, deinde recipit relationem patientis ad agens, ideò primo recipit illam formam fluentem, deinde dicit respectum patientis ad agens; ex his sequitur, quod passio non est formaliter motus.

Notandum. Actio,& passio pro formali dicunt respectus realiter distinctos,pro connotato dicunt actionem actam,idest rem productam, & consequenter dicunt motum, & secundum hanc doctrinam respondetur ad quam plura loca Arist. dicentis,passionem, & actionem esse motum, &c.

QVAESTIO II.

An actio sit subiectiuè in agente, vel in passo.

Actio duplex est,scilicet immanens,& transiens; prima est illa,cuius terminus actio est, vt visio, intellectio, volitio, &c. dicitur actio grammaticalis,seù de genere qualitatis,quia visio,quæ est huiusmodi actio non refertur ad terminum extra se, sed est ipsa operatio; secunda est illa, quæ habet terminum productum extra se,vt ædificare,texere,&c. dicitur actio de genere actionis, quia refertur ad ipsum terminum productum extra se, &c. Actio transiens potest dupliciter sumi, scilicet formaliter,pro ipso respectu transmutantis ad transmutatum, vt respectus ignis calefacientis ad aquam calefactam; secundo materialiter, scilicet pro actione acta, quæ est res producta ab agente in passo, vt calefactio producta ab igne in aqua; his positis sit,&c.

Prima Concl. Actio materialiter sumpta, scilicet pro re acta est subiectiuè in passo,est Scoti in 4.d.13.q.1. & debet esse communis; probatur, actio pro re acta pertinet ad aliquod genus absolutum, secundum quod pas-

passum transmutatur, vt ad substantiam, quantitatem, qualitatem, sed quæcunque forma, secundum quam passum transmutatur est subiectiuè in passo, quia passum transmutatur per formam quam recipit, &c. Item motus est subiectiuè in mobili, vt dictum est, sed actio pro rè acta est motus, ergo, &c.

Secunda Concl. Actio formaliter sumpta scilicet pro respectu est subiectiuè in agente; est Scoti loco citato, contra Ruuium, Suarez, & quāplures Thomistas; probatur primo; nulla forma realis est in aliquo subiecto, nisi tribuendo illi esse formale; sed actio est forma realis de prædicamento actionis, quod est prædicamentum reale, ergo non est in subiecto, nisi tribuendo illi esse formale; tunc vltra, actio non tribuit esse formale passo, quia tunc passum esset agens; ergo necessario dicendum est, quod sit subiectiuè in agente, cui tribuit suum esse formale, &c.

Secundo. Forma denominans est in illo subiecto, quod denominat, sed actio denominat agens, nam agens actione dicitur agens, sicut passum passione dicitur passum, ergo, &c.

Resp. Quod maior est vera de forma denominante denominatione intrinseca, cuius subiectum est subiectum denominationis, & inhæxionis simul, non vero de forma denominante denominatione extrinseca, vt visio, qua paries dicitur visus, non est inhæxiue in pariete, sed in vidente; est tantum in ipso secundum denominationem; sic dicendum de actione, &c. Sed

Cōtra, forma denominans aliquod extrinsecè, debet denominare aliud intrinsecè, nam visio extrinsecè denominat parietem visum, & intrinsecè potentiam videntē, ergo si actio denominat agens extrinsecè debet aliud denominare intrinsecè, sed nihil reperitur denominatum intrinsecè ab actione, quia non denominat agens (vt ipsi dicunt) nec passum, ergo nec etiam denominaret extrinsecè ipsum agens; sed de facto denominat, ergo signum est, quod est in agente etiam secundum denominationem intrinsecam.

Tertio prob. actio, & passio sunt respectus oppositi, quibus agens, & passum mutuò se respiciunt, ergo nō in vno extremo, sed in vtroque subiectantur; consequentia prob. nam nihil refertur ad aliud per id, quod terminatur ad ipsum, sed per id, quod fundatur in ipso, nam filius non refertur ad Patrem, quatenus terminat relationem Paternitatis, sed quatenus fundat relationē filiationis, sed agens, & passum formaliter se respiciunt, ergo agens non respicit passum terminatione motus, sed relatione aliqua sibi inhęrente, &c.

Obijc. primo. Omnis motus est subiectiuè in mobili, siue in passo, vt dictum est, sed actio est motus ex 5. Physicorum 18. ergo actio est in passo;

Resp. Dist. min. actio pro materiali, seu pro reacta est motus, concedo; pro formali, seu pro respectu transmutantis ad transmutatum,

nego; nam, &c.

Dices. Agere est formaliter mouere, ergo actio est formaliter motus; consequentia sequitur per locum à coniugatis, &c.

Resp. Neg. antecedens; nam agere non est formaliter mouere, sed tantum concomitanter, quatenus ad agere sequitur mouere, & hoc modo, nempe concomitanter, actio est motus, &c.

Notandum motus duo dicit, nempe vnum pro formali scilicet formam fluentem ab vno esse ad aliud esse; alterum pro connotato scilicet respectum eiusdem formæ fluentis ad se ipsam, vt perfectiorem, vel imperfectiorem; actio verò est respectus transmutantis ad transmutatum, &c.

Obijc. secundò. Si actio transiens est in agente, ergo non differt ab actione immanente; consequentia sequitur, quia per hoc differt actio transiens ab immanente, quod illa sit in passo, hæc verò in agente, &c.

Resp. Neg. consequentiam; ad prob. dicimus, quod talis differentia non est desumenda ab ipsa actione, in quo sit, sed à termino actionis, quatenus terminus actionis immanẽtis est ipsamet actio, terminus actionis transeuntis distinguitur ab actione; actio enim quæcunque illa sit, siue immanens, siue transiens semper est subiectiuè in agente, &c.

Obijc. tertiò. Actio est in agente tanquam à quo, & in passo tanquam in quo, ex tex. 20. ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens; actio pro reacta, conc edo; pro respectu, nego; nam actio pro materiali est quid absolutum, & ideo producitur ab agẽte, & recipitur in passo, vt ignis generat ignem in ligno, forma ignis geniti est ab igne generante, tanquam à quo, & recipitur in ligno, tanquã in quo; actio verò pro formali est respectus, & ideo non producitur, sed resultat, ideo, &c.

Obijc. quartò. Nullum mouens mouetur, ex 2. de anima, 133. sed si agens reciperet in se actionem, mutaretur, ergo, &c. Item terminus actionis transeuntis esset in agente, quod est falsum; sequela probatur, nam terminus physicè nõ attingitur, nisi eo modo, quo causalitas attingitur; ergo si agens attingit intrinsecè actionem, vt in ipso maneat, sequitur, quod eodem modo attingat terminum, &c.

Resp. Dist. mai. nullum mouens mouetur, motu terminato ad formã per se acquisibilem, concedo; motu terminato ad formam non per se acquisibilem, sed ad acquisitionem alterius, nego; nam mouens, seu agens de nouo acquirit illam relationem, nempe actionem, & consequenter aliter se habet intrinsecè, nunc, quam prius, & ideo dicitur moueri ad talem formam, quod non est negandum, &c.

Dices. Si sic, ergo quodlibet agẽs esset patiens; sequela patet; nam reciperet aliquid de nouo, quod prius non habebat, &c.

Resp. Neg. sequelam; nam non omnis receptio est in prædicamento passionis, sed solum illa, quæ respicit agens;

agens; receptio verò prout respicit formam, potius est in prædicamento habitus; potentia receptiua non conuertitur semper cum potentia passiua, sed tantum illa, quæ est ad passionem, seu respicit agens, &c. Ad aliud primi argumenti dicimus, negando sequelam, nam efficiens non attingit effectum media causatione, tanquam ratione agendi, sed immediatè per suam essentiam, ideò non sequitur, quod si actio est in agente, etiam terminus est in agente, quia potest aliquid referri relatione sibi inexistēte ad terminum separatum, &c.

Obijc. quinto. De ratione actionis transeuntis est, quod prodeat ab agente, & transeat in passum, ergo actio est in passo, & non in agente, &c.

Resp. Dist. antecedens, actio acta concedo; actio pro respectu nego; nam actio pro respectu resultat in agente, tanquam principium formale denominandi, non producendi; quia nō est medium quo agens producit, ideo, &c.

Obijc. sexto. Si actio esset subiectiuè in agente, tunc idem agens esset prius, & posterius, prius, quia producit actionem, posterius, quia agens esset formaliter agēs per actionem inhærentem sibi, & sic diceretur posterius ipsa actione, nam principium est prius principiato, ergo, &c.

Resp. Dist. sequelam in diuerso genere, concedo; in eodem genere, nego; nam nullum est inconueniens, subiectum esse prius forma denominante in genere causæ materialis, & posterius ea in genere causæ formalis; paries enim est prior albedine, & est posterior ea, quatenus albus, &c.

Obijc. septimò. Actio idem est, ac passio; sed passio est in mobili, seu in passo, ergo, &c. mai. prob. nam actiua, & passiua non differunt secundum rem significatam, sed solum secundum terminationem vocis; nam eadem visio denominat potentiam visiuam, & obiectum visum, ergo similiter eadem actio denominat agens, & passum, &c.

Resp. Neg. mai. ad prob. dicimus, quod visio non est actio physica, sed grammaticalis, sicut eius terminus nō dicitur passum physicè, sed grammaticaliter, ideò est dispar ratio de visione, & de actione transeunte propriè dicta, &c. Grammatici enim, quia non exactè distinguunt formalitates rerum, ideò eodem modo loquuntur de actione propriè dicta, sicut de actione immanente, seu grammaticali; Philosophi verò distinguunt actionem physicam, seu transeuntem, ab actione grammaticali, ideò, &c.

Nota. Actio triplex est, prima productiua, quæ est producentis ad productum; secunda inductiua, vel eductiua, quæ est ad terminum inductū, vel eductum; Tertia transmutatiua, quæ est ad ipsum subiectum transmutatum; duæ primæ actiones pertinent ad prædicamentum relationis, quia sunt intrinsecus aduenientes; tertia actio pertinet ad prædicamentum actionis, quia est extrinsecus adueniens, &c.

cedo; præter habitudines tantum intrinsecas, nego; nam actio, & passio sunt habitudines extrinsecæ, ideò est dist. etiam min. subsumpta, de duplici habitudine, & præter has habitudines non datur aliquod, nisi absolutũ, &c.

DISPVTATIO III.

De Infinito.

QVaritur. Quid est Infinitum?

Resp. Est id, cuius secundum quantitatẽ accipientibus, semper est aliquid extra accipere; ità Arist. t. 63. sed cui infinito conueniat hæc definitio, est dubium, ideò sunt præmittendæ diuisiones ipsius infiniti, &c.

Prima diuiditur in infinitum pro significato nominis, & in infinitum pro substrato; primum dicitur illud, quod caret terminis, & limitibus; secundum est illud positiuum connotatum, quod caret illis terminis, & limitibus, &c.

Secunda diuisio, infinitum pro substrato diuiditur in infinitum in actu, & in potentia, seù in infinitum cathegorematicum, & syncathegorematicum; primum est, quod actu existit sine terminis; secundum est, quod existit sine terminis in potentia, tamẽ actu habet terminos, &c. seù primum est illud, cuius omnes partes sunt actu simul existentes; secundum est illud, cuius partes non sunt actu simul existentes, sed partim in actu, & partim in potentia, &c.

Ex his colligitur, prædictam definitionem non conuenire infinito cathegorematico, sed syncathegorematico; patet, nam sicut illud infinitum desumptum à Philosopho vt supra habet esse in fieri, & in potentia, ita habet rationem partis, & non totius, habet rationem incompleti, & imperfecti, sed hæc non possunt intelligi de infinito cathegorematico, quia hoc infinitum est positum secundum omnes suas partes, ergo intelligitur de infinito syncathegorematico, quia hoc infinitum non ponitur in actu secundum omnes suas partes, & dicitur habere rationem partis, & incompleti, quia semper fieri potest additio, &c.

Tertia diuisio. Infinitum diuiditur in infinitum secundum essentiam, seù extra genus, & est illud, quod continet omnes perfectiones possibiles omnium rerum, vt Deus, &c. & in infinitum non secundum essentiam, & in genere, vt esset substantiã creata in

in genere substantiæ si daretur, quantitas in genere quantitatis, &c.

Quarta diuisio est in infinitum secundum intentionem, seù gradualitatem; vt esset qualitas infinita, si daretur, vt albedo infinitè intēsa: & in infinitum secundum extentionem, siue hæc extentio sit discreta, siue continua; infinitum secundum extentionē discretam dicitur infinitum secundũ multitudinem, vt numerus infinitus; infinitum secundum extentionem continuam, dicitur infinitum secundum magnitudinem, vt linea infinita, &c.

QVAESTIO I.

An naturaliter possit dari infinitum in actu?

QVæstio non est de infinito syncathegorematico, seù in potētia, cum hoc sit certum, tum in magnitudine, tum in multitudine, sed de infinito cathegorematico, & in actu; sensus quæstionis est, an detur de facto aliqua magnitudo, aut entitas creata, cui nihil restat accipiendum ab externo, sed in se ità gaudeat interminabilitate, vt absolutè possit dici infinita; his positis sit, &c.

Concl. neg. Ita Arist. à tex. 40. vsque ad 55. contra antiquos Philosophos, est Scoti in 2. & 11. Met. prob. quod est in rerum natura est factum à Deo, & à natura propter aliquem finem, quia Deus, & natura non agũt frustrà, sed si daretur hoc infinitum non referetur ad aliquem finem, quia tunc non esset infinitum, ergo, &c.

Secundo. Si daretur infinita magnitudo actu, aut esset extra vniuersum, aut intra, sed neutrum istorum, ergo, &c. min. patet, nam non primum, quia esset nihil; nec secundum, quia vniuersum est finitum, vt probat Arist. lib. de Cælo. Item hoc infinitum vel esset animatum, vel inanimatum; non primum, quia quodlibet animatum habet terminum magnitudinis, & paruitatis; nec secundum, quia vel esset sub Cælo, vel supra Cælum; non secundum, quia huius non est assignabilis aliqua causa naturalis, nec primum, quia tunc clauderetur terminis, quod est contra rationem infiniti, ergo, &c.

Tertio. Si daretur numerus infinitus, non esset extra vniuersum, quia extra illud nihil est, nec intra, quia numerus non potest esse absque rebus numeratis, quæ cum essent infinitæ non possent esse in vniuerso finito, ergo, &c.

Obijc. primò. Finitas, & infinitas sunt passiones quantitatis, sed datur quantitas finita, ergo similiter infinita, &c.

Resp. Distin. secundam partem mai. infinitas in potentia est passio quantitatis, concedo; in actu, nego; nam, &c. vel secundo infinitas est passio quantitatis ex suppositione, si daretur infinitas in actu non esset in alio genere, nisi in quantitate, &c.

Dices. Si vnum contrarium inuenitur in rerum natura, etiã & aliud, ergo si datur finitum, debet etiam da-

ri

cedo; præter habitudines tantum intrinsecas, nego; nam actio, & passio sunt habitudines extrinsecæ, ideò est dist. etiam min. subsumpta, de duplici habitudine, & præter has habitudines non datur aliquod, nisi absolutũ, &c.

DISPVTATIO III.

De Infinito.

QVæritur. Quid est Infinitum?

Resp. Est id, cuius secundum quantitatẽ accipientibus, semper est aliquid extra accipere; ità Arist. t. 63. sed cui infinito conueniat hæc definitio, est dubium, ideò sunt præmittendæ diuisiones ipsius infiniti, &c.

Prima diuiditur in infinitum pro significato nominis, & in infinitum pro substrato; primum dicitur illud, quod caret terminis, & limitibus; secundum est illud positiuum connotatum, quod caret illis terminis, & limitibus, &c.

Secunda diuisio, infinitum pro substrato diuiditur in infinitum in actu, & in potentia, seù in infinitum cathegorematicum, & syncathegorematicum; primum est, quod actu existit sine terminis; secundum est, quod existit sine terminis in potentia, tamẽ actu habet terminos, &c. seù primum est illud, cuius omnes partes sunt actu simul existentes; secundum est illud, cuius partes non sunt actu simul existentes, sed partim in actu, & partim in potentia, &c.

Ex his colligitur, prædictam definitionem non conuenire infinito cathegorematico, sed syncathegorematico; patet, nam sicut illud infinitum desumptum à Philosopho vt supra habet esse in fieri, & in potentia, ita habet rationem partis, & non totius, habet rationem incompleti, & imperfecti, sed hæc non possunt intelligi de infinito cathegorematico, quia hoc infinitum est positum secundum omnes suas partes, ergo intelligitur de infinito syncathegorematico, quia hoc infinitum non ponitur in actu secundum omnes suas partes, & dicitur habere rationem partis, & incompleti, quia semper fieri potest additio, &c.

Tertia diuisio. Infinitum diuiditur in infinitum secundum essentiam, seù extra genus, & est illud, quod continet omnes perfectiones possibiles omnium rerum, vt Deus, &c. & in infinitum non secundum essentiam, & in genere, vt esset substantiá creata

in

in genere substantiæ si daretur, quantitas in genere quantitatis, &c.

Quarta diuisio est in infinitum secundum intentionem, seu gradualitatem; vt esset qualitas infinita, si daretur, vt albedo infinitè intēsa: & in infinitum secundum extentionem; siue hæc extentio sit discreta, siue continua; infinitum secundum extentionē discretam dicitur infinitum secundū multitudinem, vt numerus infinitus; infinitum secundum extentionem continuam, dicitur infinitum secundum magnitudinem, vt linea infinita, &c.

QVAESTIO I.

An naturaliter possit dari infinitum in actu?

QVæstio non est de infinito syncathegorematico, seu in potētia, cum hoc sit certum, tum in magnitudine, tum in multitudine, sed de infinito cathegorematico, & in actu; sensus quæstionis est, an detur de facto aliqua magnitudo, aut entitas creata, cui nihil restat accipiendum ab externo, sed in se ità gaudeat interminabilitate, vt absolutè possit dici infinita; his positis sit, &c.

Concl. neg. Ita Arist. à tex. 40. vsque ad 55. contra antiquos Philosophos, est Scoti in 2. & 11. Met. prob. quod est in rerum natura est factum à Deo, & à natura propter aliquem finem, quia Deus, & natura non agūt frustrà, sed si daretur hoc infinitum non referetur ad aliquem finem, quia tunc non esset infinitum, ergo, &c.

Secundo. Si daretur infinita magnitudo actu, aut esset extra vniuersum, aut intra, sed neutrum istorum, ergo, &c. min. patet, nam non primum, quia esset nihil; nec secundum, quia vniuersum est finitum, vt probat Arist. lib. de Cælo. Item hoc infinitum vel esset animatum, vel inanimatum; non primum, quia quodlibet animatum habet terminum magnitudinis, & paruitatis; nec secundum, quia vel esset sub Cælo, vel supra Cælum; non secundum, quia huius non est assignabilis aliqua causa naturalis, nec primum, quia tunc clauderetur terminis, quod est contra rationem infiniti, ergo, &c.

Tertio. Si daretur numerus infinitus, non esset extra vniuersum, quia extra illud nihil est, nec intra, quia numerus non potest esse absque rebus numeratis, quæ cum essent infinitæ non possent esse in vniuerso finito, ergo, &c.

Obijc. primò. Finitas, & infinitas sunt passiones quantitatis, sed datur quantitas finita, ergo similiter infinita, &c.

Resp. Distin. secundam partem mai. infinitas in potentia est passio quantitatis, concedo; in actu, nego; nam, &c. vel secundo infinitas est passio quantitatis ex suppositione .s. si daretur infinitas in actu non esset in alio genere, nisi in quantitate, &c.

Dices. Si vnum contrarium inuenitur in rerum natura, etiā & aliud, ergo si datur finitum, debet etiam da-

ri

cedo; præter habitudines tantum intrinsecas, nego; nam actio,& passio sunt habitudines extrinsecæ, ideò est dist. etiam min. subsumpta, de duplici habitudine,& præter has habitudines non datur aliquod,nisi absolutū, &c.

DISPVTATIO III.

De Infinito.

QVæritur. Quid est Infinitum?

Resp. Est id, cuius secundum quantitatē accipientibus, semper est aliquid extra accipere; ità Arist. t.63. sed cui infinito conueniat hæc definitio, est dubium, ideò sunt præmittendæ diuisiones ipsius infiniti, &c.

Prima diuiditur in infinitum pro significato nominis, & in infinitum pro substrato; primum dicitur illud, quod caret terminis,& limitibus; secundum est illud positiuum connotatum, quod caret illis terminis, & limitibus, &c.

Secunda diuisio, infinitum pro substrato diuiditur in infinitum in actu,& in potentia, seù in infinitum cathegorematicum,& syncathegorematicum; primum est, quod actu existit sine terminis; secundum est, quod existit sine terminis in potentia, tamē actu habet terminos, &c. seù primum est illud, cuius omnes partes sunt actu simul existentes; secundum est illud, cuius partes non sunt actu simul existentes, sed partim in actu, & partim in potentia, &c.

Ex his colligitur, prædictam definitionem non conuenire infinito cathegorematico, sed syncathegorematico; patet, nam sicut illud infinitum desumptum à Philosopho vt supra habet esse in fieri,& in potentia, ita habet rationem partis, & non totius, habet rationem incompleti,& imperfecti, sed hæc non possunt intelligi de infinito cathegorematico, quia hoc infinitum est positum secundum omnes suas partes, ergo intelligitur de infinito syncathegorematico, quia hoc infinitum non ponitur in actu secundum omnes suas partes, & dicitur habere rationem partis, & incompleti, quia semper fieri potest additio, &c.

Tertia diuisio. Infinitum diuiditur in infinitum secundum essentiam, seù extra genus,& est illud, quod continet omnes perfectiones possibiles omnium rerum, vt Deus, &c. & in infinitum non secundum essentiam, & in genere, vt esset substantia creata

in

in genere substantiæ si daretur, quantitas in genere quantitatis, &c.

Quarta diuisio est in infinitum secundum intentionem, seù gradualitatem; vt esset qualitas infinita, si daretur, vt albedo infinitè intēsa: & infinitum secundum extentionem; siue hæc extentio sit discreta, siue continua; infinitum secundum extentionē discretam dicitur infinitum secundū multitudinem, vt numerus infinitus; infinitum secundum extentionem continuam, dicitur infinitum secundum magnitudinem, vt linea infinita, &c.

QVAESTIO I.

An naturaliter possit dari infinitum in actu?

QVæstio non est de infinito syncathegorematico, seù in potētia, cum hoc sit certum, tum in magnitudine, tum in multitudine, sed de infinito cathegorematico, & in actu; sensus quæstionis est, an detur de facto aliqua magnitudo, aut entitas creata, cui nihil restat accipiendum ab externo, sed in se ità gaudeat interminabilitate, vt absolutè possit dici infinita; his positis sit, &c.

Concl. neg. Ita Arist. à tex. 40. vsque ad 55. contra antiquos Philosophos, est Scoti in 2. & 11. Met. prob. quod est in rerum natura est factum à Deo, & à natura propter aliquem finem, quia Deus, & natura non agūt frustrà, sed si daretur hoc infinitum non referetur ad aliquem finem, quia tunc non esset infinitum, ergo, &c.

Secundo. Si daretur infinita magnitudo actu, aut esset extra vniuersum, aut intra, sed neutrum istorum, ergo, &c. min. patet, nam non primum, quia esset nihil; nec secundum, quia vniuersum est finitum, vt probat Arist. lib. de Cælo. Item hoc infinitum vel esset animatum, vel inanimatum; non primum, quia quodlibet animatum habet terminum magnitudinis, & paruitatis; nec secundum, quia vel esset sub Cælo, vel supra Cælum; non secundum, quia huius non est assignabilis aliqua causa naturalis, nec primum, quia tunc clauderetur terminis, quod est contra rationem infiniti, ergo, &c.

Tertio. Si daretur numerus infinitus, non esset extra vniuersum, quia extra illud nihil est, nec intra, quia numerus non potest esse absque rebus numeratis, quæ cum essent infinitæ non possent esse in vniuerso finito, ergo, &c.

Obijc. primò. Finitas, & infinitas sunt passiones quantitatis, sed datur quantitas finita, ergo similiter infinita, &c.

Resp. Distin. secundam partem mai. infinitas in potentia est passio quantitatis, concedo; in actu, nego; nam, &c. vel secundo infinitas est passio quantitatis ex suppositione .i. si daretur infinitas in actu non esset in alio genere, nisi in quantitate, &c.

Dices. Si vnum contrarium inuenitur in rerum natura, etiā & aliud, ergo si datur finitum, debet etiam dari

cedo; præter habitudines tantum intrinsecas, nego; nam actio, & passio sunt habitudines extrinsecæ, ideò est dist. etiam min. subsumpta, de duplici habitudine, & præter has habitudines non datur aliquod, nisi absolutũ, &c.

DISPVTATIO III.

De Infinito.

QVæritur. Quid est Infinitum?

Resp. Est id, cuius secundum quantitatẽ accipientibus, semper est aliquid extra accipere; ità Arist. t. 63. sed cui infinito conueniat hæc definitio, est dubium, ideò sunt præmittendæ diuisiones ipsius infiniti, &c.

Prima diuiditur in infinitum pro significato nominis, & in infinitum pro substrato; primum dicitur illud, quod caret terminis, & limitibus; secundum est illud positiuum connotatum, quod caret illis terminis, & limitibus, &c.

Secunda diuisio, infinitum pro substrato diuiditur in infinitum in actu, & in potentia, seù in infinitum cathegorematicum, & syncathegorematicum; primum est, quod actu existit sine terminis; secundum est, quod existit sine terminis in potentia, tamẽ actu habet terminos, &c. seù primum est illud, cuius omnes partes sunt actu simul existentes; secundum est illud, cuius partes non sunt actu simul existentes, sed partim in actu, & partim in potentia, &c.

Ex his colligitur, prædictam definitionem non conuenire infinito cathegorematico, sed syncathegorematico; patet, nam sicut illud infinitum desumptum à Philosopho vt supra habet esse in fieri, & in potentia, ita habet rationem partis, & non totius, habet rationem incompleti, & imperfecti, sed hæc non possunt intelligi de infinito cathegorematico, quia hoc infinitum est positum secundum omnes suas partes, ergo intelligitur de infinito syncathegorematico, quia hoc infinitum non ponitur in actu secundum omnes suas partes, & dicitur habere rationem partis, & incompleti, quia semper fieri potest additio, &c.

Tertia diuisio. Infinitum diuiditur in infinitum secundum essentiam, seù extra genus, & est illud, quod continet omnes perfectiones possibiles omnium rerum, vt Deus, &c. & in infinitum non secundum essentiam, & in genere, vt esset substantiá creata in

in genere substantiæ si daretur, quantitas in genere quantitatis, &c.

Quarta diuisio est in infinitum secundum intentionem, seù gradualitatem; vt esset qualitas infinita, si daretur, vt albedo infinitè intēsa: & in infinitum secundum extentionem; siue hæc extentio sit discreta, siue continua; infinitum secundum extentionē discretam dicitur infinitum secundū multitudinem, vt numerus infinitus; infinitum secundum extentionem continuam, dicitur infinitum secundum magnitudinem, vt linea infinita, &c.

QVAESTIO I.

An naturaliter possit dari infinitum in actu?

QVæstio non est de infinito syncathegorematico, seù in potētia, cum hoc sit certum, tum in magnitudine, tum in multitudine, sed de infinito cathegorematico, & in actu; sensus quæstionis est, an detur de facto aliqua magnitudo, aut entitas creata, cui nihil restat accipiendum ab externo, sed in se ità gaudeat interminabilitate, vt absolutè possit dici infinita; his positis sit, &c.

Concl. neg. Ita Arist. à tex. 40. vsque ad 55. contra antiquos Philosophos, est Scoti in 2. & 11. Met. prob. quod est in rerum natura est factum à Deo, & à natura propter aliquem finem, quia Deus, & natura non agūt frustrà, sed si daretur hoc infinitum non referetur ad aliquem finem, quia tunc non esset infinitum, ergo, &c.

Secundo. Si daretur infinita magnitudo actu, aut esset extra vniuersum, aut intra, sed neutrum istorum, ergo, &c. min. patet, nam non primum, quia esset nihil; nec secundum, quia vniuersum est finitum, vt probat Arist. lib. de Cælo. Item hoc infinitum vel esset animatum, vel inanimatum; non primum, quia quodlibet animatum habet terminum magnitudinis, & paruitatis; nec secundum, quia vel esset sub Cælo, vel supra Cælum; non secundum, quia huius non est assignabilis aliqua causa naturalis, nec primum, quia tunc clauderetur terminis, quod est contra rationem infiniti, ergo, &c.

Tertio. Si daretur numerus infinitus, non esset extra vniuersum, quia extra illud nihil est, nec intra, quia numerus non potest esse absque rebus numeratis, quæ cum essent infinitæ, non possent esse in vniuerso finito, ergo, &c.

Obiic. primò. Finitas, & infinitas sunt passiones quantitatis, sed datur quantitas finita, ergo similiter infinita, &c.

Resp. Distin. secundam partem mai. infinitas in potentia est passio quantitatis, concedo; in actu, nego; nam, &c. vel secundo infinitas est passio quantitatis ex suppositione .s. si daretur infinitas in actu non esset in alio genere, nisi in quantitate, &c.

Dices. Si vnum contrarium inuenitur in rerum natura, etiā & aliud, ergo si datur finitum, debet etiam dari

nego; nam, &c.

Dices. Agere est formaliter mouere, ergo actio est formaliter motus; consequentia sequitur per locum à coniugatis, &c.

Resp. Neg. antecedens; nam agere non est formaliter mouere, sed tantum concomitanter, quatenus ad agere sequitur mouere, & hoc modo, nempe concomitanter, actio est motus, &c.

Notandum motus duo dicit, nempe vnum pro formali scilicet formam fluentem ab vno esse ad aliud esse; alterum pro connotato scilicet respectum eiusdem formæ fluentis ad se ipsam, vt perfectiorem, vel imperfectiorem; actio verò est respectus transmutantis ad transmutatum, &c.

Obijc. secundò. Si actio transiens est in agente, ergo non differt ab actione immanente; consequentia sequitur, quia per hoc differt actio transiens ab immanente, quod illa sit in passo, hæc verò in agente, &c.

Resp. Neg. consequentiam; ad prob. dicimus, quod talis differentia non est desumenda ab ipsa actione, in quo sit, sed à termino actionis, quatenus terminus actionis immanentis est ipsamet actio, terminus actionis transeuntis distinguitur ab actione; actio enim quæcunque illa sit, siue immanens, siue transiens semper est subiectiuè in agente, &c.

Obijc. tertiò. Actio est in agente tanquam à quo, & in passo tanquam in quo, ex tex. 20. ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens; actio pro reacta, conc edo; pro respectu, nego; nam actio pro materiali est quid absolutum, & ideo producitur ab agente, & recipitur in passo, vt ignis generat ignem in ligno, forma ignis geniti est ab igne generante, tanquam à quo, & recipitur in ligno, tanquã in quo; actio verò pro formali est respectus, & ideo non producitur, sed resultat, ideo, &c.

Obijc. quartò. Nullum mouens mouetur, ex 2. de anima, 133. sed si agens reciperet in se actionem, mutaretur, ergo, &c. Item terminus actionis transeuntis esset in agente, quod est falsum; sequela probatur, nam terminus physicè nõ attingitur, nisi eo modo, quo causalitas attingitur; ergo si agens attingit intrinsecè actionem, vt in ipso maneat, sequitur, quod eodem modo attingat terminum, &c.

Resp. Dist. mai. nullum mouens mouetur, motu terminato ad formã per se acquisibilem, concedo; motu terminato ad formam non per se acquisibilem, sed ad acquisitionem alterius, nego; nam mouens, seu agens de nouo acquirit illam relationem, nempe actionem, & consequenter aliter se habet intrinsecè, nunc, quam prius, & ideo dicitur moueri ad talem formam, quod non est negandum, &c.

Dices. Si sic, ergo quodlibet agẽs esset patiens; sequela patet; nam reciperet aliquid de nouo, quod prius non habebat, &c.

Resp. Neg. sequelam; nam non omnis receptio est in prædicamento passionis, sed solum illa, quæ respicit agens;

agens; receptio verò prout respicit formam, potius est in prædicamento habitus; potentia receptiua non conuertitur semper cum potentia passiua, sed tantum illa, quæ est ad passionem, seu respicit agens, &c. Ad aliud primi argumenti dicimus, negando sequelam, nam efficiens non attingit effectum media causatione, tanquam ratione agendi, sed immediatè per suam essentiam, ideò non sequitur, quod si actio est in agente, etiam terminus est in agente, quia potest aliquid referri relatione sibi inexistente ad terminum separatum, &c.

Obyc. quinto. De ratione actionis transeuntis est, quod prodeat ab agente, & transeat in passum, ergo actio est in passo, & non in agente, &c.

Resp. Dist. antecedens, actio acta concedo; actio pro respectu nego; nam actio pro respectu resultat in agente, tanquam principium formale denominandi, non producendi, quia nō est medium quo agens producit, ideo, &c.

Obyc. sexto. Si actio esset subiectiuè in agente, tunc idem agens esset prius, & posterius, prius, quia producit actionem, posterius, quia agens esset formaliter agēs per actionem inhærentem sibi, & sic diceretur posterius ipsa actione, nam principium est prius principiato, ergo, &c.

Resp. Dist. sequelam in diuerso genere, concedo; in eodem genere, nego; nam nullum est inconueniens, subiectum esse prius forma denominante in genere causæ materialis, & posterius ea in genere causæ formalis; paries enim est prior albedine, & est posterior ea, quatenus albus, &c.

Obyc. septimò. Actio idem est, ac passio, sed passio est in mobili, seu in passo, ergo, &c. mai. prob. nam actiua, & passiua non differunt secundum rem significatam, sed solum secundum terminationem vocis; nam eadem visio denominat potentiam visiuam, & obiectum visum, ergo similiter eadem actio denominat agens, & passum, &c.

Resp. Neg. mai. ad prob. dicimus, quod visio non est actio physica, sed grammaticalis, sicut eius terminus nō dicitur passum physicè, sed grammaticaliter; ideò est dispar ratio de visione, & de actione transeunte propriè dicta, &c. Grammatici enim, quia non exactè distinguunt formalitates rerum, ideò eodem modo loquuntur de actione propriè dicta, sicut de actione immanente, seu grammaticali; Philosophi verò distinguunt actionem physicam, seu transeuntem, ab actione grammaticali, ideò, &c.

Not. Actio triplex est, prima productiua, quæ est producentis ad productum; secunda inductiua, vel eductiua, quæ est ad terminum inductū, vel eductum. Tertia transmutatiua, quæ est ad ipsum subiectum transmutatum; duæ primæ actiones pertinent ad prædicamentum relationis, quia sunt intrinsecus aduenientes; tertia actio pertinet ad prædicamentum actionis, quia est extrinsecus adueniens, &c.

QVAESTIO III.

An inter Agens, & Passum; seu inter causam, & effectum mediet aliqua actio?

ACtio dupliciter consideratur; primò pro actione de genere actionis, quæ est entitas respectiua. Secundò pro actione, quæ est ratio formalis agendi, quæ est entitas absoluta; pro qua sit, &c.

Prima Concl. Probabile est, inter agens, & passum, seu inter causam, & effectum mediare actionem de genere actionis; probatur solutione argumentorum, nam si

Obijc. primò. Nullus respectus ponitur, nisi posito fundamento, & termino, sed actio est respectus, ergo præsupponit fundamentum, & terminum, & consequenter non mediat inter causam, & effectum, &c.

Resp. Dist. mai. si est respectus in esse quieto, concedo; si in fieri, & influxu, nego; nam respectus in fieri est prior suo termino, saltem prioritate naturæ, & sic mediat, &c.

Obijc. secundò. Prius est, quod ignis producat calorem, quam per calorē transmutat subiectum, ergo prius est calor productus, quam transmutatio subiecti, quæ est actio, &c.

Resp. Concedendo totum argumentum; nam hic sunt duæ actiones scilicet actio productiua caloris, & transmutatiua subiecti; prima actio præcedit calorem productum; secunda præcedit subiectum transmutatum; itaque sufficit, vt quælibet actio præcedat suum terminum, non terminum alterius actionis, &c.

Obijc. tertiò. Inter Deum creantem, & creaturam creatam nulla, mediat relatio de nouo, aliter Deus mutaretur, ergo inter agens, & patiens, seu inter causam, & effectum nulla mediat actio, &c.

Resp. Dist. antecedens nulla mediat relatio realis de nouo, concedo; rationis, nego; nam Deus non creat per realem actum de nouo, sed per eandem volitionem, qua voluit ab æterno; dicitur tamen creare de nouo per relationem rationis, quę dicitur mediare.

Secunda Concl. Probabilius est non mediare actionem de genere actionis; probatur solutione argumentorum, cum æquè benè soluantur; nam si.

Obijc. primò. Voluntas (ex Scoto q.4. Prol.) elicit praxim mediante elicitione de genere actionis, ergo inter causam, & effectum, mediat actio de genere actionis.

Resp. Dist. antecedens, mediante elicitione, quæ est ratio formalis agēdi, concedo; quæ est actio de genere actionis, nego; nam voluntas elicit praxim ex Scoto media elicitione, quæ est ratio formalis agendi, & fundamentum actionis de genere actionis, & hoc modo explicatur Scotus in tali loco, &c.

Obijc. secundò. Vera est talis propositio agens actione agit, & causalitate causat, ergo mediat inter agens, &

& passum, causam, & causatum, &c.

Resp. Dist. antecedens, actione, quæ est ratio formalis agendi, concedo; quæ est actio de genere actionis, nego; nam tantum mediat ratio formalis, quæ dicitur actio largo modo, vel si intelligatur de actione propriè dicta de genere actionis, tunc dicimus quod ille ablatiuus (actione, causalitate) non denotat formam in genere causæ formalis, sed in ratione formæ denominantis, vt in hac propositione, simile similitudine est simile, nam similitudo est ratio, & forma denominans, non verò formalis formaliter faciens simile, sed talis ratio est qualitas, quia illa dicuntur similia, quæ cōueniunt in eadem qualitate, &c.

Dices. Contra primam responsionem, ratio formalis agendi æquè est in agente, siue agens producat, siuè non producat, ergo præter actionem, quæ est ratio formalis agendi, debet mediare alia actio, mediante qua agens dicatur agere, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam actio, qua agens dicitur formaliter agens, resultat ex positione causæ, & effectus, ideò non mediat, &c. ideò vera est illa Scoti decantata propositio: ad absolutum in causa immediatè sequitur absolutum in effectu, absque eo, quod ponatur aliquod medians distinctum à forma, qua causa causat, &c. vt ignis producendo ignem (vltra ipsum ignem, vt quod, & ratione formalem ipsius, vt quo) non indiget aliqua entitate absoluta, vel respectiua, quæ inter se habeant ad absolutū in effectu producto; vt melius percipiatur in hoc casu sunt notanda ista instantia; nam in primo instanti est ignis cum sua virtute actiua, siue productiua; in secundo est ignis productus; in tertio ignis productus refertur ad ignem producentem, in quarto insurgit respectus in igne producente ad ignem productum, &c.

Dices. Quare agens modo dicitur agens, & non prius, si prius habebat totum id, quod modo habet, erg. &c.

Resp. Quod agens modo agit, quia passum est modo approximatum sibi, & ipsum agens non est impeditum, & ideò in ratione agendi nihil aliud requiritur nisi ipsum agens, & ratio agendi, &c.

Quæritur. An actio, & passio sint formæ absolutæ, vel respectiuæ?

Resp. Quod sunt formæ respectiuæ formaliter loquendo; contra aliquos afferentes, ipsas esse formas absolutas; probatur, nam si actio v.g. esset forma absoluta, ergo ad actionem esset actio; sequela patet, quia ad omne absolutum posset esse actio, ex 5. Phys. &c. patet etiam vt supra, quod actio, & passio sint respectus, & constituunt diuersa prædicamenta ab absolutis, ergo, &c.

Dices. Quod non est de prædicamento ad aliquid, necessariò est ad aliquid aliud, præter habitudines, sed actio, & passio non sunt de prædicamento ad aliquid, vt patet, ergo, &c. sed præter respectus non dantur, nisi formæ absolutæ, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. necessariò est ad aliquid aliud absolutum præter habitudines intrinsecas, & extrinsecas, cōce-

cedo; præter habitudines tantum intrinsecas, nego; nam actio, & passio sunt habitudines extrinsecæ, ideò est dist. etiam min. subsumpta, de duplici habitudine, & præter has habitudines non datur aliquod, nisi absolutũ, &c.

DISPVTATIO III.

De Infinito.

Quæritur. Quid est Infinitum?

Resp. Est id, cuius secundum quantitatẽ accipientibus, semper est aliquid extra accipere; ità Arist. t. 63. sed cui infinito conueniat hæc definitio, est dubium, ideò sunt præmittendæ diuisiones ipsius infiniti, &c.

Prima diuiditur in infinitum pro significato nominis, & in infinitum pro substrato; primum dicitur illud, quod caret terminis, & limitibus; secundum est illud positiuum connotatum, quod caret illis terminis, & limitibus, &c.

Secunda diuisio, infinitum pro substrato diuiditur in infinitum in actu, & in potentia, seù in infinitum cathegorematicum, & syncathegorematicum; primum est, quod actu existit sine terminis; secundum est, quod existit sine terminis in potentia, tamẽ actu habet terminos, &c. seù primum est illud, cuius omnes partes sunt actu simul existentes; secundum est illud, cuius partes non sunt actu simul existentes, sed partim in actu, & partim in potentia, &c.

Ex his colligitur, prædictam definitionem non conuenire infinito cathegorematico, sed syncathegorematico; patet, nam sicut illud infinitum desumptum à Philosopho vt supra habet esse in fieri, & in potentia, ita habet rationem partis, & non totius, habet rationem incompleti, & imperfecti, sed hæc non possunt intelligi de infinito cathegorematico, quia hoc infinitum est positum secundum omnes suas partes, ergo intelligitur de infinito syncathegorematico, quia hoc infinitum non ponitur in actu secundum omnes suas partes, & dicitur habere rationem partis, & incompleti, quia semper fieri potest additio, &c.

Tertia diuisio. Infinitum diuiditur in infinitum secundum essentiam, seù extra genus, & est illud, quod continet omnes perfectiones possibiles omnium rerum, vt Deus, &c. & infinitum non secundum essentiam, & in genere, vt esset substantia creata in

in genere substantiæ si daretur, quantitas in genere quantitatis, &c.

Quarta diuisio est in infinitum secundum intentionem, seu gradualitatem; vt esset qualitas infinita, si daretur, vt albedo infinitè intẽsa: & infinitum secundum extentionem, siue hæc extentio sit discreta, siue continua; infinitum secundum extentionẽ discretam dicitur infinitum secundũ multitudinem, vt numerus infinitus; infinitum secundum extentionem continuam, dicitur infinitum secundum magnitudinem, vt linea infinita, &c.

QVAESTIO I.

An naturaliter possit dari infinitum in actu?

QVæstio non est de infinito syncathegorematico, seu in potẽtia, cum hoc sit certum, tum in magnitudine, tum in multitudine, sed de infinito cathegorematico, & in actu; sensus quæstionis est, an detur de facto aliqua magnitudo, aut entitas creata, cui nihil restat accipiendum ab externo, sed in se ità gaudeat interminabilitate, vt absolutè possit dici infinita, his positis sit, &c.

Concl. neg. Ita Arist. à tex. 40. vsque ad 55. contra antiquos Philosophos, est Scoti in 2. & 11. Met. prob. quod est in rerum natura est factum à Deo, & à natura propter aliquem finem, quia Deus, & natura non agũt frustrà, sed si daretur hoc infinitum non referetur ad aliquem finem, quia tunc non esset infinitum, ergo, &c.

Secundo. Si daretur infinita magnitudo actu, aut esset extra vniuersum, aut intra, sed neutrum istorum, ergo, &c. min. patet, nam non primum, quia esset nihil; nec secundum, quia vniuersum est finitum, vt probat Arist. lib. de Cælo. Item hoc infinitum vel esset animatum, vel inanimatum; non primum, quia quodlibet animatum habet terminum magnitudinis, & paruitatis; nec secundum, quia vel esset sub Cælo, vel supra Cælum; non secundum, quia huius non est assignabilis aliqua causa naturalis, nec primum, quia tunc clauderetur terminis, quod est contra rationem infiniti, ergo, &c.

Tertio. Si daretur numerus infinitus, non esset extra vniuersum, quia extra illud nihil est, nec intra, quia numerus non potest esse absque rebus numeratis, quæ cum essent infinitæ non possent esse in vniuerso finito, ergo, &c.

Obijc. primò. Finitas, & infinitas sunt passiones quantitatis, sed datur quantitas finita, ergo similiter infinita, &c.

Resp. Distin. secundam partem mai. infinitas in potentia est passio quantitatis, concedo; in actu, nego; nam, &c. vel secundo infinitas est passio quantitatis ex suppositione .s. si daretur infinitas in actu non esset in alio genere, nisi in quantitate, &c.

Dices. Si vnum contrarium inuenitur in rerum natura, etiã & aliud, ergo si datur finitum, debet etiam dari

ri infinitum, quod eſt eius oppoſitum,&c.

Reſp. Diſt. antecedens, ſi ambo extrema ſunt poſſibilia, concedo; ſi vnum eſt poſſibile, & aliud non eſt poſſibile, nego; nam etiam plenum, & vacuum opponuntur, & tamen non ſequitur, quod ſi daretur plenum, ergo debet dari vacuum, quia ſi daretur, tunc deſtrueret naturam vniuerſi; ita dicendum de infinito,&c.

Obijc. ſecundò. Datur infinitum in potentia naturaliter, vt ſupponitur, ergo ſimiliter in actu; conſequentia ſequitur, nam fruſtra eſt illa potentia, quæ non reducitur ad actum, ergo, &c.

Reſp. Neg. conſequentiam, ad prob. diſt. antecedens, ſi potentia eſt reducibilis, concedo; ſi non, nego, nã in caſu talis potentia non eſt reducibilis, &c. Item illa potentia reducitur ad actum, quando reducitur ad actũ perfectum, & non imperfectum; nã ſi daretur tale infinitum in actu non perficeret naturam, ſed potius deſtrueret ipſam naturam, vt dictum eſt, &c.

Obijc. tertio. In quolibet continuo ſunt infinitæ partes proportionales, ſed tales partes non ſunt nihil, ſed aliquid, ergo ſunt actualiter infinitæ ſecundum multitudinem, & conſequẽter datur infinitum in actu ſecundum multitudinem. Imò quia cum quælibet pars habeat aliqualem quantitatem, ſequitur, quod conſtituat infinitum ſecundum magnitudinem; ſequela patet, nam ex infinitis non cõſtituitur niſi infinitum, ergo, &c.

Reſp. Neg. conſequentiam, nam tales partes proportionales, licet ſint infinitæ, tamen, quia ſunt indiuiſæ inter ſe, ſequitur, quod non conſtituant actualiter infinitum numerum; ſeu ſecundum multitudinem, quia de ratione numeri eſt habere partes actu diuiſas, ideo, &c. Ad aliud nego ſequelam, nam tales partes, cum ſint proportionales, & communicantes, non efficiunt infinitam magnitudinem, quia ſic non habent certã quantatem, ſed per communicationem recipiunt quantitatem confuſam inter ſe inuicẽ, quod non ſufficit ad actualem infinitatem; nam ad infinitum ſecundum magnitudinem requiritur certa quantitas cuiuslibet partis, quod non eſt ſic in caſu, &c.

Obijc. quartò. Ex Ariſt. libro de Cælo, mundus eſt æternus, ergo infiniti dies præceſſerunt, & conſequenter infinitum ſecundum multitudinẽ. Item animæ rationales ſunt immortales ſecundum veritatem, ergo cum mundus ex Ariſt. fuerit æternus, erũt etiam actu infinitæ animæ rationales, &c.

Reſp. Diſt. vltimam conſequentiã; infinitum ſecundum multitudinem in potentia, concedo; in actu, nego; nam ex infinitate dierum tantum ſequitur dari infinitum in potentia, &c. Ad aliud per idem reſp. nam numerus ipſarum animarum non eſt ſimpliciter infinitus in actu, quia infinitum in actu illud dicitur, cui non poteſt fieri additio, ſed quia iſtis animabus ſemper fit additio, &c. ideò non eſt

est simpliciter in actu numerus infinitus, &c.

Obijc. quinto. In anima rationali sunt infiniti gradus perfectionis, ergo datur infinitum in actu secundum intensionem; antecedens prob. nam anima rationalis superat in dignitate omnes species brutorum, etiam possibiles, sed tales species sunt infinitæ, quia non tot dari possunt, quin etiam plures per potentiam Diuinam, ergo homo includit infinitos gradus perfectionis, vt superet omnes illas species in dignitate, &c.

Resp. Neg. antecedens, ad probat. dicimus, quod homo non superat in dignitate omnes illas species per tot gradus, quot species possibiles, quasi quod exuperat vnam, vno gradu, & aliam alio gradu, & infinitas infinitis gradibus, sed illas omnes superat per vnum gradum eminentiorem, nempè per gradum ratiocinandi, &c.

Quæritur. An detur infinitum in potentia, seu syncathegorematicum?

Resp. Aff. nam ex Arist. mundus est æternus, ergo sunt infiniti dies, & anni. Item omnis magnitudo est diuisibilis in infinitum; item est augumentabilis in infinitum per partes proportionales; item numerus semper potest recipere additionem, sed hoc est esse infinitum in potentia, ergo, &c.

Dices. Potentia debet reduci ad actum, aliter esset frustra, ergo si daretur infinitum in potentia, datur quoque infinitum in actu, quod est falsum, vt supra, &c.

Resp. Dist. antecedens, ad actum proportionatum, concedo; improportionatum, nego; nam quædam potentiæ ordinantur ad actum completum, & perfectum, cuius esse est permanens, & totum simul, vt homo est in potentia ad suum actum, vel formam, quæ est permanens, & tota simul; quædam potentiæ respiciunt solum actum imperfectum, cuius esse nunquam est completum, vel simul, & hoc modo se habet infinitum in potentia, vt dum continuum diuiditur, semper fit actualis diuisio, & acceptio alicuius partis, sed nunquam tota simul, aliter non esset infinitum, &c. Itaque potentia non respicit indifferentèr quemlibet actum, sed tantum sibi proportionatum, &c.

QVAESTIO II.

An per Diuinam potentiam saltem possit dari infinitum in actu?

PRima Concl. Non potest dari aliqua creatura infinita secundum essentiam; est communis tàm Philosophis, quàm Theologis, tamen aliqui admittunt (vt Auersa) esse possibile infinitum in perfectione essentiali, & specifica, probatur repugnat infinitum esse componibile, sed si daretur talis creatura infinita secundum essentiam esset componibilis, quia poneretur in genere, cum omne ens creatum sit in genere, ergo, &c. mai. patet, nam infinitum si esset componibile, tunc non esset infinitum;

hæc sequela patet, quia aliqua pars ipsius careret perfectione, cum totũ sit perfectius suis partibus. Item talis Creatura esset Deus, quia haberet perfectionem essentialem sine terminis, & cum tota plenitudine essendi, & esset ens per essentiam,& non per participationẽ, &c. Item vt est Creatura esset ab alio,& consequenter careret tali perfectione, &c. Item ipsa Creatura non distaret à Deo, patet, quia si distaret in perfectione, tunc supra ipsam posset creari alia perfectior, & consequenter non infinita, &c.

Secunda Concl. Nec potest dari infinitum in actu secundum magnitudinem; est Scoti in 2. dist. 1. q. 5. cõtra Occham, Gregorium, & quamplures alios; probatur, implicat vnũ infinitum esse maius altero, sed si daretur tale infinitum, tunc vnum infinitum esset maius altero, ergo,&c. mai. patet, quia tunc non esset infinitum, nam infinitum maius diceret excessum, infinitũ minus diceret defectum, sed non potest intelligi excessus vnius, & defectus alterius sine limitatione deficientis, ergo non potest dari vnum infinitum maius altero; min. priori argumenti patet, nam tota linea v. g. esset infinita, & quælibet pars etiam esset infinita, quia ex finitis non componitur nisi finitum, sed totum est maius sua parte, ergo tota linea infinita esset maior sua parte infinita, & consequenter vnum infinitum esset maius altero, &c.

Resp. Quod illa propositio, omne totum est maius sua parte est vera in rebus finitis, seu in magnitudine finita; non autem in magnitudine infinita; sed

Contra non est maior ratio cur pars finita totius finiti sit minor suo toto, quam pars infinita totius infiniti; nam ideò totum finitum est maius parte finita, quia in toto finito, præter partem finitam est aliquod aliud, sed etiam in toto infinito præter partem infinitam esset aliquod aliud, ergo non est maior ratio, cur pars finita sit minor suo toto finito, quam pars infinita sit minor suo toto infinito, &c.

Secundo. Si datur tale infinitum, v.g. corpus infinitæ molis, tunc illud esset immobile, quia occuparet omnem locum, sed hoc est falsum, quia esset contra rationem corporis, ergo, &c. Item si Deus posset producere nouum tale infinitum, posset etiam plura, & consequenter infinities infinita, quod inconuenit, ergo, &c.

Tertia Concl. Nec secundum multitudinem, est Scoti vbi supra contra prædictos Auctores; probatur; si daretur multitudo actu infinita v.g. hominum, tunc aliqua multitudo esset maior multitudine infinita hominum, sed hoc est falsum, vt patet, ergo, &c. Sequela mai. patet, nam multitudo digitorum est maior multitudine hominum, ergò si daretur multitudo infinita hominum, tunc aliqua multitudo esset maior multitudine infinita hominum; idem dicendum de multitudine capillorum, &c.

Se-

Secundo. Si sic, ergo pars æquabitur toto, quod inconuenit; sequela prob. nam dato numero infinito, & quod Deus subtraheret ab eo decē vnitates, tunc peto de residuo, vel est finitum, vel infinitum; si finitum, ergo totus numerus esset finitus; si infinitum, ergo cum illud residuum sit pars numeri æquabitur toto, quod inconuenit, &c.

Tertio. Sic suadetur; si Deus creasset infinitos homines, quorum singuli habeant singulos aureos, & eos congregat in vnum cumulum, deinde ex illo cumulo reddat singulis decem aureos; tūc quæro, vel illi aurei sufficerent, vel non; si primum, ergo singuli habentes singulos aureos, possent decem, vel plures aureos recipere nullo de nouo producto, quod implicat; si secundum, ergo terminabunt, & consequenter non essent infiniti, &c.

Quarta Concl. Nec secundum intensionem; prob. nam data tali qualitate infinitè intēsa gradualiter, idest secundum gradus, aut Deus posset producere alios gradus de nouo, aut non; si secundum, ergo Deus non esset omnipotens, quia eius potentia esset exhausta, &c. si primum, ergo priores gradus non essent infiniti, &c.

Secundo. Si in igne v.g. esset leuitas infinita, tunc ignis moueretur sursum, & non moueretur, sed hoc implicat, ergo, &c. Sequela mai. patet, nam moueretur sursum, quia est corpus naturale; non moueretur, quia inter ipsum, & locum, ad quem moueretur, in instanti perueniret; patet, nam corpus habens maiorem leuitatem, velocius mouetur, & breui mora spatium conficit, ergo, si in igne esset infinita leuitas, infinita velocitate moueretur, & consequenter in vno instanti pertransiret spatium, quod est contra rationem motus localis; sic dicendum de grauitate respectu lapidis, &c.

Obijc. primo. Contra primam concl. si Deus per impossibile ageret ad extra necessitate naturæ, seu naturaliter, produceret tale infinitum, quia ageret secundum vltimum sui posse, ergo idem nunc facere posset, quamuis liberè agat; consequentia sequitur, nam omnipotentia Dei non esset maior, si ageret naturaliter, quam modò, dum agit liberè, &c.

Resp. Neg. antecedens, ad prob. dicimus, quod ageret secundum vltimum sui posse, respectu rerum factibilium, & possibilium; non verò respectu rerum impossibilium, vt esset Creatura infinita, cum repugnet dari talem Creaturam infinitam, vt dictum est supra, &c.

Dices. Infinitæ potentiæ respondet infinitus effectus, sed potentia Dei est infinita cathegorematicè, ergo, &c. mai. patet, nam inter causā, & effectum debet esse proportio, &c.

Resp. Dist. mai. infinitæ potentiæ respondet infinitus actus, quoad substantiā rei productæ, nego; quoad modum producendi, concedo; nam sufficit tantum, quod Diuinæ potentiæ respondeat effectus productus quoadmodum, nempè ex nihilo independenter à quacunque alia causa;

vel secundo dicimus, quod effectus proportionatus tali potentiæ sufficit, vt sit infinitus negatiuè, vt est illa successiua inexhausta productio plurium, & plurium specierum possibilium; nec ob id ipsa potentia Dei debet dici finita in infinitũ, sicut obiectum ipsum possibile; quia defectus non est ex parte eius, sed ex parte rei, quod repugnat, vt sit infinita; ad prob. mai. dicimus, quod inter causam, & effectum sufficit proportio non repugnantiæ, idest, quod effectus possit produci, non verò requiritur proportio in perfectione, & in entitate, &c.

Obijc. secundò. Si daretur calor infinitus, tunc posset producere calorem infinitum, ergo cum Deus sit infinitus, potuit producere infinitũ, consequentia sequitur, nam calor, quia non potest nunc producere infinitum, ideo est finitus, ergo pari ratione si Deus non posset producere infinitum, sequitur, quod esset finitus, quod non est dicendum, &c.

Resp. Neg. consequentiam, ad prob. neg. paritatem, quia si daretur vnus calor infinitus, etiam esset possibilis alius calor infinitus, cum non sit maior ratio de vno, quam de altero; non sic dicendum in casu, quia Deus licet sit infinitus, tamen infinitas repugnat Creaturis, vt supra; itaque repugnantia non est ex parte Dei, sed ex parte Creaturæ, cum qua non potest coniungi infinitas, potest tamen Deus producere infinitum in potentia, scilicet plura, & plura in infinitum, &c.

Dices. Potentia intellectiua v. g. Michaelis potest efficere plures, & plures intellectiones in infinitum, sed ex hoc non sequitur, quod eius potentia sit infinita, ergo ex hoc, quod Deus potest producere plura in infinitum, non debeat dici infinitus, &c.

Resp. Quod omnipotentia Dei nõ dicitur infinita ex hoc præcisè, quod potest producere plura, & plura in infinitum, sed ex eo, quod producit ex nihilo, & independenter à quacũque alia causa; non sic dicendum de Michaele, quia dependenter agit à subiecto, & à Deo.

Obijc. tertio. Vnio hypostatica cum persona Diuina est infinitæ excellentiæ; opus Christi erat infiniti valoris; peccatum dicitur esse infinitæ grauitatis, quia est offensa Dei infinitè digni; visio beatifica est etiã infinitæ excellentiæ, quia clarè attingit Deum, ergo, &c.

Resp. Quod omnia ista sunt physicè finita; moraliter tantum videntur infinita, quatenus contrahunt quandam infinitam dignitatem, & excellentiam secundum moralem existimationem, quæ infinitas etiam in genere moris non habet propriè rationem infinitatis potentiæ, sed potius cuiusdam summitatis, & excellentiæ in certo genere; idem de peccato dicendum est, quia contrahit quandam summitatem in genere mali; idem de visione Beatifica, nam ratione obiecti habet quandam summitatem in genere visionis, sed non propterea est intrinsecè infinita in essentia.

Obijc.

Obijc. quarto. Possibilis est species impressa distinctè repræsentans Diuinam essentiam, sed talis species esset infinita in genere repræsentantis, cum non possit dari perfectior illa, ergo, &c.

Resp. Neg. min. quia eam repræsentaret finito modo, & non quantum repræsentabilis est.

Dices. Ex Scoto in 2. d. 3. q. 10. litt. T. species est perfectior, quo est perfectioris obiecti, sed obiectum in casu est infinitum, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam talis calculatio virtutis supra virtutem non infert infinitatem in specie, sed tantum quandam summitatem, & excellentiam in serie specierum, quia cum species ex sua natura semper deficiat ab obiecto, calculatio procedit, & crescit secundum proportionem, non verò ad æqualitatem, &c.

Obijc. quinto. Substantia in infinitum distat ab infima specie in genere accidentis, ergo sicut ex infinita distantia Dei à creatura arguimus in Deo perfectionem infinitam, in qua fundatur talis distantia infinita, sic etiam in proposito dicendum est, &c.

Resp. Neg. paritatem, quia distantia Dei est simpliciter infinita, quia fundatur in entitate eminentèr continente omnes perfectiones creaturarum possibilium, sed distantia, qua substantia differt ab infima specie accidentium est distantia tantum secundum quid infinita, quæ fundatur in excellentia gradus superioris rationis & ordinis, quam nunquam attingere possunt res inferiores, & quia non continet eminenter perfectiones omnes accidentium, sequitur, quod non dicitur simpliciter infinita, sicut est Deus, qui continet eminenter omnes perfectiones creaturarum possibilium, &c.

Obijc. sexto. Contra secundam Conclus. Deus si sua omnipotentia produceret magnitudinem, quantum potest; tunc peto, vel talis magnitudo esset finita, vel infinita; non primum, quia Deus potest supra quodcunque finitum; si secundum, ergo habetur propositum, &c. Item Deus potest virgam latitudinis digitalis diuidere in partes proportionales, & vnam addere alteri secundum eandem dimensionem, sed in hoc casu esset quantitas infinita constans ex partibus digitalibus infinitis secundum longitudinem, ergo, &c.

Resp. Quod in tali casu, illa magnitudo esset tantum infinita in potentia, quia obiectum omnipotentiæ Dei non est ita certum, & determinatum, vt possit simul accipi, & vna productione produci, sed sicut ex sua natura est indeterminatum, & confusum, ita successiuè solum produci potest; imo ratio quidditatiua infiniti syncathegorematici (quale est obiectum omnipotentiæ Dei) consistit in successione, &c.

Ad aliud dicimus negando assumptum in antecedente, nam Deus non potest diuidere continuum secundũ omnes suas proportionales partes simul, sed tantum successiuè; ita dicendum, quod nec etiam potest vnam vnire alteri ad constituendum corpus in-

infinitæ longitudinis, nisi successiuè, &c.

Obiic. septimò. Vnum infinitum in potentia potest esse maius altero, ergo ex eo, quod vnum infinitum in actu esset maius altero, non benè infertur, ipsum esse impossibile; antecedens probatur, nam Deus videt cogitationes futuras vnius Angeli esse pauciores cogitationibus futuris omnium Angelorum, sed illæ vnius Angeli sunt finitæ in infinitum, & illæ omnium Angelorum similiter, ergo vnum infinitum in potentia est maius altero, &c.

Resp. Dist. antecedens, secundum partem, concedo; secundum totum, nego; nam totum infinitum, siue in actu, siue in potentia non est maius altero, quia non est sic comparabile; Infinitum verò in potentia potest cōparari alteri secundum partem, vt patet in prob. illius antecedentis, nam plures erunt cogitationes positæ ab omnibus Angelis simul, quam ab vno, & hoc nihil aliud est, quam vnū infinitum in potentia secundum partem, quæ ponitur, semper est maius altero accepto, scilicet secundum partem, quæ similiter ponitur in esse; non tamen videt Deus vnum infinitum syncathegorematicum, vt vnum totum collectum ex omnibus suis partibus, s. actualibus, & potentialibus, esse maius altero infinito in potentia eodem modo accepto, &c.

Dices. Si vnum infinitum in potentia non esset maius altero, tunc sequeretur, quantitatem v.g. palmarem habere totidem partes, quod habet bipalmaris, sed hoc est falsum, quia quantitas maior habet plures partes, ergo, &c.

Resp. Dist. sequelam mai. habere totidem partem proportionales, concedo; æquales, nego; nam quantitas maior habet plures partes æquales, non verò proportionales, &c.

Obiic. octauò. Contra tertiam concl. Deus potest in quolibet instanti vnius horæ creare vnum Angelum, & illum conseruare, sed in hora sunt infinita instantia, ergo completa hora infiniti Angeli erunt creati, &c. Item continuum potest diuidi à Deo simul in omnes eius partes, quia cum possit diuidere singulas partes continui, & non magis hanc, quam illam, ergo poterit omnes, sed in continuo sunt infinitæ partes proportionales, ergo peracta diuisione continui habebimus infinitum in actu, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam fit transitus à sensu distributiuo ad collectiuum, quia potest Deus distributiuè in hoc, vel illo instanti creare vnum Angelum, sed non in omnibus collectiuè, distributiuè, idest in singulis instantibus seorsim acceptis, collectiuè, idest in omnibus instantibus simul sumptis; nam sicut non possūt omnia instantia collectiuè accepta assignari, quia tunc continuum diuideretur in indiuisibilia, quod est falsum, quia continuum diuiditur in partes, quæ sunt etiam diuisibiles, ita non potest Deus in omnibus illis instantibus, collectiuè sumptis creare tot Angelos, aliter omnia instantia simul assignarentur, nam ad instans

non

non sequitur aliud instans, sed tempus; ideò omnia instantia simul sumi non possunt. Ad aliud per idem resp. nam potest etiam in hoc instanti diuidere in continuo hanc, & illam partem distributiuè, sed non omnes collectiuè, &c.

Obijc. nono. Deus potest producere quicquid est producibile, sed quicquid est producibile non est finitum, ergo infinitum; min. patet, nam si esset finitum, tunc Deus (vltrà illud) nihil posset simpliciter facere, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam arguitur à producibili distributiuè; ad producibile collectiuè; maior enim est vera in hoc sensu, Deus potest producere quicquid est producibile, & eo modo, quo est producibile, modo producibile non est producibile totum simul collectiuè acceptum, sed tantum distributiuè, seu successiuè; ideò non sequitur, Deum posse producere simul quicquid est producibile, quia arguitur à producibile distributiuè, ad collectiuè.

Dices. Possibili posito in esse nullum sequitur absurdum, ergo si ponatur inesse quicquid est producibile nullum sequitur absurdum, &c.

Resp. Dist. antecedens, possibili posito in esse eo modo, quo est possibile, nullum sequitur absurdum, concedo; si ponatur inesse alio modo, nego; nam producibile non est ità producibile, vt totum simul produci posit, sed ità est producibile, vt semper illius remaneat producendũ, &c.

Dices. Deus creat tot homines, quot eius omnipotentia potest creare, tunc vel illi homines erunt finiti vel infiniti, non finiti, quia tunc sequeretur esse aliquem certum, & determinatum numerum hominum, quo plures non posset creare, si secundum, ergo habetur propositũ, &c.

Resp. Neg. suppositum, quia implicat, omnes simul creare collectiuè vt supra, &c.

Obijc. decimo. Quicquid rerum permanentium Deus potest facere successiuè, potest facere simul, & in instanti, sed Deus potest creare successiuè infinitos homines, ergo, &c. mai. patet, nam existentiæ rerum permanentium non habent repugnantiã ad inuicem, sicut res successiuè, ergo quicquid rerum permanentiũ Deus potest facere successiuè, potuit etiam simul, &c. Item repugnantia non est ex parte rerum, quia natura specifica non habet sibi numerum determinatum, & certum indiuiduorum, &c.

Resp. Dist. mai. si non adest repugnantia, concedo; si adest repugnantia, nego; nam in tali casu est repugnantia ex parte rerum, quæ nõ possunt fieri simul in eodem instanti. Ad id de specie dicimus, quòd licet species non determinat certum numerum indiuiduorum, vt posset esse in illis, non tamen actu, & simul, sed potentia, & successiuè, &c.

Dices. Non repugnat, duos, & plures homines creari simul, ergo non repugnabit infinitos homines possibiles creari simul, & consequenter non repugnat dari infinitum in actu, &c.

Resp.

Resp. Neg. consequentiam; nam repugnantia est, quia duo contradictoria verificantur de eodem; nimirũ, quod vnum infinitum esset maius altero, æquale, & inæquale; ex eo enim quod vnum infinitum esset pars alterius deberet esse minus suo toto, & inæquale, ex eo quod est infinitum deberet esse æquale, aliter excederetur, & consequenter haberet terminos, ergo idem infinitum esset maius, & non maius, æquale, & inæquale, &c.

Obijc. vndecimo. Intellectus Diuinus non est perfectior, quam voluntas Diuina, sed intellectus Diuinus cognoscit infinitum, ergo voluntas Diuina potest facere infinitum, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam si argumentum aliquid probaret, tunc posset facere alium Deum, quia intelligit seipsum, quod est inconueniens, &c. quare ex eo, quod non potest facere infinitum, non arguitur defectus in Diuina omnipotentia, quia tale infinitum est impossibile.

Dices. Deus cognoscit infinitum, ergo infinitum est possibile; antecedens patet, nam Deus cognoscit omnia possibilia, sed illa non sunt finita, ergo, &c. consequentia sequitur, quia Deus cognoscit omne ens, quod est cognoscibile, & per consequens possibile, ergo si cognoscit infinitum, tunc infinitum est possibile, &c.

Resp. Dist. antecedens, Deus cognoscit infinitum, quod est ipsemet Deus, concedo; aliud infinitum præter ipsum Deum nego, nam aliud infinitum non datur, vt supra, cum dicitur in probatione possibilia cognita à Deo sunt infinita, dist. in actu, nego; in potentia, concedo; nam Deus cognoscendo omnia possibilia cognoscit ea eo modo, quo sunt possibilia .s. infinita in potentia, &c.

Dices. Infinitum in potentia est, cuius partes, sunt partim in actu, & partim in potentia, sed res possibiles in mente diuina non sunt huiusmodi, quia Deus vnico actu cognoscit omne cognoscibile, itaut nihil sit ad quod vlterius possit extendi eius cognitio, ergo, &c.

Resp. Dist. min. respectu cognitionis Diuinæ, concedo; respectu sui, nego; nam tempus in mente cognoscẽtis habet esse successiuum, quia sic est ex sua ratione; tamen cognoscens non cognoscit successiuè ipsum tempus ita dicendum in casu. Item ex eo quod aliqua simul existant in mente Dei non benè infertur, quod simul possint existere à parte rei, quia omnes diuisiones possibiles cõtinui, partes temporis, motus, simul sunt in mente Dei, tamen simul non possunt esse à parte rei; ità dicendum in casu, &c.

Obijc. duodecimo. Contra quartam concl. Christus de facto habuit gratiam infinitam, ergo datur infinitum in actu secundum intensionem; antecedens patet ex illo Ioannis 3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritũ filio; & ratio est, quia se extendit ad iustificandos infinitos homines; Item si finita esset, tunc gratia alicuius creaturæ posset tantum crescere, vt pertingeret ad intensionem gratiæ Christi

sti Domini, &c.

Resp. Neg. antecedens, ad prob. dicimus, quod illi fuit collata gratia sine mensura, quatenus tantam gratiam habuit, quātam omnes creaturæ præteritæ, præsentes, & futuræ nunquam habere poterunt ex lege ordinaria; Itaque gratia Christi fuit finita in genere physico, solet tamen dici infinita, quatenus est gratia capitis; ad aliud dicimus, quod alia creatura per potentiam Dei absolutam potuerit habere gratiam habitualem maiorem, quam Christus habuerit, tamen quoad modum, gratia Christi semper excedit quamcunque gratiam possibilem, quia hæc est gratia capitis; & etiam quia habuit eam inamissibiliter, quia non fuit purus viator, sed etiam comprehensor. Item eam habuit, vt filius naturalis, & pura creatura haberet illam, vt filius adoptiuus, &c.

Quæritur. An continuum possit diuidi in infinitum?

Resp. Aff. in partes proportionales; negatiuè in partes æquales; primum patet, nam continuum non potest resolui in indiuisibilia, sicut neque ex illis componitur, ergo est diuisibile in partes diuisibiles in infinitum, ex quibus componitur; itē proprietas quantitatis continuæ est esse diuisibile, sed quælibet pars quantitatis est cōtinua, ergo, &c.

Secundum etiam patet, nam continuum nō constat ex partibus æqualibus infinitis, aliter daretur infinitum in actu, ergo non erit diuisibile secūdum tales partes; Item quodlibet finitum consumitur per ablationem partis sæpius repetitæ, ergo, &c.

Dices. Impossibile est, continuum esse actu diuisum in infinitum, ergo impossibile est, ipsum posse diuidi in infinitum; sequela sequitur, nā quod est impossibile factum esse, ipsum est impossibile fieri, ex 1. Cæli, ergo, &c.

Resp. Neg. sequelam, ad prob. dicimus, quod illa propositio debet intelligi eodem modo, nempè quod est impossibile fieri, eodem modo impossibile est factum esse, & è contra, & tunc sequitur solum, quod sicut continuum non potest simul actu esse diuisum, sic nō potest simul actu diuidi in infinitum, &c.

Finis Tertij Libri.

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

In hoc 4. lib. Arist. agit de Loco, Vacuo, & Tempore, & secundum hunc ordinem tres ponimus Disputationes, &c.

DISPVTATIO I.

De Loco.

QVAESTIO I.

Quid sit Locus.

SVPPONIMVS in hac Quæstione cum cõmuni consensu Philosophorum, dari locum in rerum natura, quia quæ sunt (omnes existimant) alicubi esse, quæ vero non sunt (vt chimera) nullibi esse; item supponimus, locum esse quid diuersum ab ipsis corporibus, quæ mouentur; vt patet experientia ex translatione corporum; nam videmus, eundem locum nunc ab aqua, postea ab aere occupari, quod repugnaret, si locus non esset quid diuersum à corporibus locatis; quæritur tantum quid sit locus; pro qua sit.

Prima Concl. Locus non est spatium, seu illud interuallum, quod est inter latera continentis, quod sit verum ens reale diuisibile secundum trinam dimensionem; est contra antiquos Philosophos, quos sequitur Philoponus in 4. Phys. in digressione de loco; prob. nam tale spatium non datur, ergo nec locus potest esse illud spatium; antecedens patet, nam dato tali spatio, tunc naturaliter daretur penetratio, quod est falsum; sequela patet, quia simul esset illud spatiũ diuisibile secundum trinam dimensionem, & corpus diuisibile similiter hoc

hoc modo. Item non esset ratio, cur potius diceremus illud spatium continere locatum, quam contineri à locato, quia simul essent, & mutatio se penetrarent. Item accidens esset naturaliter sine subiecto, quia illa trina dimensio, quæ (vt ipsi dicunt) est spatium, non esset in corpore locante, vt patet, nec in locato, quia duæ trinæ dimensiones numero distinctæ non possunt esse in eodem subiecto, &c.

Secunda Concl. Nec est illud spatium imaginarium, quod sola mente fit, longum, latum, & profundum; est contra aliquos, quos refert Auic. lib. 2. sufficientiæ c. 6. prob. nam dato hoc, tunc corpora non erunt in loco, nec fiet motus, nisi dependenter à nostra imaginatione, quod est falsum; nam videmus, quod lapis descendit, ignis ascendit, & sunt in loco, quamuis homines nihil cogitent de his, vel de huiusmodi spatio, &c.

Tertia Concl. Nec situs, seu positio partiũ locati ad partes loci; prob. nam possunt multiplicari positiones, non multiplicato loco, ergo locus nõ est positio; antecedens patet; nam si Deus poneret multa corpora in eodem loco, tunc sicut sunt plura corpora, ita etiam erunt plures positiones, & locus esset vnus, ergo, &c. Item positioni non conueniunt munera, & attributa loci, ergo locus non consistit in situ; antecedens patet; nam locus est in locante, & extrinsecus rei locatæ, positio verò est in locato; locus continet locatum, & est ei æquale; positio verò non est sic, ergo, &c.

Quarta Concl. Locus est vltimum corporis continentis immobile primum; seu (vt Latini legunt) est terminus primus continentis immobilis; ita Arist. t. 41. est cõmunis omnibus Philosophis; prob. illud solum dicitur locus, quod est præcisè continẽs, sed huiusmodi est vltimum corporis continentis, idest vltima superficies corporis continentis, ergo, &c. dicitur primum idest immediatum, quia immediatè continet locatum, &c.

Not. Ex Scoto in 2. d. 2. q. 6. quod illud continens in hac definitione est indiuisibile, quia non quæcunque superficies locantis est locus, sed tantum vltima: Item illud esse vltimũ, est quid extrinsecum loco, idest non competit loco, vt locus est, seu vt cõtinens est, quia si daretur superficies separata à corpore, ipsa per se esset locus, & contineret locatum, sicut modo, & tamen non esset vltima corporis continentis, ergo ista vltimatas est extrinseca loco, &c. quæstio est de loco pro materiali, &c.

Obijc. primò. Contra primam, & secundam concl. datur spatium, quod est distinctum à corpore locato, ergo locus erit illud spatium; consequentia sequitur, quia si concedatur spatium, quod corpora recipiat, nihil aliud potest conuenientius poni pro loco; antecedens patet experientia; nam non potest vnum corpus egredi à loco, quin intret alterum, & hoc ne detur spatium vacuum; ergo datur hoc spatium, &c.

Resp. Neg. antecedens, ad prob. dicimus, quod illud spatium non est aliud à corporibus contentis, vt patet in vasibus habentibus latera debilia, nempe in vtri pleno aqua; nam egrediente aqua; latera vteris iunguntur, quod si spatium illud inter latera esset aliquid, tunc extrema vtris non iungerentur; sed manerent, sicut manent latera in vasibus habētibus latera fortiora, vt patet in bombarda, &c.

Dices, Quæ est causa illius experientiæ.

Resp. Est ordo vniuersi, qui exigit, vt vno corpore egrediente, aliud conatur ingredi; si autem aliud corpus non poterit ingredi, tunc latera franguntur, si sunt fortia, & hoc quia corpora colligata non manent, &c.

Obijc. secundo. Verè concipimus illam distantiam inter latera continētis nullo concepto corpore, ergo illa distantia, seu illud spatium verè datur, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam licet intelligatur illa distantia, non intellecto corpore abstractione præcisiua, tamen ex hoc non sequitur, illam distantiam esse absque corpore contento; modus enim arguendi à præcisione ad diuisionem est falsus; nam Mathematicus intelligit superficiem, non intelligendo corpus, ergo superficies est in rerum natura absque corpore, quod est falsum, ideo, &c.

Obijc. tertio. Contra tertiam cōclusionem; illa sunt eadem essentialiter, quæ habent easdem differentias, sed differentiæ positionis sunt etiā differentiæ loci; nam sursum, & deorsum sunt differentiæ loci, & positionis, imo per positionem conueniunt loco, nam ille locus dicitur sursum, quia appropinquat Cælo, & ille deorsum, qui appropinquat centro, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod tales differentiæ .s. sursum, & deorsum accidunt loco, quia si Deus destrueret centrum, & Cælum, & columna maneret circumdata eodem aere, verè diceretur esse in loco, & concauum aeris esset propriè locus illius, tamen non esset nec sursum, nec deorsum, quia ex hypotesi non esset nec Cælum, nec centrum, penes quæ locus dicitur sursum, & deorsum, &c.

Obijc. quartò. Contra quartam concl. locus habet trinam dimensionem, sed superficies non habet trinam dimensionem, ergo, &c. mai. patet, nam locus est æqualis locato, ergo cum locatum habeat trinam dimensionem, etiam locus, &c.

Resp. Neg. mai. ad prob. dist. antecedens, est æqualis locato æqualitate continentiæ, concedo; æqualitate dimensionis, nego; nam sicut locus ratione vltimæ superficiei corporis continentis immediatè continet corpus locatum, ita corpus locatum secundum vltimam superficiem immediatè continetur, & sic æquali cōmensuratione commensurantur, &c.

Obijc. quinto. Si corpus esset in vacuo, non haberet superficiem ambientem, sed ibi esset in loco, ergo

locus

locus non est vltima superficies corporis continentis,&c.

Resp. Dist.min. esset in loco reali, nego; imaginario, concedo; nam corpus si esset in vacuo, esset tantum in loco imaginario, quatenus ambiretur superficie imaginaria, tamen ibi non esset in loco reali, quia ista est formaliter relatio prædicamentalis, quæ non posset consurgere ex defectu superficiei, quæ est eius fundamentum,&c.

Obijc. sexto. Superficies potest moueri saltem per accidens ad motum corporis,cuius est superficies,sed locus est omninò immobilis,ergo locus non est superficies,&c.

Resp. Dist,min. locus pro formali, concedo; pro materiali, nego; nam locus pro formali est omninò immobilis, vt infra; pro materiali verò, potest moueri saltem per accidens,&c.

QVAESTIO II.

Quænam est ratio formalis loci?

LOcus est nomen concretum (quamuis substantiuè appellatur) constitutum ex superficie, tanquam ex subiecto,& continentia actiua,tanquam ex forma; nam valet dicere ignis est locus aeris, aer est locus aquæ; quod si esset nomen abstractum, iam tales propositiones essent falsæ; hæc continentia est relatio extrinsecus adueniens locantis ad locatum,idest,est vbi actiuum; vndè talis definitio non datur per genus, & differentiam, sed per subiectum, & formam accidentalem, scilicet per superficiem,& continentiam; pro qua sit.

Concl. Locus formaliter, & in recto, non dicit superficiem, sed continentiam; pro materiali tantum dicit superficiem, idest locus formaliter, est respectus, seù continentia, materialiter est superficies; est Scoti in 2. d. 2. q. 6. & quolib. 11. contra Thomistas sustinentes, locum formaliter,& essentialiter esse superficiem, & appellari immobilem in respectu ad Cælestes distantias. Prob. prima pars, nam nomen concretum non prædicatur in recto de significato formali, vt patet, sed locus formaliter, & in recto prædicatur de superficie, vt dicendo superficies aeris est locus aquę, ergo superficies non est significatum formale loci.

Item significatum formale alicuius nominis concreti est sufficiens ratio denominandi subiectum tale; sed superficies non est huiusmodi, nam si Deus annihilaret corpora intermedia inter orbem Lunæ; iam esset superficies concaua,& non esset locus, ergo, &c. Secunda pars patet, nam locus non potest esse, nec intelligi sine tali continentia,ergo formaliter locus dicit talem continentiam; antecedens patet, nam locus dicitur alicuius locati locus; Item non dicitur locus, nisi actualiter locet,& contineat,ergo,&c

Obijc. primo. Superficies ponitur in recto in definitione loci; continentia in obliquo, ergo superficies est principale significatum loci, & continen-

nentiæ connotatum, &c.

Resp. Neg. antecedens, nam illa prædicatio, locus est superficies, est materialis, & sensus est, locus est relatio continentiæ fundata in superficie; & ita vniuersaliter explicantur definitiones concretorum, cum per subiectum definiuntur, &c. nam Aristoteles definiuit locum per superficiē tanquam per eius materiale; & hoc nō est mirum, quia inter Philosophos erat tantum difficultas in assignando rationem materialem non formalem, quia omnibus erat notum, locum debere continere; ideò de hac ratione formali nunquam Arist. dedit definitionem, &c.

Obijc. secundò. Locus debet esse æqualis locato, sed continentia dicit maioritatem respectu locati, ergo locus non est formaliter continentia; minor patet, nam continens est maius contento, quia si ambo essent æqualia, non esset ratio, cur vnum potius esset continens, quam alterum, ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ad prob. dicimus dist. antecedens, continens est maius contento secundum superficiem cōuexam, concedo; secundum superficiem ambientem, nego, nam, &c. vel secundo continens est maius contento quoad extensionem dimensionis, concedo, quoad rationem continentiæ, nego; nam, &c.

Obijc. tertiò. Locus formaliter est immobilis, & per ipsam distinguitur à quocunque alio, ergo immobilitas est ratio formalis loci, & non continentia; consequentia sequitur, nam ratio formalis dicitur illa, per quam res vltimo distinguitur ab alijs, cum idem sit principium distinctiuum, & constitutiuum; Item superficies vt continens est conuenit vasi, vestibus, & similibus, & per immobilitatem distinguitur ab omnibus his, ergo potius immobilitas est ratio formalis loci, quam continentia, &c.

Resp. Dist. antecedens, locus per immobilitatem distinguitur tanquam per aliquod requisitum necessario, concedo; tanquam per rationem formalem, nego; nam connotatiua differunt inter se per id, quod cōnotatur, non per id, quod primo significatur, vt patet inductiuè, priuatio enim differt à negatione, per hoc quod est in subiecto apto, nec propterea dicimus, aptitudinem esse rationem formalem & principale significatum priuationis, quia differt tantum à negatione ratione connotati, &c. sic dicendum in proposito, ad hoc, vt superficies continens dicatur locus, necessariò requiritur immobilitas, & sine ea non dicitur locus, sed vas; idcircò immobilitas non debet iudicari eius ratio, & eius essentialis differentia, sed tantum connotatum omninò requisitum ad hoc, vt dicatur locus, &c. vas enim, & locus non differunt essentialiter, & in principali significato, sed tantum ratione connotati, &c.

QVAE-

QVAESTIO III.

In quo prædicamento sit locus?

CONCL. Locus pro materiali ponitur in prædicamento quantitatis, pro formali in prædicamento vbi; prob. prima pars. Locus pro materiali, est superficies, vt dictum est, sed ipsa est in prædicamento quantitatis, ergo, &c. Secunda pars etiam patet, nam illa circumscriptio actiua, seù illa continentia actiua, quæ formaliter est locus est in aliquo genere determinato, sed in nullo alio genere est, nisi in vbi, ergo, &c. Item locus formaliter est vbi actiuum, quia est respectus locantis ad locatum, sicut vbi passiuum est respectus locati ad locans, sed vbi actiuum, & passiuum sunt species subalternæ ad vbi in cōmuni, quod est genus generalissimū, ergo, &c.

Obijc. primo. Locus est distinctus à superficie, ergo non ponitur in eo prædicamento, in quo superficies; antecedens patet, nam superficies est mensura intrinseca, locus est mensura extrinseca, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens, loquendo de loco pro materiali, ad prob. dicimus, quod esse mēsuram extrinsecā, & intrinsecam est quid accidentale quantitati extra eius rationem, nam superficies vt est in proprio subiecto dicitur mensura intrinseca, vt est in alieno subiecto, dicitur mensura extrinseca; modo esse in proprio, & alieno subiecto non variat rationem formalem, sicut etiam linea, quæ existit in corpore Petri, dicitur mensura ei intrinseca, & linea, quæ existit in eo loco, in quo Petrus circumscribitur est ipsi Petro mensura extrinseca; & non sunt duæ lineæ essentialiter distinctæ, ita nec locus, & superficies, &c.

Obijc. secundò. Ex Arist. cap. de quantitate enumeratur locus, vt distinguitur à superficie, ergo, &c. Item partes loci terminantur sicut partes locati, ex Arist. cap. de quantitate; sed partes locati terminantur ad superficiem, ergo similiter partes loci; & consequenter locus non est superficies, etiam pro materiali, &c.

Resp. Dist. antecedens, secundum mentem aliorum, concedo; secundum mentem propriam, nego; nam ibi nō determinat quid sit locus secundum mentem propriam, tamen hoc facit in hoc 4. Phys. &c. Ad aliud dicimus, quod ibi loquitur ad mentem illorū, qui definiebant locum, dicendo, locus est æqualis locato, quæ tamen definitio improbatur in hoc 4. Phys. &c.

Quæritur primò. Quænam sunt attributa, seù proprietates loci?

Resp. Quod sunt plures. Prima proprietas vt locus contineat locatū; secunda vt locus sit æqualis locato; tertia vt sit separabilis à locato; quarta vt sit terminus motus localis; quinta vt sit immobilis; sexta vt habeat differentias positionum, scilicet sursū, & deorsum, &c. septima vt attrahat locatum; octaua vt habeat vim gene-

nerandi, & conferuandi, &c. ità Arist. t. 30. &c.

Quæritur secundo. Quomodo intelligũtur istæ proprietates, seù attributa loci?

Resp. Quod prima sic intelligitur, nempè quod locus contineat locatũ; *s.* quod circumscribat ipsum; vndè non continentia est proprietas loci, quia est ratio formalis, sed modus cõtinendi, &c. secunda vt sit æqualis locato secundum continentiam, idest sit æqualis secundum longitudinem, & latitudinem, non verò secundum profunditatem, quia tunc locus penetraretur cum locato, &c. tertia vt sit separabilis à locato distributiuè, non collectiuè, naturaliter loquendo, quia tunc daretur vacuum naturaliter, nã diuersa corpora recipiunt in eadem superficie concaua succeßiuè, nempè vnum post aliud, &c. quarta vt sit terminus motus localis, scilicet extrinsecus, quia terminus intrinsecus est vbi, &c. quinta vt sit immobilis, scilicet immobilitate opposita motui locali, vt melius infra explicabitur, &c. sexta vt habeat differentias positionum, scilicet sursum, & deorsum, & hoc intelligitur de loco naturali grauium, & leuium, quia corporibus leuibus assignatur locus sursum, grauibus deorsum, &c. & tales differentiæ positionis sunt accidentales loco, &c. septima vt attrahat locatum, nõ quod locus imprimat aliquam qualitatem locato, vt ipsum attrahat, qua ratione magnes trahit ferrum, membra trahunt elementum, sed potius in genere causæ finalis, quatenus locatum tendit in illum ex inclinatione, tanquam ad sibi bonum; octaua vt habeat vim conseruandi, non quod ipsa superficies conseruet locatum, sed ratione corporis, quod est præditum qualitatibus conseruatiuis locati, vt aer respectu auium, aqua respectu piscium, &c.

Notandum, quod locus proprius est qui præcisè continet locatum, sic quod præter locatum non continet aliud corpus, quod non sit pars illius locati, locus communis est, qui continet illud locatum, & cum hoc aliud locatum, vt Cælum est locus cõmunis terræ, aeris, ignis, & cum eis continet alia corpora, &c.

QVAESTIO IV.

Qua ratione locus dicitur immobilis?

PRima Concl. Locus non dicitur immobilis ratione illius distantiæ, seù ordinis, quem habet locus per respectum ad centrum, & polos mũdi; est contra Thomistas sustinentes, locum esse immobilem, quatenus dicit distantiam quamdam à partibus fixis mundi, idest à polis, circa quos cælum mouetur, & à centro terræ, & sic quamuis superficies aeris mutetur circa turrim, tamen quia superficies, quæ succedit retinet eandem distantiam, & ordinem à partibus fixis mũdi, sicut præcedens, tunc turris dicitur permanere in eodem loco; itaque secundum hanc sententiam locus erit im-

immobilis, quia distantia, & ordo illius à partibus fixis mundi non mutatur, &c.

Prob. concl. Polis, & centro non existentibus, tamen conseruatis aere, & homine, verè esset in aere, tanquā in loco, quia illa superficies verè contineret hominem; sed illa esset immobilis, quia esset locus, ergo cum tunc non esset ille ordo, & illa distantia, ex illo ordine non potest desumi immobilitas loci, &c.

Item quiescente eadem columna numero in aere si per diuinam potentiam mundus moueatur versus vnam differentiam positionis, nempe versus Antipodes, quod rarefiet, aut condensetur, tunc in tali casu maneret columna loco immota, sed talis ordo, seu distantia ad centrum, & polos variaretur; ergo locus non consistit in tali ordine, seu distantia, &c.

Sic dicerent, quod talis columna in tali casu retineret eandem positionē ad puncta immaginaria; sed

Contra. Talia puncta sunt ficta ab intellectu, sed locus est verus, & realis, ergo locus non potest constitui penès ea puncta, &c.

Secunda Concl. Locus formaliter dicitur immobilis immobilitate opposita motui locali, tam per se, quam per accidens, dicitur tamen mobilis corruptiuè, est Scoti in 2. d. 2. q. 6. vbi duo dicit, primo; locum esse immobilem immobilitate opposita motui locali, ita vt nec per se, nec per accidens potest moueri de loco ad locum; secundo locum esse incorruptibilem secundum speciem, seu secundum æquiualentiam, quatenus illi loco succedit alius eiusdē speciei, &c. prob. concl. locus formaliter consistit in illa relatione circumscriptionis actiuæ locantis ad locatum, quæ esse non potest sine superficie, quæ est eius fundamentum, & sine locato, quod est eius terminus, ergo quiescente locato, licet corpus ambiens moueatur, & superficies varietur; tamen illæ circumscriptiones, nec per se, nec per accidens mouebuntur, sed desinunt esse, sic etiam quiescente ambiente, etiam si corpus locatum moueatur, circumscriptiones tamen non mouebuntur motu corporis locati, sed desinunt esse, quia aliquando carent termino, aliquando fundamento, ergo locus formaliter non mouebitur, &c.

Secundò. Si locus esset mobilis secundum locum, aut moueretur per se, aut per accidens, sed neutro modo; ergo, &c. min. patet; nam non mouetur per se, quia tale mobile est corpus; nec per accidens, quia tunc saltem per accidens esset in loco, & consequenter loco possumus assignare alium locum, & alium, in infinitum, & ita daretur processus in infinitum, quod est falsum; nam si locus v.g. recederet à loco deorsum, & aliū locum sibi acquireret, puta sursum, tunc quæro de illo loco, à quo recessit, vel potest moueri localiter, vel non, si primum, ergo erit in alio loco, & sic de illo alio erit eadem petitio, &c. Si secundum, ergo nec prior locus erit mobilis, cum non sit maior ratio de vno, quam de altero, &c.

 Obijc.

Obijc. primò. Contra secundam concl. superficies verè mouetur, ergo verè locus mouetur; consequentia sequitur.

Resp. Dist. antecedens; superficies mouetur vt accidens ad motum corporis, concedo; vt locus formaliter, & vt continens, nego; nam locus dicitur mobilis tantum corruptiuè, &c.

Obijc. secundò. Turris existens in aqua, quæ continuo fluit, semper manet in eodem loco, sed locus ille ambiens turrim .i. superficies aquæ continuo mouetur, quia semper aqua fluit, ergo locus semper formaliter mouetur, &c. & consequenter non est immobilis, &c.

Resp. Dist. mai. manet in eodem loco numero, nego; per æquiualentiam, concedo; nam illi loco succedit alius locus eiusdem speciei; quoniam inter illum locum priorem, & hunc posteriorem subsequentē nullum intercedit spatium, videntur esse vnus numero locus; & ratio huius apparentiæ est, quia motus localis est ad duo vbi diuersa, inter quæ intercedit spatium, & quia inter hæc duo vbi non intercedit spatium, non potest in his fieri motus localis, & consequenter videtur vnum vbi, & vnus locus numero, &c.

Vnde ad motum localem non sufficit varietas loci numeralis, quia hæc potest esse sine spatio intercepto inter vnum, & alium locum, sed necessario requiritur diuersitas specifica, quæ acquiritur ex spatio intercepto, &c. & sic absolutè est dicendum, turrim manere in eodem loco, quamuis variatur superficies circa ipsam, quia ad hoc vt turris mutaret locum exigeretur vt acquireret superficies diuersas specie, quod esse nequit sine spatio intercepto, &c.

Obijc. tertiò. Res potest localiter moueri, & retinere eundem locum, ergo locus formaliter non est omninò immobilis, & sic mobilis localiter; antecedens patet, nam ponatur cymba decurrens per Tiberim versus Romam, & quod continuò ambiatur eisdem partibus aquæ, cum Romam peruenit adhuc dicetur esse in eodem loco, quia retineret eandem superficiem, sed ibi esset verè motus localis, ergo, &c. Idem dicendum de vase aquæ hinc, illuc translato, &c.

Resp. Neg. antecedens, ad prob. dicimus, quod cymba dum Romam peruenerit, non dicitur esse in eodem loco, quia talis superficies immediatè circumdans ipsam cymbam non habet rationem loci, sed vasis; erit in diuerso loco ratione totius constituti ex aqua currente, & cymba; idem dicendum de aqua in vase translato ex vno in alium locum; sic etiam quæuis vestis ambiens corpus non habet rationem loci, quia ille, qui est vestitus secum defert vestes, &c.

QVAESTIO V.

Quænam sunt illa, quæ sunt in loco.

Aliquod esse in loco stat 2. vel definitiuè, vel circumscriptiuè;

uè; esse in loco definitiuè, est ita esse ibi, quod non alibi, licet non sit commensuratio locati ad locans, sed totum locatum potest esse in toto loco, & totum in qualibet parte; circumscriptiuè est non solum ita esse ibi, quod non alibi, sicut vbi definitiuum, sed etiam commensuratur loco, itaut singulæ partes locati respõdent singulis partibus loci, & vbi est vna, non est alia, scilicet totum locatum est in toto loco, & pars in parte, & facit distare latera corporis continentis. Notandum, quod nullum corpus petit ab intrinseco esse in loco actualiter; quia Deus potest facere lapidem absque eo, quod existat corpus locans, quia posset illum facere extra vniuersum, & sic non esset in loco, haberet tamen potentiam passiuam, vt possit esse in loco; quæritur igitur solum, quæ nam sunt illa, quibus saltem per accidens, & actualiter conueniat esse in loco; his positis sit, &c.

Prima Concl. Deus Opt. Max. nec definitiuè, nec circumscriptiuè est in loco; patet, nam Deus per suam immensitatem est vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam, ergo, &c. Item non est hic, vt non alibi, quod exigit præsentia definitiua, nec facit distare latera continentis, quod exposcit præsentia circumscriptiua, &c.

Secunda Concl. Angeli, & ceteræ creaturæ spirituales non sunt in loco circumscriptiuè, sed tantum definitiuè, prima pars patet; nam Angeli, & creaturæ spirituales nõ habent partes, & partes, quæ possunt correspondere partibus loci, cum sint indiuisibiles, nec faciunt distare latera continentis, cum sint incorporei, ergo non sunt in loco circumscriptiuè, &c.

Secunda. Pars etiam patet, nam Angeli, & creaturæ spirituales ob suã finitatem, ita sunt hic, quod non ibi, vt ab alijs (extra suam spheram) distant, ergo, &c. consequentia sequitur, quia hoc exigit præsentia definitiua, &c.

Tertia Concl. Omnis creatura corporea affecta quantitate tam sublunaris, quam cælestis est in loco circumscriptiuè; prob. nam quodlibet corpus quantũ, siue quantitatiuè extensum habet partes correspondentes partibus loci, & facit distare latera continentis, vt patet experientia, sed hoc exposcit præsentia circumscriptiua, ergo, &c. loquendo naturaliter, nam supernaturaliter potest aliquod corpus quantum esse in loco, non circumscriptiuè, vt patet, de corpore Christi in sanctissimo Sacramẽto Altaris, licet enim sit quantum, tamen ibi caret actuali extensione, &c.

Quarta Concl. Materia prima, seu substantia materialis si per Diuinam potentiam separetur à quantitate, non esset in loco circumscriptiuè, sed tantum definitiuè; patet, nam non faceret distare latera continentis, nec partes essent extensæ, vt possint respondere partibus loci, ergo, &c. Secunda pars etiam patet, nam taliter esset hic, quod non alibi, sed hoc exigit præsentia definitiua, ergo, &c.

Dices. Talis substantia materialis (seclusa quantitate) habet partes entitatiuas, sed illæ partes corresponderent partibus ambientibus superficiei, ergo esset in loco circumscriptiuè.

Resp. Dist. mai. habet partes entitatiuas extensas, nego; extendibiles, concedo; nam licet illæ partes possent extendi, tamen quia actu non sunt extensæ, quod est effectus proprius quantitatis, nec facerent distare latera continentis, sequitur, quod non esset in loco circumscriptiuo, sed definitiuo, &c.

Quinta Concl. Elementa propriè sunt in loco naturali; quia habent certum, & determinatum locum, vt locus terræ est aqua, locus aquæ est aer, locus aeris est ignis, locus ignis est cælum, & ad illa mouentur propius viribus, & ibi quiescunt, & conseruantur; animalia vero, & mixta non habent locum proprium naturalem, nisi communem, quo pacto locus piscium est aqua, locus animalium est aer, vel terra, &c. patet ex t. 46. &c.

Dices. Locus debet continere locatum, sed aqua nõ continet terram, quia magna pars terræ inuenitur non cooperta aquis, ergo, &c.

Resp. Quod si Elementa essent dimissa in suis proprijs naturis, tunc terra contineretur ab aqua, nunc vero propter salutem viuentium, terra non est tota cooperta aquis, &a.

Dices. Terra potius dicitur locus aquæ, quam è contra, ergo, &c. antecedens patet, nam videmus aquam extensam super terram; item aqua in visceribus terræ generatur, & conseruatur, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens, ad prob. dicimus, quod aqua expansa super terram intrat in terram, ne sit dare vacuum. Ad confirmationem per idem respondetur, nam in terra sunt multi pori pleni aere, & quia aer inclinatur ascendere sursum, & ideo generatur aqua in illis poris, ne detur vacuum, &c.

Quæritur. An aer possit dici locus naturalis terræ, saltem partialis, &c.

Resp. Neg. patet, nam locus naturalis est conueniens, & conseruatiuus locati, sed aer non sic se habet, cum sit ei contrarius in vtraque qualitate, .s. in humiditate, & caliditate; vel possumus dicere cum Commentatore, quod locus terræ habet duplicem virtutem; vnam elementarē, aliam cęlestem sibi influxam à cælo; aer non est locus naturalis terræ penès virtutem elementarum, sed penès virtutem calestem, quatenus per ipsum, illa virtus cælestis influitur in terra, sibi conueniens, & ipsius conseruatiua; nam elementa (vt dicit Comentator) in suis motibus naturalibus magis petunt sua loca naturalia ratione illius virtutis cælestis, quam ratione virtutis elementaris, & ideo terra posita supra aquā, si tendit ad fundum, hoc non est vt contineatur ab aqua, sed vt magis distet à cælo; nam cælum remotè influit virtutem conuenientem grauibus, & sibi propinquè influit virtutem conue-

uenientem leuibus, secundum quas virtutes cælum ordinat illum modũ indifferentem, &c.

QVAESTIO VI.

An vltima sphera sit in loco?

PRæsens quæstio examinatur; quia non solum corpora sublunaria sunt in loco, sed etiam cælestia; nam orbes inferiores continentur à superioribus: difficultas tantum est de vltima sphera, quæ secundum Theologos est cælum Empireum, quod est sedes Beatorum, & secundum Philosophos est primum mobile, apud Theologos non est difficilis resolutio, quia cælum Empireum est immobile, ac firmum; ideò non est tantum necesse, vt sit in loco, sed difficultas est apud Philosophos, qui ponunt pro vltima sphera primum mobile, quod cum maximè mouetur, necessariò debet esse in loco; his positis sit.

Prima Concl. Vltima sphera non est in superficie eius conuexa, tanquã in loco; est contra aliquos. Probatur nam locus est extra locatum, sed illa superficies conuexa non est extra primam spheram, quia est in illa tanquã in subiecto, ergo, &c.

Secunda Concl. Nec est in centro, vt in loco; est contra Auerroem. Probatur, nam nullum continens est in contento, vt in loco, sed vltima sphera est continens, centrum est contentum, ergo, &c.

Tertia Concl. Nec est in loco, ratione partium, est contra Thomistas. Prob. nam locus distinguitur à locato, & est extremum continentis, sed in partibus cæli vna non est distincta ab altera, neque inter illas mediat superficies, quæ dicatur locus sequentis partis, ergo vltima sphera, non est in loco ratione suarum partium; item quod est in aliquo, & non est distinctum ab illo, tunc illud est in illo, vt pars in toto, non vt locatum in loco; ex tex. 34. sed tales partes ab inuicem non sunt diuersæ, ergo sunt in toto cælo, vt pars in toto, non vt corpus in loco, &c.

Quarta Concl. Vltima sphera (quæcunque illa sit) non est in loco; est Sco. q. 11. quol. contra prædictos Auctores; patet primo ex Arist. t. 45. & 46. Prob. ratione, nã vltima sphera non habet corpus extra, à quo ambietur, quia vltima est, ergo non est in loco; consequentia sequitur. Item locus duo munera exercet circa locatum, s. continet, & conseruat, ergo illud potest esse locatum, quod indiget continente, & conseruante, sed vltima sphera non indiget, conseruante, & continente, quia conseruans, & continens est inassumptibile, cum in ordine vniuersi vltima sphera sit primum corpus, ergo nullo modo est in loco, &c. Item nulla adest repugnantia, quod aliquod corpus sit, & non sit in loco, ergo, &c. antecedens patet, nam corpus est prius loco, & realiter ab illo distinguitur, nec essentialiter ab eo dependet, nam si Deus cõ-

ser-

seruaret lapidem, & annihilaret omnia corpora, certè ille lapis erit corpus, & tamen non erit in loco, ergo non repugnat, quod vltima sphera non sit in loco, &c.

Obijc. primo. Contra tertiam conclusionem, ex Arist. tex. 45. cælum licet non sit in loco secundum totum, est tamen in loco secundum partem, ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens, sumpto cælo pro vniuerso, concedo; pro vltima sphera, nego; nam cælum pro vniuerso dicitur esse in loco ratione partiũ, quatenus vna pars vniuersi locatur in alia, vt terra in aqua, aqua in aere, & sic de singulis, & sic omnes partes vniuersi sunt in loco, præter vnam, quæ est supremum cælum, &c. hæc responsio est Commentatoris exponentis hunc textum, &c.

Obijc. secundò. Contra quartam Concl. vltima sphera mouetur localiter, sed illud quod mouetur localiter debet esse in loco, quia moueri localiter est aliter se habere in loco, quàm prius, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. mouetur localiter, quoad locari nego; quoad locare, seu actiuè, concedo; nam vltima sphera non mouetur quoad locari passiuè, quia extra ipsam nullum datur corpus continens, sed mouetur quoad locare actiuè, quatenus nunc aliter locat corpus, quam prius locauerit; & hoc modo intelligitur dictum Auerr. 4. Physi. com. 43. dicentis, cælum esse in loco per centrum, idest cælum voluitur circa centrum, & sic aliter, & aliter locat centrum, &c.

Dices. Annihilato orbe à se contento, non minus mouetur, quam modo, sed in tali casu non haberet vbi actiuum, quia deficeret terminus relationis continentiæ, scilicet locatum, ergo, &c.

Resp. Quod in tali casu non moueretur verè, & propriè, sed imaginariè, aut motu quasi definitiuo, &c.

Obijc. tertiò. Corpora necessariò sunt in loco passiuè, non quia præcisè indigent conseruante, & continente, sed quia corpora sunt, sed vltima sphera verè est corpus, ergo, &c. mai. patet, nam corporeitas est ratio per se essendi in loco, ergo corpora necessariò sunt in loco, quia corpora sunt, &c.

Resp. Neg. mai. ad prob. dist. antecedens, actu, nego; aptitudine, concedo; nam corporeitas, seu dimensio est ratio vt corpus sit aptum essendi in loco, non tamen quod actu sit in loco; sicut albedo est ratio vt album sit simile, non tamen est necesse, vt actu sit simile, sed sufficit aptitudine, ita, &c. primum cælum est locabile aptitudine, scilicet illi non repugnat locari, & hæc potentia, & aptitudo non est physica, sed logica, &c.

QVAESTIO VII.

An duo corpora possint esse in eodem loco?

P*Rima Concl.* Duo corpora viribus naturæ non possunt esse in eodem loco; est communis omnibus Phi-

Philosophis; prob. nam nulla virtus naturalis potest destruere vniuersum, ergo nec potest facere duo corpora esse simul; sequela patet, nam ordo vniuersi in casu est quod corpora habeant definitum locum distinctum ab alijs, aliter vniuersum esset quoddam Chaos. Item penetratio corporum naturaliter non datur, ergo nec duo corpora naturaliter possunt esse simul: consequentia sequitur, nam duo corpora se inuicem penetrari nihil aliud est, nisi simul esse in eodem loco, nam penetrabilitas est suspensio, seu priuatio expulsionis alterius corporis.

Secunda Concl. Duo corpora per diuinam potentiam possunt esse in eodem loco, est Scot. in 4. d. 49. q. 16. D. Bonau. D. Thom. contra Durandum oppositum sustinentem; prob. primo exemplis, quæ habentur in sacra Scriptura, nam Christus exiuit de vtero Virginis sine eius fractione: Item resurrexit clauso sepulchro. Itẽ ingressus est ad Discipulos ianuis clausis. Item ascendendo ad Patrẽ penetrauit Cælos, absque vlla fractura, ergo oportuit pro illo tunc, Christum fuisse cum partibus illorum corporũ, & consequenter duo corpora possunt esse in eodem loco.

Secundo ratione. Quæ habent incompossibilitatem propter oppositionem virtualem possunt esse compossibilia per diuinam potentiam, sed duæ quantitates sunt incompossibiles ob oppositionem virtualẽ, ergo, &c. mai. patet, nam opposita virtualiter non sunt opposita secundum se, sed secundum effectus, vt lumen producens calorem in aere opponitur virtualiter alteri agenti inducenti frigiditatem in eumdẽ aerem, sed Deus potest impedire effectus cuiuscunque creaturæ, vt patet in fornace Babylonis, nam ibi fuit ignis sine combustione, ergo, &c. min. etiam patet, nam duæ dimensiones non repugnant formaliter, quia huiusmodi repugnantia est inter illa, quæ secundum se, & suos effectus opponuntur, & sunt diuersæ speciei, vt inter album, & nigrum, & est respectu eiusdem subiecti informati, sed duæ dimensiones sunt eiusdem speciei, & in duobus subiectis, scilicet corporibus, ergo si repugnant, non repugnant nisi virtualiter, & respectu loci, quia vnum corpus replet vnum locum, quantum ipse locus natus est repleri, ergo aliud corpus opponitur sibi quoad hoc quatenus non potest habere illum effectum in illo loco, & consequenter sunt cõpossibiles in eodem loco per diuinam potentiam.

Tertio. Impossibilitas cur duo corpora quanta non possunt esse in eodem loco, est quia illa requirunt proprium situm seu repletionem, sed Deus potest conseruare quantitatem sine actuali situ, seu repletione ergo, &c. minor patet, nam repletio cum sit effectus quantitatis est posterior, ipsa quantitate, sed Deus potest conseruare prius sine suo posteriori, vt patet de igne in fornace Babylonis; imo potest facere posterius sine priori vt Virginem parere, &c.

Obijc. primò. Contra primam Cõclus.

eius. In ferro ignito est simul ferrum, & ignis, nisi dicamus duas formas esse in eadem materia, quod non potest esse naturaliter, sed ista sunt duo corpora, ergo duo corpora naturaliter possunt esse in eodem loco; mai. patet, nam ferrum ignitum habet propriam actionem ignis, & ferri, vndè si ferrum est acutum, tunc scindit, & ignit, &c.

Resp. Neg. mai. ad prob. dicimus, quod licet ferrum ignitum habeat actionem ferri, & ignis, tamen non sequitur, quod ferrum ignitum sit ignis, nam cum ignis sit corpus subtile, & penetratiuum penetrat poros ferri, & ibi inuenitur.

Dices. Ferrum ignitum habet nimiam caliditatem, non solum in partibus porosis, sed etiam solidis, ergo in partibus solidis reperitur ignis, & consequenter est ignis; consequentia sequitur, quia summa caliditas solum reperitur in igne, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam ferrum est corpus alterabile ab igne, & quia est durum, ideò difficulter recipit illam alterationem, & cum illam recipit, tunc fortiter alteratur in illis qualitatibus, & secundum eas fortiter agit, non tamen ibi est ignis, nam licet ignis sit penetratiuus, tamen nō penetrat solida, sed partes minimas, vbi non est soliditas; sic etiam spiritus animalis dicuntur subtiles, quia se diffundunt per totum corpus per illos poros vbi non est caro solida, non quod simul sint cum carne solida, &c.

Obijc. secundo. Vas plenum cinere tantam aquam recipit, quantam sine cinere, ergo in tali casu necessariò sunt simul duo corpora, & se inuicem penetrantur.

Resp. Dist. antecedens, vas plenū, &c. propter penetrationem aquæ, & cinerum, nego; propter resolutionem aquæ in vapores, & habitus per cinerem factam, concedo, nam vas plenū cinere recipit tantam aquam non quod sit penetratio cineris, & aquæ, sed quia aqua resoluitur in vapores, & habitus, cum qua etiam partes tenuiores cineris exalantur quo fit, vt neotantum remaniet cinerum, quam antea, &c. Vel secundo dicimus, quod in cineribus sunt plures meatus, & poros, in quibus aqua recipitur.

Obijc. tertio. In vase vinum penetrat panem, ergo panis, & vinum sunt simul in eodem loco, antecedens patet, nam humiditas est subiectiuè in pane, quia humiditas est inseparabilis à vino, ergo, &c.

Resp. Neg. antec. nam vinū non est in toto pane, sed in poris, & meatibus panis, nam panis habet partes porosas, & solidas, vinum enim recipitur in parte porosa, non solida; ad prob. dicimus, quod talis humiditas non est in pane, sed in vino circumstante, vt patet de digito posito in aqua qui est humidus humiditate circumstante, quæ non potest separari à suo subiecto, tamen præter istam humiditatem potest digitus aliam humiditatem recipere.

Obijc. quarto. Alimentum antequam conuertatur in alitum oportet vt sit in eodem loco cum alito, sed sunt

sunt duo corpora, ergo, &c. Item elementa manent in qualibet parte mixti. Item humores sunt in qualibet parte corporis, &c.

Resp. Ad primum, quod alimentum est in meatibus, & poris carnis, &c. Ad secundum dicimus, quod elementa manent tantum virtualiter in mixto. Ad tertium dicimus, quod manent, sed non simul.

Obijc. quinto. Ita se habet corpus ad corpus, sicut superficies ad superficiem, sed duæ superficies possunt esse simul, ergo similiter duo corpora; min. patet de superficiebus corporum se tangentium.

Resp. Neg. paritatem, nam superficies cum ex aliqua parte sit indiuisibilis potest esse terminus alterius magnitudinis, non sic corpora, quæ ex omni parte sunt diuisibilia, quare vno ingresso, aliud necessariò debet egredi.

Obijc. sexto. Contra secundam Concl. Impenetrabilitas est inseparabilis à quantitate, cum sit passio eius, sed si duo corpora occuparent eundem locum, tunc vnum penetraret aliud, ergo si repugnat penetratio corporum, repugnabit etiam præsentia eorum in eodem loco.

Resp. Neg. mai. ad prob. dicimus, quod impenetrabilitas actualis est accidens corporis quanti, nõ passio, ideò est dispensabilis à Deo.

Obijc. sept. Stante hac concl. Tunc idẽ depẽderet, & nõ depẽderet, quod implicat, ergo, &c. sequela patet, nã continentia actiua taliter dependeret à duobus corporibus, vt vno corpore deficiente, ipsa continentia etiam remaneret, ergo dependeret, & non dependeret.

Resp. Neg. sequelam, ad prob. dicimus, quod continentia actiua in casu non esset vna, sed duæ, sicut passiuæ, quia multiplicatis terminis, multiplicantur relationes, sed corpora vbicata essent duo; ideò etiam continentiæ actiuæ, & passiuæ; dicuntur autẽ duo corpora in eodem loco non formali, cum ibi sint duæ formales locationes; sed materiali, quatenus duo corpora in eadem numero superficie ambiente continentur, & circumscribuntur.

Obiect. Si sic ergo duæ partes vnius corporis, imò omnes eius partes possẽt esse in loco vnius partis, nẽpè omnes partes hominis in loco pedis; sed hæc est inconueniens, quia tunc pars esset æqualis toto; sequela patet, nam non est maior ratio de corporibus, quam de partibus, quia sicut debentur naturaliter diuersa loca diuersis corporibus, ita distinctis partibus, distinctæ partes loci, &c. Item infinita corpora possent esse in eodem loco.

Resp. Neg. min. subsumptam, ad probat. dicimus, quod non sequitur quod pars sit æqualis toto, quia extensio localis actualis non est de essentia quantitatis, & ita si tales partes absoluantur à repletione loci, possunt esse in eadem parte pedis, & illæ plures partes postulabunt ampliorem extensionem, quam vna pars, totum enim corpus Christi sub speciebus panis est maior in ordine ad se suo digito, &c.

Dices. Partes temporis non possũt se penetrari, ergo nec partes corporis.

Resp. Neg. paritatem, nam si partes temporis se penetrarentur, tunc tempus non esset successiuum, & sic priuaretur sua essentia quod repugnat, ideo &c.

Obijc. nono. Locus continens vnum locatum habet adęquatum terminum suæ continentię, ergo repugnat aliud continere.

Resp. Dist. antecedens habet adęquatum terminum in ordine ad agens naturale concedo, ad agens supernaturale, nego, nam locus continens vnum locatum habet adęquatum terminum secundum magnitudinem, & multitudinem in ordine ad agens naturale, in ordine verò ad agens supernaturale habet adęquatum terminum secundum magnitudinem, non secundum multitudinem.

Dices. Ergo duo corpora essent vnum corpus, quod est falsum; sequela patet, nam sicut punctum si sit cum alio puncto, non distinguitur ab eo, sed sunt vnum ex 7. Phys. sic linea cum linea, superficies cum superficie, ergo corpus cum corpore, & consequenter duo corpora esse vnicum corpus.

Resp. Neg. sequelam, ad probationem dicimus, quod licet Arist. dicat, illa dua puncta facere vnum, hoc dixit, quia puncta cum sint indiuisibilia, si vnum alteri addatur non facit maius; sic etiam duo corpora vt sunt in vno loco non faciunt maius, sed inde non sequitur esse vnum corpus.

Obijc. decimo. Ex Boetio. Varietas accidẽtium facit differentiam in numero, ergo contradictio est quod in eodem loco sint duo corpora, quæ differant numero.

Resp. Neg. consequentiam, nam differentia indiuidui corporis non sumitur à loco, vt patet de vltima sphera, quæ est corpus quantum, & Indiuiduũ, & non est in loco &c. Auctoritas Boetij sic intelligitur, Varietas accidentium facit differentiam in numero, idest ostendit nobis diuersitatem numeralẽ, quia facit nobis innotescere, nam quoad hoc melius facit locus innotescere, quam aliud accidens, quia cognitione naturali non possemus illa duo corpora cognoscere si essent in vno loco.

Quæs. An talia corpora in eodem loco possint adinuicẽ agere, & pati?

Resp. Affir. quia penetratio non tollit modum essendi, nec actiuitatem, vndè si ignis penetraretur cum ligno illud conuerteretur in illud, &c. Penetrabilitas enim duorum corporum nihil aliud est, nisi suspensio, seu priuatio expulsionis localis alterius corporis. Ita Scot. in 4. loco citat. & quol. 11. litt. M. & in 4. d. 10. q. 2. probat vnum corpus posse esse in duobus locis circumscriptiuè, & duo corpora posse contineri circumscriptiuè in eadem numero superficie.

QVAESTIO VIII.

An idem numero corpus possit esse in pluribus locis.

PRima Conclus. Negatiua naturaliter loquendo; patet experientia.

tia, nam vnum corpus quando acquirit de nouo vnum locum, amittit alium, ergo, &c. Item dato opposito tunc ordo vniuersi destrueretur, sequela patet, nam ordo vniuersi exigit, vt quodlibet corpus habeat diffinitum, & distinctum locum. Item non esset ratio cur debeat deserere priorem locum, si simul posset esse in duobus locis, ergo, &c.

Secunda Concl. Idem numero corpus per diuinam potentiam potest esse in pluribus locis definitiuè, & circumscriptiuè, est Scoti in 4. d. 10. q. 2. contra Thomistas quoad secundam partem, nam ipsi dicunt, quod idem numero corpus potest esse in pluribus locis definitiuè, nõ verò circumscriptiuè. Idem sentit D. Bonauentura in 4. d. 44. art. de dote subtilitatis; prob. prima pars. Si esset aliqua repugnantia, vel esset ratione corporis, quod finitum est, vel ratione quantitatis determinantis vnum corpus ad vnum locum, sed ex neutro istorum est repugnatia, ergo, &c. minor prob. non primum, quia vnitas prioris non arguit vnitatem posterioris, nam idem fundamentum potest fundare plures relationes, sed corpus est prius, vbi, est posterius, quia est respectus fundatus in ipso corpore; ergo non implicat cũ vnitate corporis multiplicatio respectus; nec secundum, quia quantitas vnius corporis positi in pluribus locis manet integra, & perfecta, & nullum detrimentum suscipit suæ essentiæ, nam semper illi confert extensionem in qua consistit essentia quantitatis, ergo neque ex parte quantitatis repugnat.

Secunda pars prob. primò ex miraculis Sanctorum, qui simul in duobus locis interfuerunt, vt legitur de D. Ambrosio, & de D. Antonio Patauino. Item ex Vgone de Sacramentis parte 8. cap. 11. Quod fecit vt vnum corpus esset in vno loco fecit quomodo voluit, & si voluisset aliter, facere potuisset. Idem sentit August. lib. 25. de Ciuitate Dei, &c.

Secundo prob. ratione. Si esset aliqua repugnantia, vel esset ex parte essendi in loco circumscriptiuè, qui includit rationem essendi definitiuè s. limitate; vel ex parte ordinis, quẽ corpus dicit ad vnum locum, quatenus locus est adæquatus illi, sed ex nullo istorum est repugnantia, ergo, &c. min. prob. non primum, quia sicut Deus potest expoliare corpus quantum finitum ne existat modo quantitatiuo, ita potest illud expoliare ne existat modo definitiuo: nec secundum, quia talis ordo est relatio fundata in corpore, & terminata ad locum, sed non implicat idem absolutum fundare diuersas relationes ad multos terminos, ergo, &c.

Si dicas. Si Deus expoliaret illud corpus modo definitiuo, tunc illi tribueret modum infinitum, & illimitatum, quod repugnat. Sed

Contra. Corpus Christi est in pluribus hostijs sacramentaliter, nec ob id sequitur, quod sit immensum, & infinitum, ergo nec etiam si Deus expoliaret illud corpus modo definitiuo esset immensum, & infinitum,

quia illud corpus, quod est in potentia passiua ad partes continui in loco, est in potentia obedientiali ad agens infinitum, à quo tot locos potest habere in quot voluit illud collocare.

Obijc. primo. Contra primam concl. ex Thomistis esse in loco circumscriptiuè est ita circumscribi, & definiri in loco, vt extra illum locum, locatum non possit esse, ergo est cōtradictio, quod vnum corpus adæquatè circumscribatur ab vno loco, & simul possit circumscribi ab alio, aliàs iam circumscriberetur, & non circumscriberetur, antecedens patet, quia hæc est ratio circumscriptionis.

Resp. Neg. antecedens, nam de ratione loci non est ita comprehendere, & adæquare locatum, vt extra ipsum locum non possit esse locatū, sed tantum quod locus, & locatum ita se adæquent, vt totum locatum toti loco, & pars parti correspondeat, & hoc etiam habetur si vnum corpus esset in pluribus locis cum in illis locis locaretur adæquatè.

Dices. Locus, & locatum mutuo se adæquant, nam sicut locatum cōmensuratur loco, sic locus locato, ergo locatum non potest dari extra suum locum, aliter excederet suum terminum adæquatum, quod repugnat, &c.

Resp. Dist. antecedens adæquatione magnitudinis, concedo; multitudinis, nego; nam locus, & locatum se adæquant adæquatione magnitudinis, sicut locatum commensuratur loco, sic locus locato, non tamen est necesse, quod se adæquant adæquatione multitudinis, nempe, quot sunt loci, tot corpora; nisi respectu potentiæ naturalis, non verò respectu potentiæ supernaturalis.

Obijc. secundò. Si vnum corpus posset esse circumscriptiuè in pluribus locis, ergo similiter in infinitis, & consequenter erit immensum, quod est proprium Dei.

Resp. Neg. sequelam, quia infinitudo locorum non datur, vel dato, quod esset in infinitis locis, tamen non sequitur, quod esset immensum, sicut Deus; quia hoc non haberet à se, & secundum propriam naturam ideò, &c.

Obijc. tertio. Implicat corpus esse vnum, & nō vnum; sed si esset in pluribus locis esset huiusmodi, quia esset vnum ex suppositione, esset non vnum, quia esset diuisum à se, &c.

Resp. Dist. min. esset non vnū quoad entitatem, nego, quoad accidentia, concedo; nam idem corpus positum in pluribus locis adhuc esset vnum, nec diuisum à se, sed tantum multiplicarentur vbi, seu præsentiæ reales corporis in illis locis, quæ non habent repugnantiam cum vnitione corporis.

Dices. Distaret localiter à se ipso, ergo esset diuisum à se ipso, quod inconuenit.

Resp. Dist. antecedens, secundum entitatem, nego; secundum accidentia, concedo; nam nullum est inconueniens, quod sit idem secundum entitatem, & diuersum secundum accidentia, corpus enim Christi est

in

in pluribus hostijs, quæ maximè distant, ideò, & eodem naturaliter hoc accidit, homo enim quamuis albus differt, & distat à se ipso, vt sub alia potentia.

Obijc. quartò. Si idem corpus posset esse in pluribus locis sequerentur multa absurda; primum tunc idem corpus esset calidum, & frigidum, calidum propter approximationem ad ignem in vno loco, frigidum propter approximationem ad niuem in alio loco; secundum, in vno loco propter intemperiem aeris posset infirmari, in alio vero propter temperiē aeris posset esse sanum; tertium, in vno loco posset habere famem si cibum non inueniret, & in alio verò non, si ibi esset cibus; quartum, in vno esset sursum, & in alio deorsum; quintum, in vno staret, & in alio sederet, & cætera huiusmodi, ergo, &c.

Resp. Neg. sequelam, ad prob. diximus, ad primum, quod talia agentia, vel essent æqualis virtutis in agēdo, aut vnum vinceret alterum; si primum tunc vel non agerent, quia vnum impediret actionem alterius, vel si ageret produceret quendam effectum medium in passum, nec esset calidum, nec frigidum; si secundum si virtus vnius excederet virtutem alterius, tunc illud agens excedens assimilaret simpliciter illud passum eo modo, quo assimilaret si esset in vno vbi. Ad secundum idem est dicendū s. de temperie, & intemperie aeris; ad tertium dicimus, quod si in vno loco satiaretur, & cessaret appetitum cibi, cessaret etiam alibi, licet non ex cibo sumpto ibi, quia cum fames sit quid absolutum (cum sit appetitus cibi, & sieri) natura præcedens vbi ideò illud corpus in pluribus locis, vel esset famelicum, vel satiatum, & non variatur propter variationem vbi, &c. Ad quartum, & quintum dicimus, quod nullū esset inconueniens, quod idem corpus in diuersis locis staret, & sederet, esset sursum, & deorsum, &c.

Not. pro maiori explicatione, quod accidentia in quibus corpus dependet à loco variatur in eodem corpore iuxta varietatem locorum, vt stare, sedere, quiescere, mouere, esse propinquus, & distans, superior, & inferior, sursum, & deorsum, &c. accidentia verò in quibus corpus non dependet à loco non variatur ad varietatem locorum, vt esse frigidum, & calidum, viuere, & mori, damnari, & saluari, &c. Itaque si esset frigidum in vno loco, etiam in alio, si moritur in vno loco, etiam in alio, si saluatur in vno loco, etiam in alio, &c.

Dices. Agens naturale non potest producere effectum suum distans, ergo calefaciens hominem existentem Neapolim, non potest calefacere illum existentem Romæ.

Resp. Neg. consequentiam, nam licet in fieri solum calefaciat Neapolim tamen in facto esse ob identitatem subiecti calor inest eidem homini prout existenti Romæ per resultantiam, & concomitantiam; sicut in hostia consecrata ex vi verborum non ponitur anima simul cum corpore, ponitur tamen per concomitan-

tentiam, ex eo, quod corpus habeat animam sibi vnitam, & ita vbique debet esse cum ea, ita dicendum in casu.

Dices, Ergo idem accidens bis producitur scilicet Romæ, & Neapolis, &c.

Resp. Neg. sequelam, nam idem accidens non reproducitur Romæ, sed potius producitur noua eius præsentia, quod fit ex vi prioris miraculi, non tanquam miraculum nouum, sed tanquam aliquod habens necessariam connexionem cum miraculo, non quia aliqua causa naturalis potuerit per se producere illam secundam præsentiam, & simultaneam, sed quatenus ex suppositione miraculi, quo Deus vnum corpus constituit in duplici loco, eidem corpori immutato contingunt actione agentiũ naturalium, Scot. in 4. loco cit. pro maiori explicatione istius quæstionis assignat tres regulas.

Prima. Quæcunque sunt priora essentialiter ipso vbi, vniformiter insunt corpori habenti tantum vnum vbi, vel plura, nec variabuntur variato ipso vbi; sed quæ sunt posteriora, vel simul natura variãtur ad variationem ipsius vbi; patet, nam prius non variatur ad variationem posterioris, sed posterius bene variatur ad variationem prioris; quæ sunt simul natura cum aliquo, variatur cum illo, &c.

Secunda Regula sicut passum existens in vno vbi posset recipere formam à duobus agentibus sibi ibidem approximatis, sic ipsum in duobus locis existens patietur ab eisdem sibi approximatis in illis duobus vbi, & intelligitur de passione, quæ est ad formam absolutam; prob. nam ad hoc, vt passum patiatur ab agente recipiendo istam formam, non est aliud necesse, nisi quod passum habeat virtutẽ passiuam, & quod agens habeat virtutem actiuam, & quod sint debite approximata, & non impedita, siue fiat approximatio in hoc vbi, siue in illo, non refert ad actionem, quæ est ad formam absolutam, quæ nullum dicit ordinem ad locum, sed posito passo in duobus vbi haberet eandem potentiam passiuam ad formam absolutam, sicut si esset in vno vbi, & agens haberet eandem potentiam actiuam, & eodem modo potest approximari sibi, vt est in isto vbi, sicut in alio, ergo, &c. quantum ad omnem formam absolutam eodem modo patietur ab agente approximato in illo vbi, siue in pluribus.

Tertia Regula sicut corpus existens in vno vbi se haberet in ratione actiui ad diuersa passa sibi approximata in illo vbi, sic ipsum se habet, vt existens in duobus; patet, nam sicut vnus homo existens in vno loco non potest debellare viginti homines, nec etiam si existeret in diuersis locis.

DI-

DISPVTATIO II.

De Vacuo.

VACVVM est priuatio loci, ideò postquã egimus in præcedenti Disputatione de loco nunc verò de eius priuatione erit disputandum.

QVAESTIO I.

An detur vacuum in natura?

Vacuum dupliciter consideratur; scilicet negatiuè, & priuatiuè, vacuum negatiuè est nihil, quia est pura negatio, vt si Deus annihilaret, tam elementa, quam Cælos, tunc esset vacuum negatiuè, quia ibi nullum esset corpus continens, nec contentum; vacuum priuatiuè sumptum est carentia corporis contenti in subiecto apto, vt v.g. si spatium, quod est inter latera corporis continentis esset priuatum omnĩ corpore, tunc illa priuatio verè, & propria diceretur vacuum, itaque vacuũ hoc modo est locus nõ repletus corpore, aptus tamen repleri, & de isto agimus in præsenti, pro qua, &c.

Concl. neg. Naturaliter loquendo; aff. per potentiam diuinam; prima pars patet experientia, videmus omnia corpora naturalia, & elementa dirigere suos motus, vt vitent vacuũ in natura; patet etiam in Clepsydra, qua irrigantur horti, si enim huiusmodi vas sit plenum aqua, & foramen, quod est in parte superiori digito obturetur, tunc nihil aquæ effluit ex foraminibus inferioribus, licet aqua grauiter, manet tamen pendens vsquequo aperiatur orificium, seu foramen superius, vt impleri possit vacuum, quod motu aquæ causaretur, &c. Item videmus corpora naturalia contra propensionem moueri, ne detur vacuum, vt leuia descendere; nempe aer ad loca subterranea, & grauia ascendere nempe aqua, quæ sursum mittitur per fistulam attracto.

Secunda pars patet, nam non implicat, Deum posse destruere, & annihilare elementa, & omnia corpora sublunaria, remanente Cælo, & impedire alia corpora ne implent illud vacuum, tunc esset corpus locans, & non corpora locata, ergo per diuinã potentiam poterit dare vacuum in natura.

Obijc. primò. Contra primam partem experientia, nam vas plenum cinere tantum aquæ posset capere, ac si esset sine cinere, sed non potest explicari qua ratione id fieri possit, nisi inter partes cineris detur vacuum, quod ab aqua repleatur, ergo, &c.

Item

Item vas plenum aqua posset recipere multos aureos absque eo, quod effundatur aqua, quod non potest fieri, nisi detur vacuum.

Resp. Neg. min. nam sic explicatur multum aeris continetur in cinere, qui expellitur ab aqua, & partim, quia partes subtiliores cineris euanescunt, partim quia reliquæ partes cineris, quæ remanent valdè condensantur frigore, & ideò non sequitur, quod detur vacuum. Ad secundum dicimus, quod ad ictum nummi expellitur aer inclusus in aqua, vt patet ex bullis exaltantibus.

Obijc. secundo. Sit vas plenum aqua calida, & perfectè clausum, itaut nec aer possit ingredi; deindè ponatur illud vas in loco frigido, tunc illa aqua congelatur, & condensatur, & consequenter occupabit minorem locum, ergo in illo tunc dabitur vacuum.

Resp. Neg. consequentiam, nam aqua non posset congelari absque euaporatione partium subtilium, quæ replent locum ab aqua derelictum, ideo, &c. Vel vas frangeretur, vt possit ingredi aer, & hoc fieret virtute naturæ vniuersalis.

Dices, Si vas frangeretur, quare potius frangeretur in vna parte, quam in alia?

Resp. Quod influentiæ Cæli fortius ipsum abhorrent in vna parte, quam in alia, & prius rumperetur superius versus Cælum, quam inferius; quia virtus naturæ vniuersalis esset fortior in parte superiori, quam inferiori.

Obijc. tertio. Lucerna in forma turris habet vnum foramen in inferiori parte, & ex illo foramine recipit oleum, sed oleum paulatim consumitur dum ardet, ergo cum non possit ingredi aer est necessarium dum oleum descendit ad foramen, vt pars superior remaneat vacua.

Resp. Neg. consequentiam, nam lucerna nunquam ita repletur, vt nõ remaneat aliquid aeris, quod potest rarefieri, ne fiat vacuum, tunc etiam ipsomet oleo est multum aeris, quod potest rarefieri, & replere lucernam.

Obijc. quarto. Si ponerentur duæ tabellæ omninò planæ applicatæ adinuicem itaut aer nullo modo permaneat inter vtramque, tunc eleuentur æqualiter secundum omnes partes, non poterit tam citò aer occupare spatium intermediũ, quia aer successiuè mouetur, ergo in illo tunc dabitur vacuum.

Resp. Neg. consequentiam, nam duo corpora dura non possunt se tangere nisi mediante aere, vel aqua, ex 2. de Anim. & ideò quando superior tabella eleuaretur esset aer intermedius, qui in eleuatione rarefieret.

Obijc. quinto. Potest Angelus expellere aerem, & illum impedire, vel aliud corpus ne subintret adimplendum vacuum, ergo per potentiam Angelorum potest dari vacuum; antecedens patet, nam corpora obediunt Angelis, quoad motum localem; Item est maior conatus Angelorum propellentium aerem ab hoc loco, quam sit resistentia ipsius aeris, & est

& est maior resistentia ipsorum Angelorum, quam impetus alterius corporis quærentis ingressum, &c.

Resp. Neg. secundam partem antecedentis; ad prob. dicimus, quod corpora obediũt Angelis quoad motus partiales, non autem quoad illos motus, qui attingunt ordinem vniuersi. Ad aliud dicimus, quod licet absolutè loquendo resistentia Angelorum sit maior, quam impetus alterius corporis, tamen ratione ordinis vniuersi, quod solum Deus potest immutare, fiet quod si Angeli propellunt aerem coguntur concedere liberum ingressum ad replendum tale spatium.

Dices. Virtus cuiuslibet corporis est finita, sed respectu virtutis Angeli est minor, ergo poterit impediri ab Angelo ne impleat vacuum.

Resp. Neg. consequentiam, nam licet virtus Angeli sit maior, non tamen poterit impedire aliquod corpus quærens ingressum ad replendũ vacuum, quia cum vacuum inducat destructionem totius vniuersi, sequitur, quod quasi totum vniuersum resistit virtuti Angeli.

Quæritur. Quare Natura abhorret vacuum?

Resp. Propter conseruationem vniuersi, nam sicut in corpore heterogeneo, nempe humano requiritur vnio membrorum, vt partes recipiant influxum totius, & totum adiuuetur à partibus, & partes sese mutuo iuuent, & foueant, quod non si essent separatæ. Ita in mundo corpora debent esse contigua, vt alia ab alijs recipiant influxum, & sese iuuent, quod non haberent admisso semel vacuo, quia iam destrueretur eorum contiguitas, vt notauit Philosophus 2. Meth. cum dixit oportet mundum hunc contiguum esse lationibus superioribus, vt inde regatur, & gubernetur.

Quæritur. Quæ nam est illa natura, quæ sic abhorret vacuum?

Resp. Quod est natura vniuersalis, per naturam vniuersalem non intelligitur solum Cælum, & Deus, sed intelligitur totus ordo entiũ, & corpora, tam inferiorum, quam superiorum.

QVAESTIO II.

An motus aquæ ad replendum vacuum sursum sit illi naturalis, an violentus?

Diximus in præcedenti quæstione, quod plura corpora mouentur ad replendum vacuum contra proprias inclinationes, vt aqua, quæ secundum propriam naturam ob suam grauitatem petit descensũ, & locum deorsum ne detur vacuum properat in locum sursum, nunc vero dubitatur num talis motus sursum sit illi naturalis, vel violentus? pro qua sit.

Concl. Si aqua consideratur secundum specificam inclinationem, tunc eius motus sursum etiam ad replendum vacuum est illi violentus;

 si ve-

si verò consideratur, vt pars vniuersi tunc, talis motus est illi naturalis; est Scoti in 4. d. 49. q. 13. §. ad rationes, &c. vbi habet aquam esse sursum, vt saluetur plenum in vniuerso non est simpliciter violentum, & secundum quod naturale, quia natura totius vniuersi magis est principium naturalitatis, quã natura ista particularis, & magis naturale est, quod tali toti conuenit, quam quod propriè huic parti, &c. hæc sunt verba Scoti, &c. est contra aliquos quoad secundam partem; prob. prima pars nam vni, & idem formæ nequeunt cõpetere contrarij motus, sed forma aquæ est ex se determinata ad motum deorsum, ergo motus sursum est ei violentus; secunda pars; violentum opponitur naturali, ergo illud erit magis violentum, quod opponitur perfectiori naturali, sed perfectius naturale est totum vniuersũ, quam qualibet pars, ergo cuilibet parti magis conuenit naturaliter perficere vniuersum, quam exercere eius propriam, & specialem inclinationem.

Obijc. primo. Violentum est ab extrinseco, & contra propriam inclinationem, sed aqua mouetur contra propriam inclinationem sursum, ergo violentatur quando mouetur sursum.

Resp. Dist. min. vt aqua, & secundum propriam naturam concedo, vt pars vniuersi nego; nam aqua vt pars vniuersi mouetur secundum inclinationem ad perficiendum illud vniuersum; nam illud est magis naturale, quod perfectiori naturali. Confirmatur, sed perfectius naturale est totum vniuersum, quam quælibet pars illius considerata secundam propriam, & specialem rationem, ergo motus, qui confirmatur bono totius naturæ est magis natutalis, quam motus specialis, quo corpora tendunt in proprium centrum.

Obijc. secundò. Ab vna forma nõ possunt duo motus contrarij prouenire, sed motus sursum, & deorsum sunt contrarij, quia respiciunt terminos oppositos, ergo ab vna forma aquæ non possunt causari.

Resp. Quod tales motus non causantur ab eadem forma aquæ, nam aqua secundum suam naturam tendit deorsum, & tendit sursum secundum formam totius, cuius aqua est pars, ideò à diuersis formis causantur; forma enim vniuersi quatenus talis ob sympatiam; & connexionem, quam omnes partes vniuersi obseruant inter se naturalissimo modo eas mouet, &c.

QVAESTIO III.

An si daretur vacuum possit in eo fieri motus?

IN hac quæstione loquimur de motu locali, quia de alijs motibus fortè non est difficultas, nam non est ratio, cur ignis in vacuo applicatus stuppæ non possit illam comburere, cum ibi ignis habeat quicquid requiritur ad comburendum; motus enim loca-

localis potest diuidi in tria membra, nempè in motum grauium, & leuiũ, vt terræ,& ignis; in motum progressiuum animalis; & in motum proiectorum, his positis sit.

Prima Concl. In vacuo negatiuo non posset fieri motus rectus naturalis, nec progressiuus; tamen motus proiectorum potest fieri. Prima pars prob. nam motus rectus naturalis, aut est sursum, aut deorsum; sed dato huiusmodi vacuo, nec daretur sursum, nec deorsum, nec esset centrum; ergo, &c. Item, quæ mouentur motu recto naturali tamdiu mouentur quã diu reperiunt locum, in quo quiescũt, sed dato huiusmodi vacuo nullus esset locus, in quo mobilia motu recto naturali quiescerent, quia esset totum inane spatium, ergo, &c. Secunda pars patet, nam motus progressiuus animalium prærequirit aliquod fundamentum, vel corpus solidum, puta terram, vel aliud simile corpus, in quo mobile possit consistere, sed illud non reperitur in huiusmodi vacuo, ergo, &c.

Tertia pars etiam patet; nam si aliquod viuens proijceret lapidem, reuera lapis moueretur quousque euanesceret impetus impressus à proijciente, cum non sit à quo talis motus valeret impediri, ergo, &c. Not. quod talis motus, nec esset naturalis, nec violentus, quia non essent diuersæ positiones, nẽpè sursum, & deorsũ, & ità nec esset motus secundum inclinationem; nec contra inclinationem passiuam, esset tamen motus neuter, &c.

Secunda Concl. Si daretur vacuum priuatiuum, scilicet clausum sub cælo, & super centrum terræ, in eo posset fieri motus naturalis grauium, & leuium; motus progressiuus, & proiectorum; prima pars patet, nam si lapis esset detentus in regione ignis descenderet ad centrum ob innatam sibi grauitatem, præsertim cum mediũ per quod fit motus non requiritur ad motum, imo potius ipsum retardat, vt patet, nã tanto est velocior motus cæteris paribus, quanto subtilius est mediũ per quod fit motus, ergo, &c.

Secunda pars patet; nam si totus aër annihilaretur, tunc animal existẽs in terra posset pedem mutare, & progredi, ergo, &c.

Tertia pars etiam patet, nam potest Angelus, vel aliqua creatura emittere iaculum per illud vacuum, ergo motus violentus proiectorum potest in eo fieri, &c.

Obijc. primo. Contra tertiam partem primæ Conclus. Si in tali vacuo posset dari motus proiectorum; sequitur, quod lapis vibratus ab aliqua creatura semper mouebitur, quia nõ reperiet in quo quiescat, ergo, &c.

Resp. Neg. sequelam, nam lapis proiectus cum ad aliquam distantiam perductus fuerit, statim amitteret vim sibi impressam à proijciente, & proindè cum ad nullam partem ex sua naturali inclinatione tendere possit, quia totum spatium esset inane, sequitur ipsum esse quieturum, &c.

Dices. Nullum corpus graue potest quiescere alibi, quam in centro; ergo cum lapis sit corpus graue nun-

quam quiescet, nisi in centro, quod non esset in tali vacuo, &c.

Resp. Antecedens esse verum si centrum detur, si verò nullum fuerit centrum possit vi sua alibi quiescere, &c.

Obiic. secundò. Contra primam partem secundæ Conclusionis, si in vacuo esset motus, tunc naturaliter daretur vacuum, quod est falsum; sequela prob. nam si corpus graue positum in vacuo posset moueri, tūc eam partem, quam occuparet, postea relinqueret, & sic naturaliter causaret vacuum, &c.

Resp. Neg. sequelam, ad prob. dicimus, quod licet illud corpus si moueretur in vacuo relinqueret vacuum illud spatium quod occupabat, tamen non est tribuendum virtuti naturali ipsius corporis, quod mouetur, sed diuinæ potentiæ, quæ induxit vacuum, & impediuit colligationem corporū intermediorum, ob quam vnum corpus ad occupandum spatium ab alio corpore derelictū potuisset occurrere, &c.

Obiic. tertiò. Vbi non est tarditas, aut velocitas, nec est probabilis motus; sed in vacuo non est tarditas, aut velocitas, quia hęc proueniunt ex densitate, & subtilitate medij, quæ in vacuo non essent, ergo, &c.

Resp. Dist. min. in vacuo non essent tarditas, & velocitas accidentalis, concedo; essentialis, nego; nam tarditas accidentalis prouenit ex densitate medij, quæ non esset in vacuo, tarditas essentialis prouenit ex diuersitate spatij, vel ex mouente, &c.

Obiic. quarto. Si mobile moueretur in vacuo, vel moueretur ad vnam partem solum, vel ad omnes simul, nō secundum; quia implicat quod vnum, & idem corpus tendat ad plures partes simul secundum idem sui; nec primum, quia si esset vacuū, esset vniusmet dispositionis per totum, & nullam haberet diuersitatem partium, & in qua ratione moueretur mobile ad vnam partem, eadem ratione moueretur ad aliam oppositam, &c.

Resp. Quod mobile moueretur in vacuo ad vnam partem determinatè, scilicet ad illam, ad quam moueretur à mouente, vt si v. g. mobile esset graue, tenderet deorsum, quia forma grauis mouens moueret illud mobile deorsum determinatè; ideò non assumit falsum, scilicet quod determinatio motus ad vnam partem magis, quàm ad aliam, proueniat ex medio.

Obiic. quinto. Omnis motus localis dependet à motu cæli, ex 8. Phys. t. 56. sed posito vacuo tolleretur motus cæli, ergo in vacuo nullus esset motus localis.

Resp. Quod mai. est vera non posito vacuo; nam data hypothesi quod daretur vacuum, tum ille motus factus in vacuo non penderet à motu cæli; sed à propria virtute mouentis; vel dicimus, quod esset concursus Dei immediatus, &c.

Dices. Motus localis non potest fieri sine loco; sed in vacuo nullus esset locus; ergo, &c. minor patet, nam locus dicit superficiem corporis continentis, sed in vacuo non esset talis superficies, quia nullum esset corpus, ergo, &c. Item ex t. 71. clarè

rè colligitur, motum nullo modó posse fieri in vacuo, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod dato tali vacuo, adhuc esset terra, & vna Ciuitas distaret ab alia, & sic quæcunque moueretur per superficiem terræ transiret per vacuum; vel dicimus, quod ad motum localem sufficit vnum corpus, quod sit terminus à quo, & aliud, quod sit terminus ad quem, licet medium sit vacuum. Ad aliud dicimus, quod Arist. ibi disputat contra Philosophos antiquos, qui putabant totam resistentiam, & successionem motus oriri ex medio, & ideò optimè Aristot. ostendit ex principijs eorum non posse dare vacuum, quia in eo fieret motus in instanti quod repugnat, &c.

Obijc. sexto. Si in vacuo daretur motus, vel esset naturalis, vel violentus, non primum, quia ibi non esset natura; nec secundum, quia non videtur à quo proiectum moueretur, cum esset diuisum à proijciente, nempè ab aere, ergo, &c. Item ex 3. Cæli t. 28. habetur quod natura vtitur aere, tanquam instrumento ad faciendũ motum naturalem, vel violentum, ergo sine medio pleno non potest fieri motus, nec naturalis, nec violentus, &c.

Resp. Quod talis motus esset naturalis, si esset secundum inclinationẽ mobilis, esset violentus, si esset contra inclinationem ipsius: cum dicitur, quod ibi non esset natura, cum non sit medium retardans motum, dicimus quod talis motus esset naturalis attendendo naturalitatem ex parte mobilis, non verò ex parte medij, &c. Ad aliud de violento dicimus, quod proiecta non mouentur à medio deferente, sed à proijciente quadam virtute eis impressa, &c. Ad aliud dicimus, quod Arist. in illo textu nihil aliud vult dicere, nisi quod aer inseruit motui violento, & naturali, quia aer est grauis, & leuis, grauis respectu ignis, leuis respectu terræ, & aquæ; ad ea, ergo, quæ mouentur deorsum inseruit ad impellendum deorsum, & quæ mouentur sursum inseruit sua leuitate ad impellendum sursum; & sublato aere adhuc graue moueretur deorsum, & leue sursum, &c. si esset in vacuo, &c.

QVAESTIO IV.

An motus in vacuo esset instantaneus, vel successiuus.

SVccessio in motu est duplex, alia essentialis, & alia accidentalis; prima prouenit, vel ex parte spatij, quatenus mobile prius dicit pertransire vnam partem spatij, deindè aliã, vel ex parte mobilis, quod finitum est, &c. Secunda prouenit ex resistentia medij pleni ratioris, vel densioris subtilioris, vel grossioris, impedientis motus; pro qua sit.

Concl. Motus in vacuo esset successiuus, est Scoti in 2. d. 2. q. 9. Diui Thomæ, & ferè omnium Theologorum, contra Albertum, Gregorium, Iandunum, & alios, qui omnes affirmant, quod si corpora mouerẽtur in va-

vacuo talis motus esset instantaneus, &c. Prob. primo; si daretur vacuum inter cælum, & terram, & lapis à concauo Lunæ caderet deorsum; tunc peto, vel descenderet in instanti, vel successiuè; si secundum, ergo habetur intentum, si primum, ergo lapis erit simul in supremo medio, & vltimo loco, quod est impossibile; explicatur Exemplo: sit columna erepta à pauimento, vsque ad cælum, & reliquum spatium sit vacuum, & in superiori parte columnæ moueatur aliquod corpus tricubitum; tunc hoc corpus dum est in superiori parte occupat spatium tricubitum columnæ, dum est in medio, similiter tantum spatium occupat, & dum est in inferiori parte similiter hoc modo occupat; sed si illud corpus tricubitum moueretur in instanti, tunc simul esset in diuersis, & distantibus locis, &c.

Secundo, Omnis successio prouenit ex distantia extremorum; sed hæc distantia ita esset in spatio vacuo, sicut in pleno; nam ita distaret cælum à terra in vacuo, sicut in pleno, ergo, &c.

Obiic. primo. Omnis successio in motu prouenit, vel ex resistentia externa, vel interna; sed illud mobile, quod mouetur in vacuo nullam haberet resistentiam, ergo, &c. minor prob. nam non haberet resistentiam externam, quia talis est à densitate medij; quod in casu non esset, &c. nec haberet resistentiam internam, quia illa, vel proueniret à materia, vel à forma; non à materia, quia ipsa est indifferens ad quemlibet motum; nec à forma, quia ipsa est mouens, & sibi non resistit, ergo ille motus esset instantaneus, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod illud mobile haberet resistentiā essentialem, & internam ex parte formæ, cum dicitur forma mouens sibi non resistit, dicimus, quod licet sibi non resistat, tamen, qui habet virtutem finitam nō potest inducere mobile ab vno extremo ad aliud extremum spatij vacui in instanti, licet nullum sit medium, &c.

Dices. Mouens quantum est de se vellet inducere mobile ad terminum intentum, ergo sibi non repugnat, & consequenter in instanti mouet, &c.

Resp. Antecedens esse verum, sed non potest statim inducere mobile ad terminum, quia finitum est, &c.

Dices. Mouens ideò aliquando tardius, aliquando velocius mouet, quia reperit maiorem, vel minorem resistentiam medij; sed in vacuo non esset talis resistentia, ergo, &c.

Resp. Mai. esse veram de resistentia accidentali, non essentiali; nam resistentia essentialis prouenit, vel ex parte spatij quanti, vel ex parte mouentis, quod finitum est, quæ resistētia esset etiam in vacuo, &c.

Obiic. secundo. Agens (ablato impedimento) introducit formam in instanti, ergo si in vacuo non esset resistentia medij moueret in instanti; antecedens patet. Exemplo illuminationis, Sol enim illuminat præcisè corpus diaphanum in instanti, quia lumen, seu lux caret contrario, ergo si nullum sit contrarium in medio,

quod

quod possit impetus motus naturalis retardare, tunc manifestè infertur talem motum esse instantaneum, &c.

Resp. Neg. antecedens, ad probat. neg. consequentiam; nam non est paritas de illuminatione, & de motu, illuminatio enim ideò fit in instanti, quia nullam inuenit contrariam qualitatem, quæ retardat accidentia; in motu verò non solum est densitas medij, quæ retardat mobile; sed etiam extensio spatij, & ipsum mouens, quod finitum est, & alia quamplurima, &c.

Dices. Non repugnat finitati illuminanti, neque extensionis corporis illuminati, quod lumen producatur in instanti diuersis partibus medij; ergo nec repugnat ex parte mouentis finiti, neque ex parte extensionis, quod corpus transeat vacuum extensum in instanti, &c.

Resp. Neg. paritatem, nam lux habet sphæram suæ actiuitatis, quam potest lux habere, tamen non est sic dicendum de aliquo corpore si moueretur in vacuo, ideò, &c.

Obijc. tertio. Si motus qui fit in vacuo esset successiuus, sequeretur, quod duo corpora inæqualis grauitatis possent æquali velocitate moueri, quod est falsum; sequela prob. nam tota ratio, cur corpora grauiora facilius moueantur, est quia facilius diuidunt medium, quam corpora leuiora; sed in vacuo omnia corpora æqualiter diuiderent medium, quia nullam in eo reperiret resistentiam, ergo corpora grauiora, & minus grauia æqualiter mouerentur, &c.

Resp. Neg. sequelam, ad prob. dicimus, quod mai. est insufficiens; nam adæquata ratio cur corpora grauiora celerius moueantur, non est tantum, quod facilius scindant medium; sed etiam, quod virtus motrix sit maior in ipsis, qua citius feruntur ad sua loca, &c.

Obijc. quarto. Motus non est infinitæ velocitatis, sed si in vacuo daretur motus, tunc motus esset infinitæ velocitatis, ergo, &c. min. patet, nam quo maior est resistentia, eo tardior est motus, & quo minor, eo velocior esset motus; sed in vacuo nulla esset resistentia medij, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus; quod motus non solum retardatur à resistentia medij; sed etiam à magnitudine spatij, & ab impotentia agentis; nam quod motus fiat in tempore, non se tenet tantum ex parte medij resistentis; sed etiam ex parte distantiæ terminorum à quo, & ad quem; quæ quidem distantia non potest pertransiri in instanti, &c.

Not. Mobilia quædam sunt animata, & quædam inanimata; inanimata sunt duplicia, quædam sunt simplicia, vt elementa, & quædam mixta, vt lapides; animata sunt quæ duplicia, quædam mouentur motu ambulationis, quædam motu volationis, quædam motu natationis, & quædam motu dilatationis, & restrictionis, vt concha, &c. si daretur vacuum, itaut si aer destrueretur, tunc auis nō posset volare, nec posset fieri visio, aut auditio, quia ista requirunt medium extrinsecum, &c.

DI-

DISPVTATIO III.

De Tempore.

ARIST. in hoc libro à t.87. vsque ad finem, agit de tempore, quod dupliciter sumi potest vt latè, quo sensu dicimus, Angelos per longum tempus durasse; alio modo præsse, scilicet pro illa speciali duratione, quæ est propria rebus successiuis, & à duratione in cõmuni distinguitur velut species à genere, &c.

Quæritur primo: Quid est duratio in communi?

Resp. Est permanentia rei in esse, seu est quædam negatio realis desitionis rei, nam duratio duo importat, vnum in recto, & aliud in obliquo; in recto dicit solam negationem desitionis rei, in obliquo dicit existentiam rei durantis, tanquam subiectum illius, &c.

Quæritur secundo. Quot sunt species durationis.

Resp. Tres, nempè æternitas, æuũ, & tempus; patet, nam duratio cum consistat in illa permanentia in esse, & in negatione desitionis, quot erunt modi permanendi, & non desiendi, tot erunt species durationis; sed quia tribus modis contingit rem permanere, primo res ita manet, quod destrui nõ potest, vt Deus, & talis durat æternitate, quæ formaliter dicit negationem desitionis actu, aptitudine, & potentia.

2 Secundo res ita manet, quæ licet nõ sit destructa, nec possit destrui per partes, tamen absolutè est destructibilis, quia potest annihilari, vt Angelus, & anima, &c. & talia entia, durant æuo, quod dicit negationẽ desitionis, & etiam desinibilitatis, non ab intrinseco, sed ab extrinseco; tertio res ita manet, quod licet destructa non sit tamen est in continua destructione per partes suas, vt motus, & talis durat tempore, quod dicit negationem desitionis, non verò desinibilitatis, &c.

Ex istis tribus durationibus potest addi quarta duratio, quæ dicitur æuũ alterius rationis ab æuo Angelorum, seu dicitur modus æui, & est duratio eorum, quæ licet sint permanentia, tamen deficiunt, & corrumpuntur, vt substantiæ corruptibiles, accidentia, &c. Ita Scotus in 2. d. 2. §. concedo concl. & in reportatis in 2. d. 2. q. 1. littera B. &c.

QVAE-

QVAESTIO I.

An Tempus sit duratio realis, mensurans res successiuas.

C*Oncl.aff.* Est communis contra antiquos Philosophos, scilicet Argentinam cum Auerr. & Galeno, qui existimant, tempus pro materiali, seù quatenus dicit motum esse ens reale, formaliter verò, & quatenus mensurat talem motum, esse ens rationis; prob. primo, ex sacra Scriptura, Genes. 1. Fecit Deus duo luminaria magna, vt diuideret noctem, & diem, vt essent in tempore, & Actuũ primo: Nõ est vestrũ nosse tempora, vel momenta, &c. ergo signum est dari tempora à parte rei, &c.

Secundo ratione, dantur à parte rei entia successiua, quæ sunt in continuo transitu, vt patet de motu; ergo debet dari eius propria duratio, qua formaliter durari debent; consequentia sequitur, nam cum talia entia sint in continuo fluxu non possunt mensurari æuo, cum talis duratio sit rerum permanentium, ergo necessariò debet dari alia duratio, & talis est tempus, &c. Item entia successiua habent modum mouendi distinctum à permanentibus, ergo, &c.

Secunda pars. Quæ non possunt esse in instanti, non possunt durari, nisi in tempore, sed successiua nequeunt habere esse in instanti, cùm illud habeat per continuum influxum, ergo tempore durant, &c.

Obijc. primò. Nulla pars temporis existit à parte rei, ergo nec ipsum tẽpus; antecedens patet, nam partes tẽporis sunt præteritum, & futurum, sed præteritum non est, quia desinit esse, futurum nondum venit, præsens cum sit instans indiuisibile, non est pars temporis, ergo, &c.

Resp. Dist. antecedens, nulla pars temporis existit à parte rei permanenter, concedo; successiuè, nego; nã existentia, non ita requiritur in successiuis, sicut in permanentibus, quia in permanentibus omnes partes sunt simul; in successiuis verò, vna pars est post aliam, vel dicimus, quod partes temporis non dicuntur præcisè reales, & existentes, quatenus præteritæ, vel futuræ sunt, quia vel non sunt, vel nondum sunt, sed dicuntur reales, quatenus transeuntes sunt, & vt sic habent realem existentiam, &c.

Dices. Illa pars temporis, quæ transit, vel fluit, quomodo dici debet, pars præsens, præterita, an futura?

Resp. Quod debet dici pars præteriens, & fluens, quæ pars deinde, cum dicat priùs, & posteriùs, à nobis concipitur per præteritum, & futurum, &c.

Obijc. secundò. Ex t. 131. habetur, quod tempus ita pendet ab anima, quod ex defectu huius tempus deficeret, ergo remota anima tempus non est, & consequenter est ens rationis, &c.

Resp. Quod Arist. ibi loquitur dubitatiuè, vt videre est, &c. vel dicimus quod Arist. non intelligit de tempo-

re absolutè, vt tempus est; sed prout est mensura actualis aliorum; nam nullo intellectu cogitante, adhuc esset motus primi mobilis, qui dicitur tempus, sed non esset in quantum est actualis mensura aliorum, vt patet de dormientibus, nã illi, qui per multos annos dormierunt posteà excitati, putabant, nihil tempus transisse, sed eadem hora somnum cępisse, ac finisse, &c.

Obijc. tertio. Contra secundam partem, natura entium successiuorũ consistit in continua destructione, ergo talia entia carent duratione, cum duratio dicat negationem destructionis, &c.

Resp. Neg. sequelam, nam licet talia sint in continua desitione per partes continuò desinentes, sunt tamen in suo esse per continuam generationem aliarum partium de nouo, &c.

Quaritur primò. An tempus sit incorruptibile, vel corruptibile?

Resp. Neutrum, sed est desinibile.

Dices. Ergo duo tempora essent simul, nam quod desinit esse, desinit esse in tempore.

Resp. Quod tempus desinit per primum sui non esse in aliquo instanti.

Quaritur Secundò. An tempus pendeat ab anima?

Resp. Neg. secundum se, & quoad rationem formalem; aff. in ratione actualis mensuræ; prima pars prob. nam tempus secundum se est duratio successiua motus, sed motus habet esse successiuè completum sine anima, ergo, & tempus; mai. patet, quia tempus identificatur realiter cum motu; secunda pars prob. nam sicut quantitas continua secundum se non est mensura actiua, nisi diuidatur ab anima, ita tempus; nam cum eius motus, & duratio sit continua, non potest habere distinctas partes, nisi quia anima diuidit illam quantitatem in determinatas partes, vt v.g. talis duratio diuiditur in vigintiquatuor horas, deindè per illam durationem diuisam, aliquis potest reliquas durationes mensurare, & hoc modo pendet ab anima.

Quaritur tertiò. Quid est tempus?

Resp. Est numerus motus secundum prius, & posterius; ità Aristot. t.101. dicitur (numerus) non quidem numerans, quia est anima, seù intellectus, sed numerus numeratus; numerus numeratus est duplex, vnus est, qui cõstat ex partibus seiunctis, & discretis à parte rei, quæ partes sunt permanentes, vt binarius lapidum, &c. alter qui constat ex partibus seiunctis, & discretis tantum per intellectum, quæ partes sunt successiuè; tempus enim est numerus numeratus non primo, sed secundo, nempè tempus est numerus numeratus, qui resultat ex partibus prioribus, & posterioribus motus seiunctis per intellectum, dicitur (motus) non quidem motus in communi, ad omnes species motus, sed motus primi mobilis, qui motus præ cæteris magis est actus mensurare alios, dicitur (secundum prius, & posterius) quia in motu datur

tur prius, & posterius, ita vt partes motus non possint numerari nisi secundum prius, & posterius; sensus est tempus est duratio primi mobilis diuisa ab intellectu in partes, quarum aliæ sunt priores, aliæ posteriores successiuè.

Dices. Tempus est quantitas continua successiua, ergo non est numerus, qui est quantitas discreta.

Resp. Dist. consequens. Secundũ se concedo, vt est actualis mensura, nego; nam tempus secundum se, & absolutè pro ipsa reali duratione motus est quantitas continua successiua motus; si vero accipiatur vt est actualis mensura, prout est diuisum ab intellectu in annos, menses, horas, &c. sic est quantitas discreta, & definitur supradicta definitione; nam hic definitur tempus, quod est ens reale, non tamen secundum se, sed quatenus est mensura cognoscendi aliorum motuum, & ideo requirit quandam accõmodationem humanam, & aliquod esse ab anima, &c.

QVAESTIO II.

An tempus distinguatur à motu, & quomodo.

TEmpus duplex est, scilicet intrinsecum, & extrinsecũ; intrinsecum est propria duratio successiua cuiuslibet motus, vt tẽpus, quo mensuratur primum mobile, & alia tempora quibus mensurantur cęteri motus inferiores; extrinsecum est duratio alicuius motus, qua cæteri motus mensurantur, vt est motus primi mobilis respectu motus horum inferiorum; in quæstione loquimur de tempore intrinseco, &c. pro qua sit, &c.

Concl. Tempus distinguitur à motu, non realiter, sed formaliter; est Scoti in 4. d.48. q. 2. contra Thomistas sustinentes. Tempus realiter differre à motu, quibus subscribunt quidam neoterici Scotistæ, ex Scoto in 2. d.2.q.2. sed ibi Scotus loquitur problematicè; tamen in 4. loco cit. se determinat, &c. prob. nam non potest esse motus sine tempore; nec tempus (de quo loquimur) sine motu, ergo nec realiter distinguuntur; consequentia sequitur; antecedens prob. nam implicat motum esse, & non habere propriam durationem. Scilicet tempus, & implicat tẽpus esse sine priori, & posteriori; sed hæc sunt in motu, ergo, &c. Item non potest esse motus, quin sit prius, & posterius, & pars aliqua sit præterita, aliqua futura; sed talia non possunt intelligi sine tempore, ergo, &c. Item numerus numeratus realiter non distinguitur à re numerata; sed in casu res numerata est motus. Ergo tempus non est realiter distinctum à motu, &c.

Secunda pars patet, nam habent diuersas formalitates. Ergo formaliter distinguuntur; antecedens patet, nam tempus est duratio successiua motus; motus vero est actus entis in potentia, vt in potentia, &c. Item tempus dicit negationem desitionis, ergo formaliter distinguitur à

re, cuius est duratio, saltem negatiuè, &c.

Obijc. primò. Tempus est mensura motus. Sed mensura realiter distinguitur à mensurato; quia dicit relationem realem ad mensuratum, ergo, &c.

Resp. Dist. min. mensura extrinseca, concedo; intrinseca, nego; nam mensura extrinseca vtique dicit relationem realem ad mensuratum, & ab illo realiter distinguitur; non vero mensura intrinseca, de qua loquimur in præsenti, &c.

Obijc. secundò. Tempus semper manet, motus vero saltem rerum sublunarium non semper manet. Ergo tempus, & motus realiter distinguuntur, &c.

Resp. Dist. primam partem antecedentis, tempus extrinsecum, & commune, concedo; intrinsecum, & proprium, nego; nam tempus motus primi mobilis dicitur extrinsecũ, & commune respectu motus rerum sublunarium, & hoc potest manere, non semper manentibus rebus sublunaribus, tempus verò internum, & proprium non semper manet, &c.

Obijc. tertiò. Si tempus non distinguitur realiter à motu, ergo cum tempus mensuret motum idem se ipsum mensuraret, & consequenter idem per se esset notum, & ignotum, &c.

Resp. Neg. sequelam; nam tempus de quo loquimur non mensurat motum; sed est id ratione cuius motus redditur mensurabilis; dicitur tẽpus mensurare motũ; quatenus per durationem temporalem motus primi mobilis mensuramus alios motus cęterorum corporum, quorum non sumus certi, & hoc tempus distinguitur realiter à motu, &c.

Dices. Motus primi mobilis verè est mensurabilis; sed non ab alia mensura, nisi propria, & intrinseca, quia alia extrinseca non datur, ergo ab ipsa realiter distinguitur, &c.

Resp. Neg. min. nam mensuratur accipiendo vnam partem ipsius motum, quæ postea reduplicata totum motum mensurat, & sic nihil contra nos, &c.

Obijc. quartò. Motus non inuenitur in illis rebus, in quibus inuenitur tempus: Ergo tempus realiter distinguitur à motu; antecedens patet, nam tempus non solum est in rebus motis, sed etiam in quiescentibus, iuxta illud, quod mouetur, mouetur in tempore, & quod quiescit, quiescit in tempore, &c.

Resp. Neg. antecedens, ad prob. dicimus, quod quies mensuratur tẽpore per accidens non per se, nam eadem mensura mensuratur priuatio, qua mensuratur habitus, licet secundariò, modo cum quies sit priuatio motus, tunc ea mensura mensuratur quies, qua mensuratur motus, licet secundariò, & per accidens, &c. vel possumus dicere, quod quies mẽsuratur tempore etiam per se, accipiendo (ly per se) pro eo, quod competit alicui secundum propriam naturam; nam naturæ quietis non competit alia mensura, quam tempus, non positiuè, sed priuatiuè, &c.

vt

vt verbi gratia, ſicut ſi daretur vacuũ menſuraretur eadem magnitudine, qua menſuratur plenum; ita quies menſuratur eadem menſura, qua menſuratur motus per ſe, &c.

Obiic. quintò. Omnis motus eſt velox, vel tardus; ſed tempus non eſt huiuſmodi, quia dicitur longum; aut breue, ergo, &c. Item tempus eſt numerus motus, ſed motus non eſt numerus, ergo, &c.

Reſp. Neg. min. realiter; nam tempus realiter eſt velox, vel tardum, ſicut motus, ſed non ità propriè attribuitur ſibi ſicut motus; nam non dicitur tempus, niſi ſecundum diſcretionem ſuarum partium, quam habet ab anima, ſecundum quam rationem, habet rationem numeri, &c. Ad aliud dicimus, quod motus ſub illa ratione qua eſt continuus non dicitur numerus, tamen ſub illa ratione, qua partes eius ab anima accipiuntur, vt diſcretæ dicitur benè numerus.

Obiic. ſextò. Si tempus eſt idem cum motu. Ergo Diuinæ potentiæ non repugnat renouare eundem numero motum, ſic etiam idem tempus, quod eſt falſum; falſitas prob. nam ſecundum commune axioma ad præteritum non eſt potentia.

Reſp. Neg. falſitatem, ad prob. dicimus, quod ſi Deus faceret idem tempus de nouo non per hoc faceret, vt illud tempus non fuiſſet, ſicut concludit illud axioma, ſed faceret id, quod ſemel fuit iterum eſſe, & quod fuit præteritum, eſſe præſens.

Quæritur. Tempus eſt ne proprietas motus?

Reſp. Neg. quia formaliter dicit, quid negatiuum, &c. Sed ad hoc, vt aliquod attributum dicatur paſſio (vltra quod debet competere illi, omni, ſoli, & ſemper) debet eſſe quid poſitiuum, ergo, &c.

QVAESTIO III.

An tempus ſit vnum reſpectu omnium motuum, an vero multiplicetur ad multiplicationem motuum.

IN hac quæſtione non loquimur de tempore illo notiſſimo, quod eſt duratio motus primi mobilis; ſed de tempore, quod eſt menſura interna, & propria motus, pro qua ſit, &c.

Concl. Tempora multiplicantur numero ad multiplicitatem motuũ, non tamen poſſunt multiplicari genere, vel ſpecie; eſt Scoti in 2. d.2. q. 4. prob. prima pars; nam tale tempus non diſtinguitur realiter à motu, ergo multiplicato motu etiã tempus multiplicatur.

Secunda pars prob. nam, quæ habent eundem modum manendi; habent durationem eiuſdem rationis, ſed omnes motus habent eundem modum manendi; quia quilibet motus quicunque ſit ſemper manet in continua deſtructione partiũ fluentium, ergo, &c. mai. patet ex diſtinctione durationum; nam ſpecies diuerſæ

uerſæ durationum deſumuntur à diuerſo modo manendi.

Obijc. primo. Contra primam partem, In tempore non datur, niſi vnum nunc, ergo vnum eſt tempus, & non plura, antecedens patet, nam in eodem nunc Petrus Romæ currit, & Franciſcus Neapoli loquitur, ergo, &c. Item vnum eſt tempus omnium temporalium, ex Ariſt. in t.

Reſp. Quod argumentum currit de nunc temporis notiſſimi, ſcilicet motus primi mobilis, non verò de nunc temporis proprij cuiuſcunque motus; ad aliud per idem reſpondetur, nam ibi Ariſt. loquitur de tempore notiſſimo, &c.

Obijc. ſecundo. Contra ſecundam partem, motus multiplicãtur genere, & ſpecie, ergo ſimiliter tempus; conſequentia ſequitur, quia tempus eſt idem cum motu, &c. antecedens patet, nam motus alter eſt ſpiritualis, & alter corporalis; datur etiam motus alterationis, augmentationis, ergo, &c.

Reſp. Neg. antecedens, ad prob. dicimus, quod talis diſtinctio de motu ſpirituali, & corporali eſt ex parte rerum durantium; nam motus ſpiritualis, & corporalis non differunt in eſſe motus, ſed ratione illorum in quibus ſunt; ſic dicendum de motu alterationis, & augmentationis, quia ſemper habent eundem modum manendi, ſcilicet ſucceſſiuè, &c. hinc patet quãdo non eſt impoſſibile aliquod eiuſdem ſpeciei reperiri in aliquibus, quæ differunt ſpecie, vel genere, vt patet de potentia viſiua, quæ eſt in homine, & in boue, quæ eſt eiuſdem rationis, & ſpeciei, vt dicit Scot. in 2. d. 1. q. 5. licet homo, & bos differant ſpecie, &c.

Finis Quarti Libri.

LI-

LIBER QVINTVS PHYSICORVM.

In hoc Quinto Libro Phyſ. Ariſtoteles agit de ſpeciebus motus, & de eius vnitate, & oppoſitione.

DISPVTATIO VNICA.

De Speciebus motus, & de eius vnitate, & oppoſitione.

QVaritur primo. Quot ſunt ſpecies motus?

Reſp. Sex, ſcilicet generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & ſecundum locum mutatio.

Not. Quod generatio, & corruptio non ſunt propriè ſpecies motus, quia motus propriè ſumptus eſt cõtinuus, & ſucceſſiuus, ſed generatio, & corruptio ſunt mutationes inſtantaneæ, de quibus in lib. de generat. & corrupt. &c.

Quaritur ſecundo. Quomodo diſtinguatur motus à mutatione?

Reſp. Quod differunt primo ex parte ſubiecti, nam ſubiectum mutationis non remanet idem ſub vtroque termino ſecundum nomen, & definitionem, vt patet in generatione, &c. ſubiectum motus manet idem ſub vtroque termino, ſecundum nomen, & rationem, vt patet in alteratione, & augmentatione, &c. Secundò, differunt ex parte termini, quia terminus mutationis, totus ſimul, & in inſtanti acquiritur; terminus motus ſucceſſiuè, & in tempore acquiritur; primus eſt indiuiſibilis, ſecundus eſt diuiſi-

uisibilis,& intelligitur de termino diuisibili habente contrarium, vt calor, frigus,&c termini enim, qui nullum habent contrarium, vt lumen, &c. vt plurimum producuntur in instanti, quamuis possint etiam produci in tempore, &c.

QVAESTIO I.

Ad quæ prædicamenta detur per se motus?

IN hac quæstione nō loquimur de quacunque mutatione, sed solum de motu successiuo; & illa, quæ terminant per se hunc motum debent habere contrarium, loquendo non de contrarietate propria, vt reperitur in qualitate, sed impropria, scilicet pro quacunque incompossibilitate terminorum, & quod habeat quandam latitudinem, qua successiuè possit transiri per motum; his positis sit.

Concl. Ad tria prædicamenta datur per se motus, nempè ad quantitatem motus augmentationis, ad qualitatem motus alterationis, ad vbi motus lationis. Prima pars prob. nam quantitati conueniunt conditiones, quæ sunt necessariæ ad terminandum motum, ergo verè terminat talem; antecedens patet; nam inter quantitatem quatuor palmorum, & quinque palmorum datur contrarietas incompossibilitatis, cum in eadem quantitate, simul esse non possint; datur etiam quædam latitudo, & extensio diuisibilis, ergo, &c.

Secunda pars patet, nam qualitas verè habet contrarium, vt constat, habet etiam latitudinem graduum, cum non expellat à subiecto contrarium, nisi successiuè, ergo verè in ipsa datur motus.

Tertia pars patet, nam sursum, & deorsum, quæ sunt termini motus localis opponuntur, & inter ipsos terminos verè inuenitur spatium, ergo ad vbi verè datur motus, &c.

Obijc. primo. In generatione instantanea viuentis quantitas producitur in instanti, ergo ad quantitatem non est motus successiuus.

Resp. Dist. antecedens, per accidēs, concedo; per se, nego; nam quantitas per se producitur successiuè, vt patet in augmentatione animalis, quando nutritur, & in augmentatione non viuentium; licet per accidens possit produci in instanti, vt in argumento, &c.

Obijc. Secundo. Lux est qualitas, sed ista producitur in instanti, & similiter multæ aliæ qualitates intentionales, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam Concl. intelligitur de qualitatibus, quæ habent contrarium; modo lux, & qualitates intentionales non habent contrarium, ideò producuntur in instanti.

Obijc. tertio. Ad substantiam datur etiam motus successiuus, nam ignis paruus fit magnus per appositionem combustibilium, non statim, sed successiuè, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens ad probat. dicimus, quod ignis paruus fit magnus

gnus extensiuè, non verò intensiuè; nam in igne datur successio ex parte lignorum, non secundum se, quia substantia non suscipit magis, & minus.

Dices. Calor productus ab igne intenditur, & remittitur, ergo similiter ignis, & consequenter successiuè producitur; sequela prob. nam causa naturalis se habet eo modo, quo causatum naturale, sed calor, qui est causatum naturale ignis in vno indiuiduo est intensior, & in alio remissior, ergo, &c. Mai. patet, nam causa naturalis producit suum effectum secundum vltimum sui posse, &c.

Resp. Neg. sequelam, ad prob. dicimus, quod illa difformitas in calore non prouenit ex igne, ignis enim semper vniformem producit effectum, sed prouenit ex contrario impediente, scilicet ex frigore, vel ex extensione ignis, non verò ex eius intensione, &c.

Not. Quod de augmentatione, & alteratione fusius habetur tractatus proprius in libro de generatione, & corruptione; nunc verò, & in sequentibus libris de latione, seù de motu locali, &c.

Quæritur. In quot species accidentales diuiditur motus localis?

Resp. Quod primo diuiditur in motum naturalem, & violentum; secundo in motum rectum, & reflexum; tertio in motum velocem, & tardum; quarto in motum regularẽ, & irregularem.

Primo. Motus naturalis est, qui oritur ex interno principio mobilis secundum illius naturalem inclinationem, vt motus ignis sursum, & lapis deorsum; motus violentus est qui oritur ex aliquo extrinseco principio, & contra naturalem inclinationem mobilis, vt lapis sursum, & ignis deorsũ, &c. motus enim lapidis proiecti deorsum magno impetu, dicitur motus medius, naturalis quatenus deorsum, violentus quatenus manat ab impetu impresso, &c.

Secundo. Motus rectus est quando mobile directè est ad terminum; reflexus est quando mobile reuertitur circa eundem terminum à quo fuerat discessum, vt cum pila proijcitur in parietem est motus rectus; deindè cum eadem pila regreditur à pariete ad locum vndè fuerat egressa, est motus reflexus.

Tertio. Motus velox est ille quo mobile breui tempore multum spatium conficit; motus tardus est ille quo mobile multo tempore breue spatium pertransit, &c. Vndè velox, & tardum, in motu se habent, sicut rarum, & densum in corporibus, nam sicut rarum habet parum materiæ in magna quantitate, & densum habet multum materiæ in parua quantitate; sic velox est magna successio in paruo tempore; tardum verò parua successio in multo tẽpore, &c.

Quarto. Motus regularis est qui semper fit eadem velocitate vt motus cæli, irregularis econtrà est qui fit aliquando velociùs, aliquando tardus, vt motus grauium, & leuium, quod velocius mouentur in fine, quam in principio, vt suo loco dicemus, &c.

Quæritur secundo. Quot sunt species motus violenti.

Resp. Quatuor, ex 7. Phys. tex. 19. nempe pulsio, tractio, vectio, & vertigo. Pulsio est duplex, scilicet impulsio, & expulsio; impulsio est quando mouens in motu non separatur à moto; expulsio est quando mouens sic pellit illud mobile, quod separatur ab illo, vt quando aliquis proicit lapidem à se.

Tractio est quando mouens mouet aliquod mobile, trahit illud ad se, vel ad alterum, vt cibum ad os, &c.

Vectio tunc dicitur, quando illud, quod vehitur, seu portatur mouetur ad motum alterius, vt homo vehitur ad motum Nauis, quia est in Naui tanquam in vehente, & si est supra equum vehitur ad motum equi, &c.

Vertigo est motus compositus ex pulsu, & tractu, nam quando aliquod mouetur voluendo, ex vna parte pellitur, & ex alia parte trahitur, vt rota, &c.

Ex his colligitur, quod quilibet motus localis, qui est à motore extrinseco, aut est pulsio, aut tractio, aut vectio, aut vertigo, vel reducibilis ad aliquem istorum motuum, &c.

QVAESTIO II.

A quo sit desumenda vnitas motus?

IN hac q. non loquimur de vnitate intrinseca motus, nam talis sumitur à propria entitate essentiali, sed de extrinseca, quæ desumitur ab aliquo naturaliter distincto; huiusmodi vnitas est triplex, scilicet generica, specifica, & numerica. Vnitas generica motus est, quæ respicit terminos contentos sub eodem prædicamento vt motus ad lineam, superficiem, &c. dicitur augumentatio: & motus ad caliditatem, & frigiditatem dicitur alteratio. Vnitas specifica motus est ad terminos eiusdem speciei. Vnitas numerica motus est ad terminum numero, &c. quæstio etiam procedit de motu, quatenus abstrahit à successiuo, & instantaneo, &c. his positis sit, &c.

Pr. Concl. Ad vnitatē specificā motus non requiritur vnitas motoris, nec vnitas mobilis, pat. ex t. 31. vbi Philosophus loquēdo de specificatiuo motus non meminit motoris, & mobilis vt specificantis; patet etiam ratione, nam idem motus specie potest esse à diuersis motoribus, vt calefactio est eiusdē speciei, siue producatur à Sole, siue ab igne, siue recipiatur in ligno, siue in aere, ergo, &c. Item idem mobile potest moueri motibus diuersarum specierum, vt si idem mobile calefiat, & moueatur localiter, quod non fieret si vnitas specifica sumeretur à mobili, &c.

Secunda Concl. Motus non sumit vnitatem genericam, & specificam à termino à quo, sed à termino ad quē, est Scot. in 1. d. 13. q. 1. contra Albertum de Saxonia, sustinētem motum non solum specificari à termino ad quem, sed etiam à termino à quo, Prima pars patet, nam potest esse idē

specie

ſpecie motus à diuerſis à quo, vt eſt deſcenſus lapidis à concauo Lunæ, & à ſuperficie aeris, ergo, &c. Secunda pars prob. nam ad vnitatem ſpecificam termini ad quem conſequitur vnitas ſpecifica motus, itaut vnus ſpecie terminus ad quem non poſsit terminare plures motus ſpecie diuerſos, ergo terminus ad quem tribuit vnitatem ſpecificam motus. Item forma in fieri, & in facto eſſe eſt vna, & eadem, ſolum oppoſita ſecundum diuerſos ſtatus, ſed factum eſſe formę eſt terminus motus, forma in fieri eſt motus, ergo qualis fuerit terminus, talis fuerit motus.

Tertia Concl. Ad vnitatem numericam motus requiritur tria, ſcilicet vnitas ſubiecti, temporis, & termini, ſeu formæ: eſt communis cum Ariſtot. t. 34. & 35. quod requiratur vnitas ſubiecti patet, nam idem numero accidens non poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis naturaliter, ſed motus eſt accidens, ergo ad hoc, vt motus ſit vnus numero requirit vnitatem numericam ſubiecti. De vnitate temporis patet, nam ſi tempus interrumpatur etiam per minimam horam per ceſſationem motus, iam non erit amplius idem motus, ſed mobile, ſi poſtea mouebitur, alio motu mouebitur, &c. De vnitate formæ patet, nam ſi duæ ſunt formæ, duæ ſunt etiam fieri formæ, ergo duo motus numero.

Obijc. primo. Contra ſecundam Concl. motus ſurſum ignis, & lapidis ſunt ſpecie diſtincti, quia vnus eſt naturalis, alius violentus, ſed illi ſunt ad eundem terminum ad quem, nempè ſurſum, ergo motus non ſumit ſpecificationem à termino ad quem.

Reſp. Quod maior eſt vera intrinſecè, non extrinſecè, nam motus lapidis, & ignis ſurſum intrinſecè ſunt ſpecie diſtincti, quia vnus eſt iuxta inclinationem, & alter contra inclinationem; extrinſecè verò ſunt eiuſdem ſpeciei ratione eiuſdem termini ad quem, & hoc nullum eſt inconueniens.

Dices. Motus rectus, & circularis differunt ſpecie, ſed ſunt ad eundem terminum, ergo, &c.

Reſp. Quod maior non eſt vera ſimpliciter; nam linea recta, & curua ſunt eiuſdem ſpeciei, licet curuitas, & rectitudo differant ſpecie; ita dicendum de motu recto, & circulari, &c.

Not. Quod ad vnitatem ſpecificam motus requiritur vnitas ſpecifica termini ad quem, & quod forma fluens ſit eiuſdem ſpeciei cum forma terminante; ideò in latione, ſeu motu locali, in quo forma fluens non eſt eiuſdem rationis cum terminante, habetur ſpecificatio à ſpatio, &c. vel diſtin. mai. motus rectus, & circularis differunt ſpecie mathematicè concedo; phyſicè, nego; nam ſic ſunt ad eundem finem.

Obijc. ſecundo. Motus verſatur inter terminos contrarios à quo, & ad quem, ergo cum reſpiciat vtrunque terminum, ab vtroque ſpecificatur.

Reſp. Neg. conſequentiam, nam terminus à quo neceſſariò requiritur, non verò vt quid ſpecificatiuum, ſicut terminus ad quem; motus enim

Kk 2 cum

cum sit idem realiter cum termino ad quem non variatur variato termino à quo,&c. vt dictum est.

Obijc. tertio. Contra tertiã Concl. si canis cadat ex turri,& moritur in medio motus,tunc motus esset continuus,& vnus numero, sed mobile non esset vnus numero, sed duo,nẽpè canis,& cadauer,ergo ad vnitatem numericam motus non requiritur vnitas subiecti; idem patet de virga, cuius medietas sic viridis,& alia sicca, si moueatur deorsum,erit vnum numero motus,& duo sunt subiecta, scilicet virga viridis,& sicca,ergo,&c.

Resp. Dist. min. mobile non esset vnum numero, vt subiectum denominationis,concedo; inhæsionis, nego,nã licet canis viuus,&mortuus differãt nõ solũ numero,sed etiã specie, tamen illud corpus,in quo subiectantur accidentia est vnum numero,per idem patet ad confirmationem.

Obijc. quarto. Motus realiter distinguitur à mobili, & à termino ad quem, ergo Deus potest facere motum sine illis,quo facto, motus adhuc esset verè vnus,ergo, &c.

Resp. Quod dato casu, tunc motus non haberet vnitatem extrinsecam,sed tãtum intrinsecam,ergo,&c.

Obijc. quinto. Si aliquod mobile continuò moueretur per vnam horam,& in tertia, & quarta parte illius horæ nulla anima numeret motum, tunc in tertia,& quarta parte nullum esset tempus,tamen motus non desineret esse vnus, ergo ad vnitatem motus non requiritur vnitas temporis.

Resp. Primo, quod suppositum est falsum, nam impossibile est naturaliter non dari aliquam animam numerantem,&c. vel secundo dicimus, quod de ratione temporis,vt mensura intrinseca solum esse durationem, non autem numerationem; numeratio autem conuenit tempori, vt mensura extrinseca, & hæc non requiritur ad vnitatem motus.

Obijc. sexto. Motus ignis à centro terræ, vsque ad concauum Lunæ est vnus numero,sed perillum acquiruntur formæ,numero distinctè, vt sunt præsentiæ in loco terræ,aeris,& ignis, ergo, &c.

Resp. Ad min. quod omnes illæ præsentiæ continuant vnam præsentiam successiuam, & totalem, sicut partes quantitatis acquisitæ per augmentationem continuam vnam totalem quantitatem permanentem, dantem vnitatem motui, ideò,&c.

Quæritur primo. Ad vnitatem motus requiritur ne aliqua conditio?

Resp. Neg. loquendo de motu, vt motus est,aff. vt actio,nam sic requiritur vnitas Agentis totalis, & adæquati,& ratio est, quia motus quatenus actio prædicamentalis per se respicit agens tãquam subiectum illius, ergo vbi sunt talia agentia totalia sunt etiam duæ actiones,cum vnum accidens non valeat informare duplex subiectum, vndè Arist. non diminutè processit enumerando solum tres primas conditiones, quia non locutus fuit de motu,vt actio est, sed vt motus est.

Quæritur secundo. Vndè sumatur con-

contrarietas, motus?

Resp. A termino ad quem; patet, nam motus est acquisitio termini ad quem, ergo si termini ad quem contrariantur, consequenter etiam motus, qui sunt eorum acquisitiones; patet etiam ex t. 48. vbi Philosophus expresse docet multis rationibus, &c.

Not. Quod quando ex parte amborum extremorum, scilicet à quo, & ad quem contrariantur, tunc tales motus magis strictè sunt contrarij, vt frigefactio, & calefactio, &c. vndè cū motus sit via ad terminum, eadem compossibilitas erit in motibus, quæ est in terminis, & sicut non repugnant contrariæ qualitates in gradibus remissis, sic nec motus ad eas in eodem subiecto; & sicut inter solas qualitates datur propria, & rigorosa contrarietas, ita soli motus tendentes ad ipsas sunt contrarij, &c.

Finis Quinti Libri.

LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

In hoc sexto libro Arist. agit de diuisione motus in eius partes integrales, quas habet à mobili, & tempore: & primo ostendit continuum non cōponi ex indiuisibilibus; secundo probat indiuisibile non posse moueri, sed omne mobile esse diuisibile; tertio dicit, non dari primum in motu, dari tamen vltimum, seu mutatum esse. Tres igitur ponimus Disputationes, prima de continuitate, nempè de quantitate continua motus; secunda de diuisibilitate motus; tertia de inceptione, & desitione motus.

DISPVTATIO I.

De quantitate continua.

QVAESTIO I.
Quæ est ratio formalis constitutiua quantitatis?

PRÆTER ea, quæ diximus de quantitate in Logica cap. de quant. vt ibi videndum est, nunc verò pro supplemento talis disput. alias quæstiones examinabimus, & prima de essentia quantitatis; & licet ibi etiam sit examinata, tamen pro maiori explicatione alias rationes, & argumenta nunc adducimus.

Not. quod in quantitate hæ rationes reperiuntur, scilicet ratio mensuræ, quatenus mensurat substantiam, & reddit illam mensurabilem; secundo diuisibilitas, quatenus reddit ipsā sub-

substantiam diuisibilem; tertio extensio in se, quatenus facit substantiam extensam in se, & consistit in distinctione partium, quarum vna sit extra aliam; quarto extensio in ordine ad locum, quatenus facit substantiã extensam localiter, & consistit in cõmensuratione cum loco, & totum toti loco correspondeat, & pars parti, &c. his positis sit.

Prima Concl. Ratio mensuræ nõ est prima ratio constitutiua quantitatis; est contra Albertũ cap. de quant. prob. mensura non conuenit quantitati, nisi quantitas habeat extensionẽ in se, ergo non est prima ratio; antecedens patet, nam punctum ideo non est mensurabile, nec mensuratiuum vestis, quia non est extensum, ergo si quantitas est mensurabilis, & mensuratiua ideo est, quia est extensa in se, &c. Item quantitas est ens absolutum, mensura est relatiua, nam mensura alicuius est mensura, sed absolutum non constituitur per respectiuum, ergo, &c. Not. quod si per mensuram intelligimus mensuram radicalem, & sic potest poni pro essentia quantitatis, nam sic idem est, ac extensio in se, seu in toto; mensura formaliter non est prima ratio, nec actiua, nec passiua, mensura actiua est illa per quam aliquid mensuratur, vt lignum per palmum; passiua est ratio, qua subiectum redditur mensurabile, vt quantitas ligni reddit lignum mensurabile.

Secunda Concl. Nec diuisibilitas in partes; est contra Thom. quam opinionem videntur aliqui Scotistæ amplecti in Logica cap. de quant. de mente Scoti; Prob. nam talis diuisibilitas in partes non conuenit quantitati, vt ratio prima, quia diuisibilitas supponit extensionem in eo, quod est ita diuisibile, ergo, &c.

Not. diuisibilitas est duplex scilicet per corruptionem vnius partis nõ corruptis alijs, vt substantia redacta in puncto est diuisibilis hoc modo; similiter qualitas v. g. calor vt octo existens in puncto, &c. & per incisionem, vt lignum diuiditur hoc modo per ferrum in duas partes, &c.

Tertia Concl. Nec extensio in ordine ad locum; est contra Occham, & totam scholam nominaliũ; prob. nam potest dari quantum extensum in ordine ad se, & inextensum in ordine ad locum, ergo extensio localis non est ratio constitutiua quantitatis; antecedens patet in sanctissimo Sacramento Altaris, vbi Christus est quantus, & tamen non est extensus localiter; item Deus potest producere corpus quantum extra Vniuersum, sed ibi non est locus, ergo talis extensio non est ratio constitutiua quantitatis.

Quarta Concl. Extensio in ordine ad se, seu ad totum est formalis ratio constitutiua quantitatis; est Scoti in 4. d. 10. q. 1. contra prædictos Auctores, & similiter contra aliquos recentiores, nempe Suarez opinantem essentiam quantitatis consistere in ratione impenetrabilitatis, putat enim substantiam habere extensionẽ independenter à quantitate, & solum à quantitate habere impenetrabilitatem;

tem; prob. ex sufficienti diuisione; nam nec ratio mensuræ, nec diuisibilitas, nec extensio localis est ratio constitutiua quantitatis, vt dictum est, ergo remanet, quod extensio in ordine ad se sit eius ratio constitutiua. consequentia sequitur, &c. alias rationes videte in Logicis disput. de quant.

Secundo prob. Contra Suarez, nã essentia non potest tolli per quamcunque potentiam ab illa re, cuius est essentia, sed impenetrabilitas aliquando tollitur, vt patet de Christo Domino, qui exiuit de vtero Virginis absque fractione claustri Virginalis: resurrexit clauso sepulchro: intrauit ad Discipulos suos ianuis clausis, ergo, &c.

Obijc. primo. Christus in Sacramento Altaris existit formaliter quãtus, sed ibi non est extensus, quia est ad instar animæ rationalis indiuisibilis, scilicet totus in toto, & totus in qualibet parte, ergo quantitas non dicit essentialiter extensionem.

Resp. Dist. min. non existit extensus extensione locali, concedo: extensione in ordine ad se, nego; nã prima extensio pertinet ad prædicamentum situs, & consequenter ad quantitatem; secunda vero constituit prædicamentum quantitatis.

Dices. Extensio in ordine ad se dicit etiam quandam distantiam inter partes, sed Christus in Sacramento Altaris non dicit talem distantiã, quia Christus ibi existit vt in puncto, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod licet omnes partes corporis Christi ibi existẽtes sint vt in puncto, tamen adhuc erit distantia inter illas partes; nam magis distat pes Christi à capite, quam à pectore, quia plures partes intersunt inter caput, & pedẽ, quam inter pedem, & pectus.

Obijc. secundò. Substantia absque quantitate est extensa, ergo extensio non constituit quantitatem; antec. patet, nam si Deus tolleret quantitatem à substantia materiali, talis substantia non redigeretur in punctum, quia tunc non differret à substantia spirituali, nam vtraque esset indiuisibilis, & punctualis; item daretur motus instantaneus, nam ponamus punctum in quod deberet redigi tota substantia materialis esse in Oriente, & substantiam materialem in Occidente, tunc per ablationem quantitatis rediret in Oriens, sed ablatio quantitatis fieret in instanti, ergo talis regressus substantiæ esset etiam in instanti.

Resp. Dist. antecedens, est extensa extensione entitatiua, concedo; quantitatiua, nego; ad prob. dicimus, quod substantia materialis haberet partes entitatiuas extendibiles quantitatiuè, substantia vero spiritualis non haberet tales partes, & sic differrent. Ad aliud dicimus, quod substantia in tali casu remaneret in eodem situ secundum omnes sui partes, in quo prius erat sub quantitate, tamen in eo non erit indiuisibiliter ad modum Angeli, sed diuisibiliter scilicet erit tota in toto, & pars in parte, adhuc tamen non posset dici quanta, quia non ma-

maneret quantitatiuè, nempe impenetrabiliter extensa, sed penetrabiliter, nec faceret molem corpoream, nec eius partes essent inter se inuicem incompossibiles.

QVAESTIO II.

An quantitas sit realiter distincta à rebus quantis?

Concl. *aff.* Siue tales res sint accidentia, siue substantiæ; est Scoti in 2. d. 12. q. 9. & in 4. d. 12. q. 2. contra Nominales; prob. quantitas constituit prædicamentum distinctum à substantia, & cęteris prædicamentis, sed prædicamenta inter se sunt realiter distincta, ergo, &c. Item in sanctissimo Sacramento Altaris ex vi consecrationis, panis desinit esse, & remanet eius quantitas, ergo quantitas realiter distinguitur à substantia, cōsequentia sequitur, nam quæ possunt existere separatè, siue naturaliter, siue supernaturaliter, realiter distinguuntur, ergo, &c.

Resp. Quod in hostia consecrata non manet quantitas panis, quia destruitur ad destructionem panis, cum sit eadem cum ipsa; tamen manet quantitas albedinis; sed

Contra. Si diuersæ essent quantitates panis, & albedinis sequeretur, quod duæ quantitates se possent penetrali naturaliter in eodem loco, & situ, quod est falsum; sequela sequitur, quia tunc duo corpora dicerentur penetrari, quando hæ quantitates simul sunt in eodem loco, ergo cum in eodem pane, sit materia, & forma, albedo, color, &c. quæ haberent proprias quantitates identificatas verè se penetrarent.

Resp. Quod nullum est inconueniens, res diuersæ rationis, posse se penetrari, si sunt proportionatæ, & se habent sicut actus, & potentia, vt materia, forma, & accidentia; repugnat tamen si sunt eiusdem rationis, & disparatè, vt duæ materiæ, quia inter se non habent proportionem, &c. Sed

Contra. Quantitas repugnat esse cum alia quantitate in eodem loco naturaliter, quia quantitas, ergo siuè ponatur in forma in ordine ad materiam, quæ habent proportionem actus, & potentiæ, siuè ponatur in materia in ordine ad aliam materiā, quæ talem proportionem non habent in se, semper eandem repugnantiā retinebit, quia semper quantitas est, ideò, &c.

Secundo prob. concl. Frustrà multiplicantur entia sine necessitate, sed si identificaretur quantitas cum qualibet re corporea, sic esset, ergo, &c. min. patet, nam in quolibet composito tot essent extensiones in ordine ad locū distinctæ ex natura rei, quot sunt res distinctè in vnoquoque cōposito, ergo melius dicendum est, vnam esse tantum quantitatem in quolibet cōposito distinctam à substantia, & reliquis corporeis.

Obijc. primo. Ex Occhano: ex Aristot. in prædicamento substantiæ maximè proprium est substantiæ esse

Ll susce-

susceptiuum contrariorum, sed hoc conuenit quantitati, ergo non distinguitur quantitas à substātia; min. patet, nam videmus experientia quantitatem suscipere contraria, scilicet frigiditatem, caliditatem, &c.

Resp. Dist. min. conuenit quantitati, vt quo concedo; vt quod nego; nam substantia est susceptiua contrariorum, vt quod; quantitas vero vt quo, quatenus disponit substātiam ad recipienda accidentia, ideò ex hoc non sequitur, quod idem sit substantia, & quantitas.

Obijc. secundò. Substantia etiam si redigatur in punctum esset extensa, ergo nullum est signum distinguendi substantiam à quantitate; antecedens patet de substantia Christi existente in Sacramento Altaris, quæ redacta in puncto, & tamen in tali est extensa, &c.

Resp. Primo dist. mai. est extensa entitatiuè, concedo; quantitatiuè, nego, nam, &c. Vel secundo si substantia redacta in puncto habet extensionem quantitatiuam, tunc habet quantitatem superadditam, licet non habeat modum quantitatiuum, seu extensionem localem, quæ consequitur ad quantitatem, vt patet de corpore Christi in Sacramento Altaris, quod verè est extensum hac extensione, tamen non habet modum quantitatiuum.

Dices. Quænam differentia est inter substantiam Christi existentem in puncto in hostia cōsecrata, & aliā substantiam materialē expoliatam quātitate, si poneretur à Deo in alio pūcto?

Resp. Quod differunt in hoc, quia substantia Christi haberet in se principium formale talis extēsionis, quod est quantitas; illa vero substantia expoliata quantitate non haberet tale principium.

Dices. Vtraque est substantia materialis, ergo vtraque est extendibilis localiter.

Resp. Dist. consequens, radicaliter, & remotè concedo, formaliter, & proximè nego; nam radicaliter vtraque est extendibilis localiter; formaliter, & proximè solum illa, quæ habet quantitatem.

Obijc. tertiò. Quantitas, quæ ponitur in substantia, vel inuenit substantiam extensam, vel non: si primum, ergo substantia habet extensionem sine quantitate; si secundum, ergo informat substantiam indiuisibilem, quod est contra rationem.

Resp. Quod substantia absque quantitate habet aliquam extensionem scilicet ratione suarum partium entitatiuarum, sed non omnem extensionem, quia non habet extensionem quantitatiuam, ideò quando quantitas ponitur in substantia inuenit ipsam extensam entitatiuè.

QVAESTIO III.

An in quantitate cōtinua dentur vera, & realia indiuisibilia?

PRæsens quæstio intelligitur, tam de continuo permanente, quam succes-

successiuo, & quia continuum permanens est nobis notius, ideò de hoc mouetur quæstio; continuum permanens est cuius partes sunt simul, vt corpus, linea, & superficies; continuum successiuum, est cuius partes non sunt simul, vt tempus, & motus: indiuisibilia etiam sunt duplicia, scilicet permanentia, & successiua; permanentia sunt triplicis generis ex negatione triplicis extensionis, nam alia negant omnem extensionem, vt puncta; alia solum latitudinem, & profunditatem, vt lineæ; & alia solum profunditatem, vt superficies: successiua sunt duplicia, nempe instantia, quæ conueniunt tempori, & mutata esse, quæ conueniunt motui. Item talia indiuisibilia ponuntur in quantitate ad exercenda duo munera, scilicet terminare, quod exercent indiuisibilia posita in extremis partibus, quæ vlterius non extenduntur; & continuare, quod exercent circà partes, quarum vna extenditur ad aliam. Sensus quæstionis est, an dentur in quantitate continua talia indiuisibilia ad illa munera exercenda. his positis sit.

Concl. In continuo dantur actu indiuisibilia realia positiua, tum continuatiua, tum terminatiua: est Scoti in 2. d.1. q.3. & d.3. q.9. contra omnes nominales, negantes talia indiuisibilia à parte rei, & dicunt, quod vna est species quantitatis continuæ scilicet corpus, quod habet tres dimensiones, prout præcisè consideratur à nobis, nam prout consideratur cum longitudine, dicitur linea, cum latitudine, superficies, cum profunditate corpus; negant tamen, dari aliquam quantitatem, cui solum conueniat longitudo sine latitudine, aut latitudo sine profunditate à parte rei; contra Fonsecam, qui admittit indiuisibilia terminatiua, & negat continuatiua; & contra aliquos admittentes indiuisibilia continuatiua, & non terminatiua; contra Dur. & alios dicentes, talia indiuisibilia esse tantum priuatiua.

Prob. Prima pars, nam superficies continens locatum est aliquid reale, quia realiter locat: ex 4. Phys. t. 41. sed vt sic est indiuisibile, quia secundum vltimum locat, ergo, &c. Item partes realiter, & positiuè vniuntur in continuo, ergo medio aliquo reali; nam vnio realis non fit nisi medio aliquo reali, & consequenter indiuisibilia continuantia illas partes sũt realia, & positiua. Item indiuisibilia successiua sunt entia realia, & positiua, ergo similiter permanentia; consequentia sequitur: antecedens prob. nam mensura rei realis non potest esse negatio, quia inter mensuram, & mensuratum debet esse proportio, qualis non est inter positiuum, & priuatiuum; sed talia indiuisibilia, nempè instantia mensurant res positiuas, nempè mutationes instantaneas, vt illuminationes, generationes, &c. ergo, &c. quod dentur actu patet, nam actu continuant, & terminant.

Secunda pars prob. nempè, quod dentur indiuisibilia cõtinuatiua, nam continuum est cuius partes copulantur termino communi, ergo, sicut,

dantur partes in continuo, ita datur terminus vniens tales partes, sed talis est indiuisibilis, aliter non esset cōmunis vtrique parti, quia esset diuisibilis, & sic non secundum se totum vniret partes: Item si terminus ille esset diuisibilis, ergo haberet partes continuatas, alio termino communi; tunc de illo alio termino communi quæritur an sit diuisibilis, vel indiuisibilis, si secundum, ergo habetur intentum, quia non esset maior ratio de vno, quam de alio, si primum, tunc quæritur, vt supra, & sic dabitur processus in infinitum.

Tertia pars prob. nēpè quod dentúr indiuisibilia terminatiua, nam corpus perfectè sphericum non tangit perfectè planum nisi in puncto ex primo de anima t. 12. ergo in continuo dantur indiuisibilia terminatiua. Item omnis vltimus terminus ea parte, qua terminat est indiuisibilis, sed punctum terminat lineá, linea superficiem, & superficies corpus, ergo sunt indiuisibilia; mai. patet, nam si vltimus terminus ea ratione, qua terminat esset diuisibilis, cum omne diuisibile habeat terminum, sequitur, quod vltimus terminus habet vlteriorem terminum, & sic non esset vltimus. Item efficacius, continuum distinguitur à contiguo, quia continuum est cuius partes sunt vnum, contiguū est cuius partes sunt simul: ex 5. Phys. t. 22. & 6. Phys. t. 2. nam cum aqua est intra vas, partes aquæ sunt continuæ inter se, sed non cum vase; sed si tollantur indiuisibilia, tunc non esset maior vnio inter partes aquæ, quam inter aquā, & vas, ergo dicendum est, illas esse continuas, quia carent tali termino.

Obijc. primò. Maior proportio est inter diuisibile, & diuisibile, quam inter diuisibile, & indiuisibile, sed quælibet pars, quæ est diuisibilis seipsa vnitur puncto, quod est indiuisibile, ergo se ipsa poterit vniri comparti, quæ est diuisibilis.

Resp. Dist. mai. quoad entitatem concedo; quoad rationem vniendi nego; nam duæ materiæ magis conueniunt quoad entitatem, quam materia, & forma, & tamen magis vniūtur inter se materia, & forma, quam materia, cum materia; ita dicendum in casu.

Obijc. secundò. Indiuisibilia quantitatiua sunt accidentia, ergo debent habere subiectum sibi proportionatum, sed tale subiectū non est quantitas, quia est improportionata cum sit diuisibilis, ergo si darentur, tunc esset accidens sine subiecto.

Resp. Quod talia indiuisibilia non oportet, quod sint in subiecto adæquato, sed sufficit, quod sint in eodem subiecto, in quo sunt quantitates, quarum sunt termini, vt punctū est in tali subiecto, in quo est linea, cuius est terminus; linea vbi superficies, superficies vbi corpus; vel dicendum, quod talia indiuisibilia subiectantur in indiuisibili substantiæ.

Obijc. tertiò. Secluso indiuisibili terminatiuo, quantitas est finita, & terminata, cum per eius positionem, & remotionem quantitas nec augetur, nec diminuitur, ergo indiuisibile

ter-

terminatiuum est superfluum; consequentia sequitur, ideò ponitur tale indiuisibile ad hoc, vt quantitas terminetur.

Resp. Dist. antecedens est finita, & terminata positiuè nego; negatiuè concedo; nam dato casu, quod ipsa quantitas esset terminata negatiuè, scilicet haberet negationem vlterioris extensionis, non tamen positiuè, quia non haberet realem terminum ipsam realiter terminantem, & finiẽtem; quantitas enim secluso tali indiuisibili, nec esset finita, nec infinita positiuè, esset tamen finita, & infinita negatiuè: finita, quia haberet negationem vlterioris extensionis, infinita, quia non haberet terminum positiuum eam positiuè finientem, & terminantem.

Obijc. quarto. Partes quantitatis se ipsis possunt vniri, & terminare continuum, ergo sunt superflua ad ista munera exercenda; antec. patet, nam sicut partes qualitatis se ipsis vniuntur, & terminant qualitatem, ita partes quantitatis.

Resp. Neg. antecedens, ad prob. dicimus, quod idem dicendum est de qualitatibus, ac de quanto continuo; nam partes, & gradus qualitatis copulantur, & terminantur indiuisibilibus qualitatis, sicut partes quantitatis, ideò in qualitate sunt ponenda indiuisibilia, sicut in quantitate.

Obijc. quintò. Accidens reale absolutum non producitur per motum localem, sed talia indiuisibilia producuntur per motum localem; nam ex sectione corporis, quæ est motus localis producuntur noua puncta lineę, superficies, ergo non sunt accidentia realia.

Resp. Neg. min. nam illa indiuisibilia non producuntur per motum localem, sed emanare ab ipsis partibus separatis, vt patet de relatione, &c.

Dices. Indiuisibilia continuatiua ad hoc, vt vniant partes debent tangere illas partes, & illis inesse, sed hoc non potest esse, quia est maxima improportio inter diuisibile, & indiuisibile, ergo, &c.

Resp. Quod nullum reputatur inconueniens, quod indiuisibile inadęquatè tangat partem diuisibilem, & ei insit, ideò, &c.

Obijc. sexto. Indiuisibilia non sunt in continuo nisi potentia ex 8. Phys. cap. 8. & 1. Meth. tex. t, 2. ergo actu non sunt in continuo.

Resp. Dist. antecedens, quoad diuisionem concedo; quoad existentiam, nego, nam, &c.

Quæritur primò. An talia indiuisibilia realiter distinguantur à continuo, & inter se?

Resp. Aff. patet, nam repugnat eandem entitatem realem esse diuisibilem, & indiuisibilem, sed continuum est diuisibile, indiuisibilia non sunt sic, ergo, &c.

Not. quod talia indiuisibilia non possunt separari à continuo, nec per Dei potentiam absolutam, quia continuum dicitur tale, quia partes eius continuantur per indiuisibilia, ergo si separari possent, iam non esset amplius continuum.

Qua-

Quaeritur secundò. An talia indiuisibilia continuatiua, & determinatiua sint actu infinita?

Resp. Aff. contra quamplures Recentiores; prob. nam continuum est diuisibile in semper diuisibilia, ergo quibuscunque partibus ab eo separatis, aliæ manent separabiles in infinitum, sed quælibet pars habet sua indiuisibilia continuantia, & terminantia, ergo infinita indiuisibilia sũt actu in continuo, &c.

Dices. Si sic, ergo daretur infinitum in actu; *Resp*. Nullum esse inconueniens dari infinitum in actu rerum indiuisibilium, cum sint entia incompleta.

Ex hoc colligitur, indiuisibilia esse in triplici differentia; quædam actu terminant ipsum continuum; quædam actu cõtinuant partes ipsius cõtinui, & quædam neque actu terminant, neque actu continuant, sed solum in potentia terminare possunt, & hæc potentia reducitur ad actum per diuisionem.

QVAESTIO IV.

An continuum componatur ex indiuisibilibus?

PEr indiuisibilia intelligimus indiuisibilia Mathem. qualia sunt puncta, lineæ, & superficies, quæ nullas habent partes, ex eo capite, quo indiuisibilia sunt, per quod excludimus indiuisibilia physica, vt sunt minima naturalia, vt oculus pulicis, cuspis acutissima acus, & similia, quæ indiuisibilia dicuntur, non quia careant partibus, in quas à Deo saltem possint diuidi, & à nobis saltem mente distribui, sed quia talis diuisio fieri nequit ab agente naturali per instrumenta naturalia; & similiter excludimus indiuisibilia Metaphysica, vt sunt res spirituales, quia licet ista careant partibus integrantibus, tamen possunt occupare locum diuisibilem, ratione extensionis virtualis.

Sensus quæsiti est, an quantitas continua adæquatè componatur ex indiuisibilibus, itaut talis quantitas nihil aliud sit, nisi plura indiuisibilia, seu puncta simul coniuncta. Pro qua sit.

Concl. Neg. est Aristotelis in tex. contra Zenonem opinantem, continuum componi ex solis indiuisibilibus, vt linea ex multitudine finita punctorum. est Scoti in 2. d.2. q.9. soluendo secundum principale. Prob. primò: continuum est extensum, sed indiuisibilia non possunt facere extensum, ergo, &c. minor prob. nam ad hoc, vt aliqua simul iuncta faciant extensum se debent tangere, non secundum se totum, quia tunc vnum erit intra, non extra aliud, & consequenter non faciens continuum, seu extensum, sed se debent tangere secundum extremum; sed indiuisibilia non possunt se tangere secundum extrema, quia tunc indiuisibile tactũ haberet extremum, quod non esset totum sui ipsius, & consequenter haberet partes, & partes, & sic non esset indiuisibile, ergo, &c.

Di-

Dices. Contra hanc rationem; nã creat Deus vnum Angelum in vno instanti, & immediatè post creat alterum Angelum, sed tales productiones sunt immediatè, & vna esset extra aliam, ergo, &c.

Resp. Neg. min. nam inter illas productiones instantaneas semper mediat tempus, &c.

Secundò prob. nam si continuum componeretur ex indiuisibilibus, ergo indiuisibile esset diuisibile; sequela probatur, nam detur continuũ, quod constet ex tribus punctis, & super id concipiantur duo mobilia, quorum vnum moueatur duplo velocius altero, & quod ista duo mobilia simul moueantur super tale continuum, tunc eo tempore, in quo mobile velox pertransit totum continuum, mobile tardum pertransit solam medietatem, sed medietas talis continui est vnum punctum cum dimidio, ergo diuideretur punctum, & consequenter indiuisibile esset diuisibile, &c. Itẽ sequeretur, quod non omnis linea esset diuisibilis in partes æquales; nam detur linea constans ex nouem punctis, & diuidatur in duas partes, tunc vel vna pars constabit ex quinque punctis, & altera ex quatuor, & sic non esset diuisa in partes æquales, quod est contra Euclidem, vel vtraque pars constabit ex quatuor punctis cum dimidio, & sic punctum diuideretur, &c.

Obijc. primò. Sic se habet punctum ad lineam, sicut vnitas ad numerum, ex 1. Top. c. 14. Sed numerus componitur ex solis vnitatibus, ergo linea ex solis punctis; Item ex 1. Post. cap. 4. tex. 9. continuum essentialiter componitur ex indiuisibilibus, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam illa paritas in hoc consistit, quod sicut vnitas est principium numeri, ita punctum est principium lineæ; non verò, quod linea componatur ex solis punctis, sicut numerus ex vnitatibus; aliter enim numerus haberet positionem in continuo, quod negat Philosophus. Ad aliud dist. antecedens, ex indiuisibilibus, tanquam ex partibus integrantibus, nego; tanquam ex terminis siue continuatiuis, siue terminatiuis, concedo; nam, &c.

Obijc. secundò. Continuum potest diuidi in omnes illas partes, in quas est diuisibilis, sed dato casu, illæ partes essent indiuisibiles, aliter enim non esset facta adæquata diuisio totius continui, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. syncathegorematicè, concedo; cathegorematicè, nego; nam si esset diuisibile cathegorematicè in omnes illas partes, seu si posset diuidi actu in omnes illas partes, tunc tolleretur continuum.

Dices. Ergo frustrà esset talis potentia, cum non reduceretur ad actũ.

Resp. Neg. sequelam, nam reducitur ad actum syncathegorematicè, nõ cathegorematicè; nam impossibile est, quod continuum actu simul diuidatur secundum omnes partes, in quas est diuisibile.

Obijc. tertiò. Corpus sphericum non potest tangere planum, nisi in puncto, sed nulla pars est assignabilis

in

in plano, quæ non possit tangere corpus sphericum, ergo totum planum constat ex punctis.

Resp. Dist. mai. adæquatè, concedo; inadæquatè, nego; nam corpus sphericum secundum illud, quo tangit, quod est extremum illius corporis, & consequenter indiuisibile æqualiter, & adæquatè non tangit nisi punctum plani, inæqualiter, & inadæquatè tangit etiam partem diuisibilem illius plani.

Obijc. quarto. Successiuum diuiditur in indiuisibilia, ergo componitur ex indiuisibilibus; consequentia sequitur; antecedens prob. nam successiui nihil est actu nisi indiuisibile; si enim esset aliquid diuisibile, tunc simul esset successiuum, & non successiuum, quia etiam permaneret; item de tempore non est nisi nunc, ergo cum tempus sit successiuum post vnum instans sequitur aliud instans; consequentia sequitur, nam illud nunc indiuisibile transit raptim; tunc quæro, quid illi succedit? si indiuisibile, ergo habetur propositum; si diuisibile, ergo tunc successiuum actu non est, quia successiuum tunc actu est, cum eius indiuisibile existit.

Resp. Neg. antecedens, ad prob. dicimus, quod falsa est illa propositio successiuum tunc est, cum eius indiuisibile existit, nam successiuum etiá est, cum eius pars diuisibilis existit, sed non eodem modo, seu vniformiter, sicut quando eius indiuisibile existit; ad illud de tempore dicimus, quod non solum existit secundum nunc indiuisibile, sed etiam secundum partem inadæquatam respicientem præteritum, & futurum; quando dicitur, quid succedit illi indiuisibili? dicimus, quod succedit pars continua fluens, non autem indiuisibile, & hæc pars fluens succedit, quia continuum est immediatum indiuisibili; itaque nullum est inconueniens, successiuum esse etiam cum pars eius diuisibilis existit, licet non vniformiter; sicut linea nec etiam habet vniformiter esse in partibus suis diuisibilibus, & in punctis, nam in primis habet esse adæquatè, & proportionatè; in secundis verò inadæquatè, & improportionatè, ideò, &c.

Quæritur primo. An indiuisibile possit esse immediatum alteri indiuisibili?

Resp. Neg. de indiuisibilibus eiusdem continui; aff. si indiuisibilia sint distinctorum continuorum.

Quæritur secundo. An indiuisibile additum alteri faciat maius?

Resp. Neg. loquendo de indiuisibili quantitatiuo in quantitate continua, non in quantitate discreta, quia numerus ternarius est maior numero binario; aff. de indiuisibili entitatiuo primum patet vt supra, &c. Secundũ etiam patet, nam aliquid potest habere plures entitates, quas prius habebat, ergo, &c. Item ex duobus indiuisibilibus entitatiuis fit vnum totum, vt ex intellectu, & specie intelligibili fit vnum totum, sed omne totum est maius sua parte, ergo, &c.

Quæritur tertio. Qualiter est saluabile, continuum est diuisibile in semper diuisibilia, cum sit dabile minimum

nimum continui naturalis?

Resp. Quod datur minimum continui naturalis (seclusa forma substantiali illius continui) sed si consideretur eius forma inesse continui non est dabile minimum continui naturalis; hæc tria quæsita habet Ioannes de Magistris 6. Phys. q. 1. sciend. 2. &c.

QVAESTIO V.

An continuum constet ex partibus actu distinctis, & an tales partes sint finitæ, vel infinitæ.

PArtes in quantitate sunt duplicis generis; quædam sunt æquales, & quædam inæquales, seu proportionales. Primæ sunt illæ, in quas totum continuum æqualiter diuiditur, & habet inter se proportionem geometricam, vt lignum bipalmare diuiditur in duas partes æquales, seu in duos palmos: secundæ sunt illæ, in quas totum continuum distinguitur, quæ partes habent inter se proportionem inæqualitatis, seu arithmeticā. Primæ partes, nempè æquales dicuntur non communicantes, quia vna ponitur extra aliam, nihil de sua entitate communicando alteri; dicuntur etiam aliquotæ, quia sunt determinatæ, vt palmus est determinatus, & indiuisibilis in alios palmos; secundæ verò dicuntur inæquales, proportionales, indeterminatæ, & communicantes; dicuntur inæquales, quia in prima diuisione partes diuisæ sunt palmi, non sic in alijs diuisionibus, cum semper sint minores, & minores; dicuntur proportionales, quia semper in his seruatur proportio per medietates, & medietates minores, & minores in infinitum; dicuntur indeterminatæ, quia non habent certam extensionē, sed minorem, & minorem; vel quia carent termino suæ paruitatis; dicuntur communicantes, quia vna semper accipit aliquid de alia, vt semipalmus accipit medietatem palmi; itaque cū dictum sit in præterita quæstione, continuum non componi ex indiuisibilibus, ex eo autem facilè deducitur, constare ex partibus diuisibilibus, quę nunquam resolui possunt in indiuisibilia; his positis sit.

Prima Concl. In continuo dantur partes actu inter se realiter distinctæ, non autem diuisæ. Est Scoti in 2. d. 2. q. 2. & Scotistarum; contra quamplures Recentiores dicentes, in quantitate non esse partes actu distinctas, sed potentia. Prob. prima pars ex 5. Phys. t. 18. vbi habetur; quantum est diuisibile in ea, quæ insunt, sed est diuisibile in partes, ergo ei insunt partes, sed inesse, & actu esse idem sunt, nam quæ solum sunt in potentia non dicuntur inesse, ergo in continuo actu sunt partes, in quas potest diuidi. Item in cap. de quantitate definiens continuum dicit, esse id, cuius partes copulantur termino communi, sed actu non possunt copulari ipsi termino, nisi sint actu in ipso continuo, ergo, &c. Item continuum vel est compositum, vel simplex, non secundum, quia tunc repugnaret, ipsum separari;

 si pri-

si primum ergo in ipso dantur partes actualiter componentes ipsum; & etiam indiuisibilia, quibus partes copulantur, &c.

Secundò Prob. Ex suppositione Conc. Trid. sess. 13. cap. 3. vbi loquens de Christo Domino dicit, totum, & integrum Corpus Christi verè, & substantialiter contineri in hostia consecrata, & in singulis eius partibus etiam ante diuisionem, quod testimonium difficiliter explicari potest, si hostia non haberet partes integrantes, & continentia corporis Christi in singulis partibus hostiæ nō erit actualis, si non dentur partes actuales in hostia, sub quibus partibus actu continentur.

Secunda pars prob. Nam illa realiter distinguuntur inter se, quorum vnum potest separari ab altero, sed partes in continuo sunt huiusmodi, vt patet, ergo, &c. Item impossibile est, contradictoria verificari de eodem, sed si partes in continuo non essent realiter distinctæ, tunc contradictoria verificarentur de eodem, ergo, &c. min. patet, nam sit columna illuminata secundum aliquas partes, & non secundū alias, tunc si partes illuminatæ non essent realiter distinctæ à partibus non illuminatis, tunc eadem columna esset illuminata, & non illuminata, ergo, &c.

Secunda Concl. Tales partes proportionales in continuo realiter distinctæ, sunt infinitæ. Est Scot. in 2. dist. 2. q. 9. contra quamplures, etiam ex nostratibus Ioannem Canonicum 6. Phys. Prob. nam continuum est infinitè diuisibile in ea, quæ insunt, ergo partes, quæ sunt in eo necessariò sunt infinitæ, aliter continuum non esset infinitè diuisibile, &c. Item partes in continuo realiter distinctæ non sunt finitæ, ergo infinitæ; antecedens patet, nam si sunt finitæ, & ponamus, ipsas esse centum, tunc quæro, vel illæ sunt diuisibiles, vel indiuisibiles; non secundum, quia tunc continuum cōstaret ex indiuisibilibus; si primum, ergo erunt plures, quam centum.

Resp. Aliqui, illas partes nec esse finitas, nec infinitas actu, sed potentia, nempe esse finitas in infinitum; sed

Contra. Partes sunt actu in continuo, sed non sunt finitæ, alıter non essent diuisibiles, vt dictum est, ergo sunt infinitæ actu.

Tertia Concl. Tales partes quoad diuisionem sunt infinitæ in potentia, s. finitæ in infinitum; est communis; patet, nam continuum est diuisibile in partes in infinitum, &c. Item patet experientia, nam facta quacumque diuisione continui, potest etiam fieri alia in infinitum, ergo, &c.

Obijc. primo. Contra primam cōclusionem. Tales partes in continuo actu non sunt plura entia, ergo nec sunt actu in illo, nec inter se realiter distinctæ; antecedens patet, nam quod est actu ens, actu est vnum, sed singula illarum partium non est vnū ens, quia vnum est indiuisum à se, & diuisum à quocumque alio ex Aristotele, ergo cum illæ partes non sint actu diuisæ, nec actu sunt plura entia, &c.

Resp.

Resp. Neg. antecedens, ad probat. neg. min. cum dicitur, vnum est indiuisum à se, & diuisum à quocunque alio, dicimus, quod ly diuisum, ibi idē est ac diuersum, & sic licet omnes partes continui non sint diuisæ, sunt tamen diuersæ, & distinctæ inter se; patet in materia, & forma, quæ actu diuersæ sunt, & distinctæ, & constituunt vnum compositum; illæ partes dicuntur vnum in actu ex Aristotele, quia vnam constituunt, & integrant quantitatem, dicuntur plures in potentia, non quoad distinctionem, sed quoad separationem, & diuisionem.

Obijc. secundo. Quicquid est actu debet esse determinatum, vt colligitur ex 7. Met. 49. sed in continuo nulla facta signatione, aut diuisione, nec habetur determinatio, quia semper possunt sumi plures, & plures, ergo, &c. Item quælibet quantitas actualis habet propriam figuram, sed hoc non est dicendum in partibus nō diuisis, ergo, &c.

Resp. Dist. min. nec habetur determinatio extrinseca, concedo; intrinseca, negō; nam determinatio intrinseca fundatur in termino intrinseco, s. in hæcceitate rei, & hæc non pendet à diuisione, extrinseca verò fundatur in termino extrinseco, & hæc pendet à diuisione. Ad confirmationem peridem respondetur, nā quantitas actualis actualiter desumpta à termino extrinseco vtique habet certam figuram.

Obijc. tertio. Si partes essent actu distinctæ, ergo actu diuisæ; consequentia sequitur; nam sicut si partes essent diuisæ; tunc vna non includeret aliam, ita si partes essent inter se distinctæ, tunc vna non includeret aliam. Item sequeretur, quod nulla pars esset amplius distinguibilis in plures, & consequenter nec diuisibilis, quia diuisibilitas fundatur in distinguibilitate.

Resp. Neg. consequentiam, ad prob. dicimus, quod partes diuisæ vltrà exclusionem vnius partis cum alia, possunt etiam solitariè existere, quod non est sic dicendum de partibus distinctis tantum; ad aliud dicimus, quod diuisibilitas non fundatur in distinguibilitate, sed in actuali distinctione partium, & si non essent realiter distinctæ, tunc essent indiuisibiles, quia separari non possent.

Obijc. quarto. Quælibet pars continui est magis vna in se, quam cum alia comparte, sed ante designationē, vel diuisionem nulla pars est magis vna in se, quam cum alia comparte, quia in se non habet aliam rationem vnius, quam continuitatis, & hoc modo est etiam vna cum comparte, ergo ante designationem in continuo non sunt plures partes actu distinctæ.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod vna pars in se habet vnitatem intrinsecam ratione partium, quas includit; cum alia comparte habet vnitatem extrinsecam, quatenus illi vnitur, & hoc ab extrinseco aduenit, &c. & per accidens ei coniungitur, sed in se est vna vnitate continuationis intrinsecæ, & inclusæ; quatenus in se constituitur ex partibus, quæ habent

bent continuationem.

Obyc. quinto. Si partes continui sunt plures entitates in actu ab inuicem distinctæ, tunc sequitur, quod continuum non erit ens per se vnum, sed per accidens, ergo,&c.

Resp. Neg. sequelam, nam continuum ad hoc vt sit vnum per se vnitate continuitatis sufficit, vt partes eius copulentur termino communi; nam totum integrale continuum petit partes in potentia, vt potentia excludit actum totalitatis, & proprium terminum extrinsecum.

Obijc. sexto. Contra secundam Conclus. si in continuo partes sunt infinitæ, ergo componunt continuum infinitum; consequentia sequitur; nam quælibet pars habet suam partialem extensionem, ergo infinitæ partes causant infinitam extensionem, & consequenter componunt quantitatem continuam infinitam.

Resp. Neg. sequelam, ad prob. distin. consequens, causant infinitam extensionem syncathegorematicè, concedo; cathegorematicè, nego; nã partes æquales tantum extendunt continuum localiter, non autem partes proportionales, quia illæ partes mutuo se includunt, & ideò tantum sequitur, extensionem causabilem ab illis partibus esse syncathegorematicè, seù in potentia infinitam.

Dices. Distinctio realis fundat realem relationem in extremis, ergo si sunt infinitæ partes realiter distinctæ, etiam infinitæ sunt relationes.

Resp. Quod nullum est inconueniens esse infinitas relationes, sicut infinitæ sunt illæ partes realiter distinctæ.

Obijc. septimò. Continuum est finitum, & terminatum, ergo similiter partes sunt finitæ.

Resp. Dist. consequens. Partes æquales sunt finitæ, concedo; proportionales, nego; nam, &c.

Dices. Ergo datur infinitum in actu respectu partium proportionalium.

Resp. Concedendo sequelam; nam nullum est inconueniens dari infinitum in actu secũdum partes proportionales, cum hoc infinitum dicatur tantum infinitum secundum quid, quatenus tales partes nec habẽt principium, nec finem; non verò dicitur infinitum simpliciter, quod repugnat dari, vt supra dictum est in disputatione de infinito.

Obyc. octauo. Compositum potest resolui in suas partes, sed partes in continuo sunt infinitæ, ergo dabitur infinitum in actu; maior patet, nam magnitudo potest esse tantã in actu, quanta est in potentia.

Resp. Neg. mai. ad prob. dicimus, quod magnitudo potest esse in actu eo modo, quo potest, nempe syncategorematicè, aliter enim resolueretur in indiuisibilia; nam implicat dari aliquam partem non diuisibilem, ideo, &c.

Obyc. nono. Si daretur infinitas talium partium, tunc tolleretur motus; sequela patet, nam mobile antequam pertranseat aliquod spatium, debet prius pertransire illius medietatem, deindè dimidium illius dimi-

die-

dictatis, & sic deinceps minorem, & minorem in infinitum, ergo nunquā incipit motus, quia infinitum non potest pertransiri.

Resp. Neg. sequelam, ad probat. dicimus, quod sicut in spatio sunt partes minores, & minores in infinitum, ita & in tempore; vnde infinitum secundum partes proportionales potest pertransiri, pariter in tempore infinito secundum easdem partes.

Obijc. decimo. Partes proportionales istius continui sunt quantæ, & secum afferunt aliquam magnitudinem, nec vna se penetrat cum alia, sed occupat distinctam partem loci, ergo ex his partibus, cum sint infinitæ, consurget infinita magnitudo.

Resp. Neg. consequentiam; nam infinita magnitudo debet consurgere ex partibus infinitis determinatis, quarum vna non continetur in alia, sed ex partibus infinitis indeterminatis .i. minoribus semper, & minoribus in infinitum consurgit finita magnitudo; nam sit aliqua certa copia aquæ, & deindè diuidatur in decem partes, iterum confundatur, deindè de nouo diuidatur in centum, tunc illæ centum partes non conficiunt maiorem extensionem, quam illæ decem; quia talis processus fit semper versus minoritatem, & versus partes inclusas, & cōmunicantes, cum maioribus, & paucioribus, quæ proinde non faciunt extensionem maiorem, quam faciunt illæ maiores, & pauciores.

Quæritur. An accidentia corporea habeant partes integrantes ex se, an verò ratione quantitatis?

Resp. Quod habent proprias partes integrantes; Prob. nam inter subiectum, & eius accidens debet esse proportio, sed subiectum .s. substantia habet partes integrantes, ergo similiter accidens inhærens illi subiecto, &c. Item dum calor intenditur in manu talis motus est continuus, ergo habet partes copulatas termino communi, &c.

Dices. Accidentia supponunt quātitatem in substantia, quæ ex se habet partes, ergo ad quid ponendæ sunt partes de nouo in illis accidentibus.

Resp. Quod ex hoc, quod substantia, & quantitas habent partes, etiam alia accidentia debent habere partes, ad hoc vt inter subiectum, & illa accidentia sit debita proportio.

DI-

DISPVTATIO II.

De diuisibilitate motus.

Quaritur. Quomodo motus est diuisibilis?

Resp. Ex parte temporis, & mobilis ex tex. 34. primo ex parte temporis, in quo fit, quia sicut tempus habet partes post partes, & indiuisibilia. s. instantia, ita motus, &c. Secundò ex parte mobilis, in quo subiectatur, quia quicquid recipitur in aliquo recipitur per modum recipientis, & sicut in mobili sunt partes, & indiuisibilia, ita in motu sunt partes, quæ dicuntur motus partiales, seu moueri, penès quas mouetur subiectum; sunt etiam indiuisibilia continuantia, quæ vocantur mutata esse, & hæc subiectantur in indiuisibili subiecti; dicuntur mutata esse, quia supponunt motum iam fuisse, & per consequens mobile in tali esse dicitur mutatum.

QVAESTIO I.

An motus propriè dictus possit fieri in instanti?

SEnsus quæstionis non est, an remanente successione in motu locali, talis motus possit fieri in instanti; nam hoc implicat, cum successio essentialiter dicat prius, & posterius, quæ non possunt esse in instanti; sed difficultas est, an successio possit tolli à motu locali, ita ut motus localis transeat in mutationem instantaneam; Pro qua sit

Concl. Neg. est Scoti in 2. d. q. 9. Prob. motus localis intrinsecè includit successionem, ergo implicat, ipsum esse sine successione: Item mutatio instantanea non potest fieri diuisibiliter, & successiuè: Item sicut se habet mutatum esse ad instans, sic talis motus ad tempus, sed mutatum esse non potest mensurari tempore, ergo nec talis motus potest mensurari instanti. Item motus localis semper requirit distantiam termini à quo, & ad quem, ergo non potest fieri in instanti, in quo non est talis distantia, &c. Item motus localis fit supra spatium diuisibile habens partes priores, & posteriores, ergo implicat, mobile posse illas transire in instanti, nam prius, & posterius repugnant esse in instanti.

Obijc. primo. Ex Augustino in quæstionibus de Resurrectione, docente, corpora gloriosa pari celeritate attingere vtrumque extremum spatij, ergo moueri possunt in instanti, aliter enim non æquè primo attingerent vtrumque extremum.

Resp.

Resp. Neg. consequentiam; nam Augustinus locutus fuit de motu velocissimo, & de modico tempore, quod respectu nostri pro nullo computatur, non autem de motu in instanti.

Obijc. secundò. Noua distantia à termino est per nouum motum, sed in quolibet instanti mobile magis distat à termino à quo, ergo in singulis instantibus mobile mouetur motu lationis, & consequenter motus lationis potest esse in instanti.

Resp. Nego min. nam sicut punctum non facit aliquod maius in quantitate continua permanente, ita nec mutatum esse in motu, seu in quantitate successiua; distantia enim noua est ratione alicuius de nouo acquisiti, quod facit maius in entitate; mobile enim acquirit nouam distantiam in tempore, non in instanti.

Dices. Saltem substantiæ immateriales, quæ sunt indiuisibiles possent in instanti moueri, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens, nam non solum implicat, motum fieri in instanti ob resistentiam medij, sed etiã ob limitatam virtutem, vt supra dictum est, &c.

Colligitur primò. Illud, quod successiuè producitur per vires Naturæ potest fieri in instanti per virtutem diuinam, seclusa tamen successione. est Scoti in 3. d. 2. q. 3. vbi asserit, materiam corporis Christi in Incarnatione confluxisse in instanti ad locum aptum generationi in vtero Virginis, & etiam in instanti transmutatam omni alteratione necessaria ad organizationem corporis, & introductionem animæ; patet, nam successio in motu oritur ex resistentia contrarij, & ex virtute limitata agentis, quod non potest tam subito superare resistentiam introducendo formam, sed nulla resistentia est proportionata virtuti infinitæ, ergo, &c.

Colligitur secundò. Causa creata potest coagere Deo ad producendum effectum in instanti; est Scoti loc. cit. asserentis, Beatam Virginem concurrisse actiuè ad omnes istas alterationes, quæ præcedunt animationem, & hoc eadem virtute naturali immutata, qua ad easdem concurreret si generatio esset naturalis; patet nam non tollitur virtus naturalis causæ ex concursu superioris causæ, ergo talis ex speciali concursu causæ primæ potest influere in eundem effectum, in quem antè poterat cum concursu alterius causæ secundæ, ergo in terminum motus, &c.

Dices. Causa limitata respicit terminum per media determinata, ergo, &c.

Resp. Quod huiusmodi media supplentur à causa prima, ideò, &c. sicut causa inferior adiuta à causa perfectiori citius producit effectum in tempore, quam coagente causa imperfectiori, ergo adiuta à causa perfectissima (seruata proportione) adhuc perfectius producit effectum, & fit in instanti; argumentum fundatur in discursu Philosophi in hoc libro, vbi dicit, quod si maior virtus mouet in tempore, maxima virtus mouebit in instanti, &c.

QVAE-

QVAESTIO II.

An indiuisibile separatum possit successiuè moueri?

SEnsus quæstionis non est de indiuisibili substantiæ, quale est Angelus, & Anima; nam talia certũ est per se successiuè moueri; sed de indiuisibili quantitatis, non prout est coniunctum cum linea, sed de indiuisibili separato, num possit per se moueri motu continuo. Pro quæsit.

Concl. Indiuisibile (si diuinitus separetur) posset naturaliter successiuè moueri; est Scoti in 2. d. 2. q. 9. & Scotistarum; contra quamplures recentiores Thomistas, & alios existimantes, quod si daretur indiuisibile separatum non posset moueri localiter, nec naturaliter, nec supernaturaliter; alij vero dicunt, quod licet non possit moueri naturaliter, potest tamen supernaturaliter; Prob. primò. Corpus perfectè sphericum si moueatur super planum, tunc punctum illius corporis tangit illud planum, sed illud successiuè mouetur, ergo similiter punctum, &c. Item punctum in corpore successiuè mouetur, ergo similiter separatũ à corpore; sequela patet; nam idem inconueniens, quod est in puncto separato, vt non moueatur, est in puncto coniuncto, &c.

Secundò. Indiuisibile potest moueri à Cælo ad terram, sed in isto spatio sunt infinita vbi continuantia, ergo potest successiuè ipsa vbi pertransire; mai. patet, nam si non posset moueri esset quia mobile, quod mouetur motu continuo debet esse diuisibile, sed hoc nihil impedit, quia sufficit motui, vt suam successionem accipiat ex spatio diuisibili, &c.

Obiic. primò. Ex tex. 32. omne mobile est diuisibile; & 8. Phys. tex. 40. mobile esse continuum, sed hæc omnia repugnant puncto ob suam indiuisibilitatẽ, ergo etiam repugnat continuo moueri.

Resp. Dist. primam auctoritatem; omne mobile; quod mouetur motu continuo continuatione desumpta à mobili est diuisibile, concedo; à spatio tantum, nego; nam in motu locali est successio ex duplici causa, nempè ex diuisibilitate mobilis, & ex diuisibilitate spatij; punctum non est mobile ex se, itaut ex eius parte possit sumi continuitas motus, sed à spatio, quatenus prius pertransit vnam partem spatij, quam aliam, & ita in casu est successio ex parte spatij; ad secundam dicimus, quod Philosophus loquitur de motu continuo ex parte vtriusque .s. mobilis, & spatij, non tamen vnius, & ita dicitur ad consimiles auctoritates.

Obiic. secundò. Omne, quod per se mouetur necessariò est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, sed indiuisibile non potest esse hoc modo, cum non habeat tales partes, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. quando successio in motu est ex parte mobilis concedo;

do; quando est ex parte spatij tantum, nego; in casu indiuisibile non mouetur primo modo, sed secundo modo, ideò, &c. Vel secundo dist. maiorem, quod mouetur partim est in termino à quo, &c. Si est in loco circumscriptiuè, concedo; si definitiuè nego, indiuisibile enim non esset in loco circumscriptiuè, sed definitiuè.

Obijc. tertio. Mobile dum mouetur successiuè in spatio debet æquari partibus spatij, sed indiuisibile non est huiusmodi, quia indiuisibile cum non tangat nisi aliud indiuisibile, tunc illud spatium componeretur ex solis indiuisibilibus, quod est falsum, vt supra, ergo, &c.

Resp. Dist. maiorem, quando mobile est diuisibile, concedo; quando est indiuisibile, nego; nam nullum est inconueniens (vt dicit Mayron ad mẽtem Scoti) indiuisibile, quod mouetur supra spatium, tangere adæquatè aliud indiuisibile, & inadæquatè partem per modum viæ, & influxu; esset tamen inconueniens si tangeret partem in esse quieto, & permanenti.

Dices. Deus videt, quando indiuisibile tangit inadæquatè partem, ergo illud indiuisibile poterit ibi conseruari.

Resp. Dist. consequens, poterit ibi conseruari naturaliter, nego; præter Naturam, & violenter, concedo; nam si conseruaretur ibi priuaretur loco, aut spatio proportionato; sicut si petra descenderet ad centrum, detineretur in medio.

Dices. Indiuisibile tangens permanenter aliud indiuisibile esset in loco proportionato, ergo quando esset ibi, non moueretur indè, &c.

Resp. Concedendo consequentiã; si ibi non inferatur violentia; nam indiuisibile quamuis de se non posset moueri, sed virtute alterius agentis increati, vel creati, videlicet Angeli, vel alterius spiritus, tunc verùm esset dicere, quod indiuisibile separatum successiuè moueretur, & tangeret partem spatij influxu, & inadæquatè, & permanenter solum indiuisibile, nisi ipsi inferatur violentia.

Obijc. quarto. Ex tex. 86. Partes mobilis debent correspondere partibus spatij, sed indiuisibile non habet partes, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. quando motus sumit cõtinuationem à mobili, & à spatio, concedo; quando à spatio tantum, nego; nam motus alicuius indiuisibilis est continuus continuatione desumpta tantum à spatio, ideò, &c.

Quæritur primò. An indiuisibile possit moueri motu augumentationis, aut diminutionis?

Resp. Neg. quia tale indiuisibile, nempè punctum augeretur, & diminueretur, & consequenter esset diuisibile, & non indiuisibile.

Quæritur secundò. An possit moueri motu alterationis? & sensus est, an indiuisibile, nempè punctum possit recipere aliquam qualitatem, sic quod mutetur de vna qualitate in aliam?

Resp. Primò neg. quia tunc esset dabilis qualitas punctualis, vt albedo

punctualis, qua non posset dari minor, cum non esset diuisibilis; Item esset nullius virtutis, quia in infinitum remissa, & sic non posset agere, nec resistere; Item non esset qualitas, quia sicut punctum se habet ad quantitatem, ita illa qualitas punctualis ad qualitatem, sed punctum non est quantitas, ergo, &c.

Secundo probabiliter aff. cum Tatareto, nam tale indiuisibile potest recipere qualitatem finitam certæ intensionis, sicut Anima, & Angelus possunt recipere qualitates diuisibiles, quæ intenduntur, vt scientia, &c. Ita dicendum de tali indiuisibili, nempè de puncto separato; vel dicitur alterari per accidens, idest alteratur qualitate, quæ alterantur partes, quas cõtinuat adinuicem, loquendo de puncto coniuncto; ita Tatar. 6. Phys. dub. vltimo, &c.

DISPVTATIO III.

De Inceptione, & desitione motus.

QVAESTIO I.

An in motu dentur primum, & vltimum mutatum esse.

SVPPONIMVS, quod sicut in tempore dantur instantia, quæ sunt indiuisibilia temporis, ita in motu dantur mutata esse, quæ sunt indiuisibilia motus; dicuntur mutata esse, quia supponũt, motum iam fuisse, & mobile in tali esse dicitur mutatum; quæritur ergo in præsenti, nũ detur mutatum esse inchoatiuum, & terminatiuum, sicut dantur mutata esse continuatiua, quæ habent continuare partes ipsius motus, pro qua sit

Concl. In motu (pro fluxu formę) non datur primum mutatum esse, seù indiuisibile initiatiuum intrinsecũ, sed extrinsecum; tamen datur vltimũ mutatum esse, seù indiuisibile terminatiuum. Est Scoti in 2. d. 2. q. 9. §. ad aliud dico, &c. & Scotistarum .l. Tatar. in Physica in hac quæstione; contra Plazam, & alios præcipuè Scotistas affirmantes, dari in motu indiuisibile initiatiuum.

Prima pars prob. ex tex. 58. vbi Philosophus probat, ante omne mutari datur mutatum esse, & ante omne mutatum esse datur mutari, seù moueri in infinitum, ergo in motu à parte ante non datur primum mutatum esse, &c. Item motus fit in tempore, mutatum esse fit in instanti, sed ante omne instans præcessit tempus, ergo

ergo ante omne mutatum esse præcessit motus, &c. Item mutatum esse dicitur tale, quia supponit, motum iam fuisse, per quem mobile in tali esse dicitur mutatum, ergo ante motũ non datur mutatum esse, quod spectat ad illum motum fiendum, nisi tantum extrinsecum, cum motus non incipiat per suum esse, vt in sequenti quæstione.

Secunda pars patet de motu alterationis, nam quando producitur calor, vt octo, septem primi gradus producuntur in tempore, & successiuè, & semper penès illos subiectum est in motu; gradus verò octauus producitur totus simul in instanti per mutationem, per quam subiectum dicitur mutatum esse, vel aliter se habere, quam antea, quia ante semper erat diuisibiliter, & sub motu recipiendo partem post partem, nunc verò indiuisibiliter, & sine motu sub sola mutatione instãtanea, ergo in motu datur vltimum mutatum esse, &c.

Obijc. primò. Datur vltimum mutatum esse terminans motum, ergo datur primum mutatum esse initians motum.

Resp. Nego consequentiam; nam motus non desinit, nisi posito termino, & terminus quoad vltimum gradum non potest poni, nisi in instanti, & ideò productio talis gradus est vltimum mutatũ esse terminans motum, vltrà quod non est aliud moueri; tamen à parte ante non est sic, quia cum motus incipiat in tempore non datur aliqua pars eius, antequam non sit alia, quia transit per partem diuisibilem in infinitum, &c. Item mobile ante moueri non potest dici mutatum esse, ideò, &c.

Dices. Ergo motus versus principium esset infinitus cũ careat principio.

Resp. Quod sequela est vera tantum syncategorematicè, ideò, &c.

Obijc. secundò. Dantur duo indiuisibilia terminatiua, quæ terminant continuum permanens, nempè initiatiuum, & terminatiuum, ergo idem dicendum de motu; consequentia sequitur, quia vtrumque est diuisibile, &c. Item hora clauditur duobus instantibus, ergo similiter calefactio, quæ durauit vna hora clauditur duobus mutatis esse.

Resp. Nego consequentiam; nam quantitas permanens incipit in aliquo indiuisibili, vt linea incipit in puncto, & ideo potest habere indiuisibile initiatiuum, & terminatiuum; successiua verò non, sed in tempore, vt quãdo mouetur mobile localiter à loco, in quo est, non mouetur nisi in tempore, transeundo partem diuisibilem, quæ est diuisibilis in infinitum, &c. Vel secundò dicimus neg. antecedẽs, loquendo de quantitate permanente sub ea ratione, qua diuisibis est, quia sic est in potentia quoad partes proportionales, quarum nulla est prima, & sic non habet primam, aut vltimã partem sui, nec etiam habet primum, aut vltimum punctum; ad aliud dicimus, quod hora non incipit in instanti, nisi tantum extrinsecè, vt in sequenti quæstione, & est eadem ratio, sicut de motu, &c.

Obijc.tertio. Vbi est prius, & posterius, ibi est primum, ex 5. Met. sed in motu datur prius, & posterius; ex 4. Phys. ergo in motu datur primũ, sed illud non est pars, cum quælibet pars sit diuisibilis in infinitum, ergo est mutatum esse.

Resp. Dist. mai. secundum dependentiam, concedo; secundum successionem, nego; nam in motu non est prius, & posterius secundum dependentiam, quia vna pars motus non dependet ab altera, nec à mutato esse; adueniente enim vna parte, pars antecedens, & mutatum esse antecedens non manent, quod arguit independentiam vnius partis ab alia in existentia; tamen datur prius, & posterius secundum successionem, quia post vnam partem succedit altera, & ideò in ipso non datur primum; auctoritas Philosophi intelligitur de eo, quod habet prius, & posterius secundum dependentiam, &c.

Obijc. quarto. Deus potest in hoc instanti creare calorem tantum in vna parte ligni, tunc sic pars calefacta agit tempore sequenti in partem vicinam; quia agens naturale applicato passo non potest non agere, sed in tali casu daretur mutatum esse, ante quod non est moueri; ergo in motu datur primum mutatum esse, &c. minor patet, quia illa pars ligni esset calefacta, & mutata de non calido ad calidum absque motu antecedenti, ergo daretur mutatum esse ante moueri, &c.

Resp. Distinguendo min. daretur mutatum esse, quod spectaret ad motum sequentem, nego, quod esset extra illum, & extrinsecum, concedo; nam posito tali casu non daretur primum mutatum esse; quia illa mutatio, quæ introducitur calor, non pertinet ad motum sequentem; cui tale instans est extrinsecum; motus enim incipit in tempore, non in instanti, ideò, &c.

Obijc. quinto. Dato quod aliquod mobile quiescat per horam, & in vltimo instanti illius horæ incipiat moueri, & continuare motum suum per tempus sequens, tunc sic mobile antequã incipiat moueri, in tali casu nõ datur alius motus ex hypothesi, sed in illo instanti datur mutatum esse, quod incipit motum temporis sequẽtis, quia mobile tunc dicitur mutatũ, ergo ante moueri datur aliquod mutatum esse.

Resp. Neg. min. nam in illo vltimo instanti, illius horæ præcedentis non datur aliquod mutatum esse, quod incipiat motum temporis sequentis, quia illud instans antecedens motum est extrinsecum tali motui, quia est vltimum non esse talis motus, ideò, &c.

QVAESTIO II.

Quomodo incipiant, & desinant esse entia naturalia.

Entia naturalia sunt in duplici genere, quædam sunt permanentia, vt homo, leo; quædam successiua, vt tempus, & motus, Termini quibus

bus res dicuntur incipere, & desinere, sunt quatuor; nempè primum esse, & vltimum esse; vltimum non esse, & primum non esse, duo priores dicuntur intrinseci, quia quando assignantur, tunc ipsa res est, duo verò posteriores dicuntur extrinseci, quia quando assignãtur tunc res non est. Primum esse est instãs in quo est verum dicere; modo res est, & immediatè antea non fuit, vltimum esse est instans in quo est verum dicere modo res est, & immediatè posteà non erit, vltimum non esse est instans, in quo est verùm dicere modo res non est, & immediatè posteà erit, primum non esse est instans, in quo est verùm dicere modo res non est, sed immediatè antea fuit; præsens quæstio ponitur ad intelligentiam quæstionis prætentæ, pro qua sit.

Pr. Concl. Entia successiua incipiũt per vltimũ sui non esse, & desinunt per primum sui non esse. Prob. nam quotiescunque non potest assignari instans in quo possit dici res nunc est, & immediatè antea non erat, vel immediatè post non erit, tunc illa res nõ dicitur intrinsecè incipere per primum sui esse; & desinere per vltimũ esse; sed tantum extrinsecè; sed in rebus successiuis non potest assignari aliquod instans in quo possit affirmari, tales res tunc sunt in hoc instanti, & immediatè non erant; quia talia entia non possunt esse in instanti, ergo, &c. Item productio entium successiuorum, non est simul, sed fluens; ideò fit in tempore, quia non est assignabilis aliqua pars determinata illius temporis, in qua incipit intrinsecè motus, cũ ante illum fuerit alia, & alia in infinitum; in quibus præcessit motus; ideò recurrunt Philosophi ad instans extrinsecum, quod claudit tempus antecedens designantes inceptionem motus; per vltimum non esse eius, quod antecessit.

Secunda Concl. Entia permanentia, quæ producuntur in instanti, incipiũt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse, vt substantiæ, species sensibiles, illuminatio, qualitates, & omnia accidentia absoluta, quæ consequuntur ad substantiam; vt calor ignis, mutationes instantaneæ, & omnia, quæ simul, & non successiuè producuntur.

Prob. nam res dicitur intrinsecè, & positiuè incipere, & desinere, quando potest assignari instans in quo possit dici modo res est, & immediatè antea non erat; vel modo res est, & postea non erit; sed ita se habent supradictæ res, quia sunt permanentes, ergo, &c. Item productio supradictarum rerum est indiuisibilis, & tota simul, non pars post partem; ergo requirit mensuram indiuisibilem in qua ponatur, & talis mensura est instans.

Tertia Concl. Formæ substantiales, licet incipiant per primum sui esse, tamen in desitione desinunt per primum sui non esse; prima pars patet, nam formæ substantiales sunt indiuisibiles, & fiunt per generationem, quæ incipit per primum sui esse, ergo, &c.

Secunda pars prob. nam quando vna

vna forma corrumpitur, altera generatur, sed illa forma, quæ generatur incipit per primum sui esse, ergo si illa forma, quæ corrumpitur, desineret etiam intrinsecè; nempè per vltimum sui esse; tunc vel vltimum esse formæ corrumpendæ, erit primum esse formæ generandæ, vel post vltimum esse formæ corrumpendæ; sequitur primum esse formæ generandæ, vel inter vltimum esse formæ corrumpendæ, & primum esse formæ generandæ, intercedit aliquod spatium temporis; non primum, quia tunc in eodem instanti erunt duæ formæ substantiales naturaliter in eadem materia, quod non est dicendum naturaliter; nec secundum; quia sic duo instantia essent sibi inuicem immediata, quod nullus admittit, nec tertium; quia tunc in illo paruo tempore, quod intercedit inter primum esse, & vltimum esse; esset materia sine forma; quod naturaliter non potest esse. Itaque dicendum est, quod forma substantialis incipit per primum sui esse, & desinit per primum sui non esse, vt verbi gratia, quando ignis generatur in ligno primum esse formæ ignis erit primum non esse formæ ligni, & quando generatur aqua ex aere, primum esse formæ aquæ, dicitur primum non esse formæ aeris; nam idem instans mensurat intrinsecè generationem, & extrinsecè corruptionem; vel possumus dicere, quod forma substantialis etiam desinit esse per vltimum sui esse; nam nullum est inconueniens, quod in eodem instanti sint duæ formæ in fluxu, vna in desitione, & altera in inceptione, vt supra.

Quæritur primo. Quomodo incipiant, & desinant relationes.

Resp. Quod relationes intrinsecus aduenientes, quæ in instanti producuntur, incipiunt, & desinunt sicut permanentia: Relationes verò extrinsecus aduenientes, cum in eis sit motus, incipiunt, & desinunt sicut successiua.

Quæritur secundo. Quomodo incipiat, & desinat quies?

Resp. Quod si quies sit priuatiua nempè sit carentia motus in subiecto apto, tunc incipit, & desinit sicut motus, quia contrariorum eadem est ratio, si verò quies sit negatiua; nempè carentia motus in subiecto inepto, scilicet in instanti, tunc incipit, & desinit intrinsecè, sicut indiuisibilis motus.

Ex quibus colligitur, quod cum in motu dentur infinita indiuisibilia, ita & infinitæ quietes; negatiuæ, in quibus nequit esse motus; nec ex hoc sequitur, quod motus discontinuetur, quia ad motum discontinuum requiritur quies priuatiua, non verò quies negatiua, nam mobile in instanti, nec dicitur absolutè quiesci, nec moueri, solum dicitur quiesci, quando potest moueri, & non mouetur.

Quæritur quarto. Quomodo intelligitur illa propositio omne quod mouetur, partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem;

Resp.

Resp. Quod intelligitur de mobili, quod mouetur in tempore, & partibus quantitatiuis mobilis, nam omne quod mutatur in tempore, habet vnam partem quantitatiuam eius in termino à quo, & aliam in termino ad quem, intelligendo per terminum ad quem, & à quo, terminus proximos, inter quos non est medium, & in omni motu hoc est verum, ideò, &c.

Finis Sexti Libri.

LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.

Multi interpretes opinantur hunc librum non esse Aristotelicum, quia plura continet, quæ videntur spectare ad Octauum Librum, Simplicius, verò Auer. & quamplures doctissimi viri iudicant esse Arist. quia stylus, & doctrina consentit cum alijs libris ipsius, ideò nos etiam sic iudicamus, &c. Agit ergo Arist. in hoc libro de motu in ordine ad motorem; & ostendit omne, quod mouetur ab alio mouetur; omne mouens est simul cum re mota, & alterationem esse ad solas qualitates, tertiæ speciei, & deindè comparat vnum motum ad alium in velocitate, & tarditate, sed quia ea, quæ hic tractantur alibi videndum est, ideò, &c.

Finis Septimi Libri.

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

In hoc octauo Libro Physicorum Arist. agit de primo motu, & de primo Motore, & de primo mobili, & etiam de productione mundi. In præsenti verò tantum examinabimus disputationem de primo Motore; & de primo mobili, seu de motu Cælorum, & de productione mundi remittimus disputandum in libris de Cælo, & mundo ne de istis ibi sit inutilis repetio. Agit etiam Arist. in hoc libro de Elementis vbi de grauitate, & leuitate Elementorum, & à quo ipsa grauia, & leuia moueantur est disputandum.

DISPVTATIO

De primo Motore.

QVAESTIO I.

Quæritur primò. An cõsideratio primi Motoris spectet ad physicũ. *Resp.* Aff. sub ratione mouentis tantum in quantum alia depẽdent ab eo in mouendo, & transmutando; sed non quoad eius quidditatem; patet, nam Metaphysicus considerat causas in quantum causata dependent ab eis in essendo: Physicus verò considerat causas in quantum causata dependent ab illis in mouendo; tam actiuè, quã passiuè, ergo consideratio Motoris

Oo sub

sub ratione mouentis spectat ad Physicum.

Dices. Mouentia non mota non sunt physicæ considerationis, ex 2. Physicorum, sed primus Motor est mouens, & non motus, ergo.

Resp. Dist. mai. quidditatiuè, & eo modo, quo consideratur à Metaphysico, concedo; sub ratione mouẽtis nego, nam, &c.

Dices. Philosophus etiam habet considerare mouentia mota, non quoad quidditatem, sed sub ratione mouentis, & moti, ergo non magis debet dicere, quod mouentia mota sunt physicè considerationis, quam mouentia non mota.

Resp. Neg. consequentiam, nam mouentia mota cõtinentur sub obiecto physicæ, non verò mouẽtia non mota; ideò est dispar ratio.

Quaeritur secundò. An ex sententia Arist. primus Motor sit immobilis, & vnus?

Resp. Aff. nam omne, quod mouetur ab alio mouetur; ergo, vel dabitur processus in infinitum, quod non est dandum, vel debet dari aliquod vnum, quod non moueatur ab alio, & sit omninò immobile, & hunc vocamus primum Motorem immobilem vnum.

Dices. Mouetur à se ipso, ergo non est immobilis.

Resp. Nego antecedens, nam si moueretur à se ipso, vel moueretur ad aliquam formam, quam habet, vel ad aliquam formam, quam non habet, non primum, quia frustra moueretur, non secundum, quia sic foret ali-

qua perfectione.

Dices. Contrà secundam partem quot sunt orbes, tot sunt motores, & quodlibet est formaliter necessarius, sed plures sunt orbes, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. tot sunt motores immediatè mouentes, & non primi concedo; mediatè mouentes, & primi nego, nã licet plures sint æterni Motores formaliter necessarij, tamen est primus à quo omnes alij dependent.

Quaeritur tertiò. An sit simplex, & extra magnitudinem.

Resp. Aff. primum patet; nam si esset compositus, tunc non esset primus; quia cuiuslibet compositi partes præcedunt.

Secundum etiam patet, ex ipsomet Arist. nam si haberet magnitudinem, vel illa esset finita, vel infinita; non primum; quia in magnitudine finita non potest esse virtus infinita; nam data quacunque magnitudine finita posset dari maior, &c. nec secundũ, quia nõ datur, vt patet ex tertio Physicorum, disputatione de infinito, ergo, &c. Item si magnitudo esset finita, tunc virtus finita moueret in æquali tempore, cum virtute infinita, ideò, &c.

QVAESTIO I.

An ex mente Aristotelis primus Motor sit infinita virtutis.

INfinitum stat dupliciter (prout ad præsens spectat) primò extensiuè

uè ſupponimus aliquod eſſe; ſiue quoad durationem quatenus durat; vel mouet tempore infinito, ſecundo intenſiuè; ſiue quoad virtutem quatenus virtute continet infinitos effectus; quos ſimul vel ſucceſſiuè poteſt producere, à ſe; in hac quæſtione ſupponitur primũ Motorem eſſe infinitum extenſiuè quoad durationem, quia ſi motus eſſet æternus eius principium etiam erit æternum; alioquin eſſet actio ſine potentia actiua, & actus ſecundus ſine primo; difficultas tamen eſt de intenſiua, ſiue quoad virtutem, &c. Not. ex Scoto, quod per iſtam virtutem non intelligitur omnipotentia eo modo quo Theologi ponunt omnipotentiam in Deo, quæ eſt infinita potentia actiua efficiendi quodcunque etiam immediatè ſine cauſis; nam talem omnipotentiam non nouit Ariſt. cum poſuit neceſſarium eſſe ordinem, & connexionem cauſarum ſecundarum, ſed per infinitam virtutem intelligit potentiam actiuam infinitam in ſe in efficiendo quodcunque; tamen alligatum cauſis ſecundis, his poſitis ſit.

Concl. aff. Eſt Scoti quæſtione 7. quodlibet reſpondendo ad primum principale contra Piccolomineum libro de Cælorum Motoribus, & Auerroiſtas omnes opinantes ab Ariſt. non probari primum Motorem eſſe infinitæ virtutis, ſed tantum infinitæ durationis eo quod durat, & mouet tempore infinito. Prob. primò ex t. 78. & 12. Meth. t. 41. vbi Philoſophus docet, mouens motu infinito habere potentiam infinitam ſicut eſt primum mouens; nam ſi haberet potentiam tunc illa conſumeretur, & per conſequens non poſſet mouere tempore infinito.

Si dices, quod Ariſt. ibi intelligit de infinita potentia duratione, non virtute. Sed

Contra. Nam ibi Philoſophus probat primum Motorem eſſe extra magnitudinem, quia habet virtutem infinitam, ſed hoc non poteſt intelligi de virtute infinita extenſiua, ſecundum durationem; quia cum tali infinitate poteſt ſtare magnitudo, vt patet de Cælo, quod mouet tempore infinito, nam eſt actiuum, & agit lumine, & calore in iſtis inferioribus; & habet magnitudinem, ergo intelligit Philoſophus de infinitate intenſiua, ſiue quoad virtutem, quæ non poteſt ſtare cum magnitudine, ergo, &c.

Secundo prob. Nulla virtus poteſt mouere per infinitũ tempus, niſi vel à ſe, vel virtute alterius; ſi ſecundum, ergo neceſſariò eſt ſtandum ad aliquod primum, quod moueat à ſe; ſed mouens à ſe per tempus infinitum mouet potentia actiua, cum totali plenitudine eius, ergo cum primũ mouens moueat à ſe neceſſario habet potentiam intenſiuè infinitam.

Not. quod primus Motor ex eo, quod mouet, vel poteſt mouere tempore infinito demõſtratur præcisè ipſum habere potentiã infinitã extenſiuè ſecundum durationem, ſed ex eo, quod mouet à ſe, & extra magnitudinem optimè demõſtratur in eo, potentia infinita intenſiuè, ſiue

secundum virtutem.

Obijc. primo. Omnes aliæ intelligentiæ à prima mouent etiam tempore infinito sicut prima, ergo si ex motu æterno deducitur infinitas virtutis necessario cogimur fateri omnes Cæli motores esse infinitæ virtutis, &c.

Resp. Dist. antecedens omnes intelligentiæ mouent tempore infinito virtute primæ concedo, virtute propria, & à se, nego; nam ad hoc, vt aliquod inferatur esse virtutis infinitæ, oportet, quod moueat à se tempore infinito; modo cæteræ intelligentiæ motrices cælorum dependent à prima in esse, & in mouendo, & licet Arist. non fecisset mentionem de hac particula à se expressè, tamē est credendum ipsum illam subintellexisse, cum loquebatur de primo Motore.

Obijc. secundò. Eo quo primus Motor ex sententiā Arist. est infinitus, quo medio vtitur ipse Philosophus ad inuestigandam eius infinitatem; sed Arist. vtitur pro medio motu infinito, duratione, non vigore, ergo.

Resp. Secundam partem min. nam primus Motor ex eo, quod mouet motu infinito dicitur infinitus duratione, & ex eo, quod est extra magnitudinem dicitur infinitus virtute; non duratione propter [illegible] Cælo.

Dices. Primus Motor, vel potest velocius mouere, quàm mouet, vel non; si non, ergo non infinitæ virtutis, si primum, ergo [illegible] mouet, quia in æternum [illegible]

Resp. Dist. antecedens, ratione sui potest velocius mouere, ratione effectuum non potest; nam ratione sui potest velocius mouere, quàm mouet; quia habet infinitam virtutem, ratione effectuum non potest, quia est alligatus causis secundis, & mediantibus illis agit, &c.

Obijc. tertiò. Cuilibet agenti respondet proprium patiens ex 3. de Anima t. 17. ergo si ex sententia Arist. est agens necessarium, ergo produxisset mundum infinitæ molis.

Resp. Dist. antecedens respondet proprium patiens adæquatum, nego; aliquo modo, concedo; nam materia prima est passum proportionatum sub multis formis, & tamen non potest simul infusas. Ad aliud neg. consequentiam, nam est repugnantia ex parte effectus, & ipse non agit secundum totam suam virtutem, quia agit mediatè, vt infra, ideò, &c.

Obijc. quartò. Ex Gregorio Arimi. si primus Motor esset infinitus in vigore posset mouere quodcumque mobile etiam magnum, sed ex sententia Arist. hoc non potest esse, ergo, &c. min. patet ex 2. Cæli t. 70. vbi habet, quod si in aliquo orbium erraticorum essent plures stellæ, orbis vltimus esset in labore, nam mouet omnes orbes motu diurno, sed si potentia primi Motoris esset infinita non moueret cum labore, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod in eo loco non loquitur de primo Motore, sed de prima sphæra, quæ motu suo mouet alias sphæras ad

& li-

& licet Auerroes intelligat hoc de Motore separato, tamen non est verum, vt patet in text. &c.

QVAESTIO II.

An primus Motor moueat primum mobile mediatè, vel immediatè.

MOtor primi mobilis est duplex nempè propria intelligentia, quæ ipsum immediatè mouet, & primus Motor, qui mouet idem primum mobile per propriam intelligentiam ei appropriatam, cæteri orbes etiam habent propriam intelligẽtiam motricem vltrà primum Motorem, qui dat esse, & operatur omnibus illis intelligentijs; itaque primus Motor nullum orbẽ immediatè mouet; sed omnes mediatè, dicitur tamen principaliter, & appropriatè mouere primum mobile propter mobilitatem, & principalitatem eius pro qua sit.

Concl. Ex sententia Arist. primus Motor mouet mediatè primum mobile est Scoti in primo d. 8. q. 5. & quodl. q. 1. contra aliquos Auerroistas.

Prob. primo. Primus Motor est infiniti vigoris, vt patet præcedenti quæstione, ergo non potest mouere immediatè aliquod mobile; consequentia sequitur, quia moueret in non tempore; patet, nam quo virtus motiua est maior eo mouet in minori tempore, ergo virtus infinita mouebit in minori tempore in infinitum, sed non datur tempus minus tẽpore finito in infinitum; quia tempus est non tempus, ergò à primo ad vltimum sequitur, quod si mouet aliquod mobile mouebit mediatè, &c. Item cũ sit virtutis infinitæ moueret illud primum mobile in instanti, quod est falsum, nam ex Arist. illud mouet localiter in 24. horis, ergo signum est, quod mouet mediatè.

Obijc. primo. Philosophus naturalis demonstrat, dari primum Motorem ex vi motus, sed si primus Motor non mouet immediatè primum mobile, & vt efficiens, tunc hoc medium erit insufficiens, nec Philosophus naturalis poterit ostendere dari primum Motorem, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. vt est vnum primum immobile, concedo; quando moueat, nego; nam sufficit Philosopho naturali, vt per motum æternum deueniat ad vnum primum mouens, quando posteà moueat spectat ad Metaphysicum.

Obijc. secundo. Ex 12. Metaph. t. 43. ex numero orbium enumerantur Motores; sed hæc ratio non valeret si primum mouens non moueret immediatè primum mobile, quia tunc illud mobile haberet duos Motores, & consequenter non essent tot, quot orbes, sed plures ergo.

Resp. Dist. maiorem, ex numero orbium numerantur Motores immediati, concedo; qui mediatè mouent, nego; nam tot sunt Motores appropriati, & immediatè mouentes, quot sunt orbes tamen præter istos necessè

ſe eſt eſſe vnum Motorem, qui mediatè mouet omnes orbes, & ab eo habentur perpetuitas, & continuitas motus. Vel ſecundo dicimus, quod per primum mobile intelligitur aggregatum ex orbe, & intelligentia, & ſic huiuſmodi primo mobili aſſignatur primus Motor propter excellentiam illius mobilis. Videte Fabrum Theo. 55. c. 2.

Obijc. tertio. Ex 12. Metaph. tex. 38. primus Motor mouet primum mobile motu lationis, quo reliqua mobilia mouentur, ergo mouet efficienter primum mobile, & conſequẽter immediatè.

Reſp. Neg. conſequentiam, nam per primum mobile intelligit aggregatum ex intelligentia, & orbe, & ſic primus Motor mouet intelligentiam, dando illi eſſe, & virtutem mouendi, & ipſa poſteà immediatè mouet.

Dices: Si primum mouens non moueret effectiuè primum mobile eſſet otioſum, & ſuperfluum in mũdo ex Ariſt. ergo, &c.

Reſp. Neg. ſequelam antecedentis, nam munus primi Motoris non eſt reuoluere corpus cæleſte, ſed contemplare ſeipſum, vt habetur ex 12. Metaph.

Finis Octaui Libri.

LIBRI DE CAELO, ET MVNDO.

In Libris de Cælo, & Mundo, qui ſunt quatuor, Ariſtoteles agit de Corpore naturali in ordine ad vbi. In primo enim libro agit de toto Vniuerſo, quod eſt aggregatum ex Cęlo,& quatuor Elementis,tanquàm ex partibus primarijs; deindè oſtendit præter elementa, concedendum eſſe, dari quintam quandam naturam ſimplicem. In Secundo Libro agit de principaliori parte totius Vniuerſi, nempè de Cælo,& proprietatibus eius. In Tertio oſtendit Elementa generari, & corrumpi ad inuicem; deinde oſtendit plura eſſe Elementa, nõ tamen infinita. In Quarto explicat, & definit numerum, ſpecies,& naturam elementorum,&c.

NOT. quod hæc tractatio de Elementis differt ab ea,quæ habetur in ſecundo libro de generatione; nam Elementa tractantur hic, vt ſunt quædam partes,& Elementa Vniuerſi; ibi verò vt ſunt Elementa corporum mixtorum.

Diuidimus ea, quæ docet Ariſtoteles in his libris in quatuor diſputationes,quarum prima erit de Mundo in Vniuerſum; ſecunda de ſubſtantia, & natura Cæli; tertia de accidentibus Cæli,& iſtæ tres diſputationes reſpõdent duobus primis libris, & aliqua ex parte octauo libro Phyſicorum; quarta de Elementis, quæ diſputatio

respondet tertio, & quarto libro de Cælo, &c.

Not. Quod non ponitur à Parisiensibus tertius liber, quia est paruæ vtilitatis, ideò finito, & completo secũdo libro, ponitur quartus, ita habet Ioannes de Magistris in fine secundi libri, &c.

Quæritur. Quodnam est adæquatum subiectum horum librorum, seù scientiæ de Cælo, & Mundo?

Resp. Corpus simplex prout mobile ad vbi; patet ex conditione subiecti; Item est adæquatum subiectum, quia quæ hic tractantur sunt corpora simplicia, vt Cælum, Elementa, &c. non quatenus carent cõpositione, quia quodlibet Elementum componitur ex materia, & forma, sed quatenus carent mixtione, &c.

Dices Primo. Mobilitas est passio subiecti huius scientiæ, ergo non potest esse ratio formalis.

Resp. Dist. ant. prout dicit aptitudinem moueri ad vbi, concedo; pro principio talis aptitudinis, nego; nam quandocunque ratio formalis alicuius subiecti est innominata, ipsa potest conuenienter nominari, & circumloqui per nomen propriæ passionis, &c.

Dices secundo. Talis passio non dicitur conuertibiliter de corpore simplici; ergo non est propria passio, antec. patet, nam mixta animata, & inanimata mouentur ad vbi motu naturali, & non tantum corpora simplicia, ergo, &c.

Resp. Neg. ant. ad probationem dist. ant. mouentur ad vbi per se primo, nego; ratione partis, concedo; nam talia mixta mouentur motu naturali ad vbi, tantum ratione Elemẽti prædominantis; corpus verò simplex est mobile ad vbi motu naturali per se primo, & non ratione alterius; & ideò mobilitas ad vbi per se primo est passio huius subiecti, & conuertitur cum ipso, &c.

DISPVTATIO I.

De Mundo.

QVAESTIO I.

An Mundus sit ab alio?

MVNDVS hic accipitur pro vniuerso, quatenus est quoddam aggregatum ex Cælo, & Elementis, & ex his naturis, quæ intra ipsa continentur; & sic Mundus non est aliquod ens per se vnum, sed per aggregationem, & cum sit certum fide diuina, Mundum factum esse à Deo, ideò in præsenti est tantum difficul-

ficultas, num possit ostendi rationibus naturalibus, ipsum esse ab alio, .s. in genere causæ efficientis, &c. nec verò in præsenti quærimus, an sit ab alio cum nouitate essendi, scilicet in tempore, vel sine nouitate essendi, .s. ab æterno, quia hæc difficultas in quæstione sequenti examinabitur; pro qua sit

Concl. Aff. est Scot. in 1.d.8.q.1. prob. ex 12. Metaph. t.36. vsque ad 42. vbi docet, intelligentias, & mundum pendere à Deo in genere causæ finalis, ergo in sententia Aristotelis Mundus est ab alio in genere causæ efficientis; consequentia sequitur, nā finis est id propter quod agens agit, ergo cum mundus pendeat à Deo in genere causę finalis, debet etiam pendere in genere causæ efficientis; &c.

Secundo ratione. Mundus non est à se, ergo ab alio; ant. patet, nam quod est ens à se, est infinitæ perfectionis, quia à nullo dependet, sed Mundus non est infinitæ perfectionis, quia naturaliter est notum non dari plura entia infinita, & vnum esse ens improductum, ergo Mundus non est à se, &c.

Obijc. primo. Ex 2. Met. 14. principia semper existentia non habent causas, sed per huiusmodi principia Aristotelis intelligit Cælum, & Intelligentias, ergo, &c.

Resp. Neg. min. nam Philosophus ibi loquitur de primo Motore, & quamuis loquatur in plurali, tamen intelligit pro singulari, qui modus loquendi est frequens apud ipsum Aristotelem, nam 12. Met. t.28. loquitur de substantia separata in singulari, & t.30. transit ad plurale, &c. vel secundo dicimus, quòd ibi Philosophus loquitur de principijs scientiarum; quia volens reddere rationē, cur principia scientiæ sint certissima, ait, quia principia semper existentia, idest principia conclusionum non habent causas, &c.

Dices. Ex 8. Phys. 15. Aristotelis repręhēdit Democritem, eo quod his, quæ sunt perpetua assignauerit causam, sed Mundus in sententia Aristotelis est perpetuus, ergo, &c.

Resp. Quod Aristotelis ibi voluit redarguere Democritem, quia multa sunt æterna, & non habent causam, vt Deus, & multa sunt æterna, & habent causam, vt scientiæ, quæ sunt æternæ veritatis, & habent causam, .s. principia conclusionum, &c.

Obijc. secundo. Ex 1. de Gen. 12. ex nihilo nihil fit, ergo Mundus ex sententia Aristotelis non est ab alio, quia tunc debuisset produci ex nihilo, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam ex Aristoteli mundus fuit productus ab æterno per emanationem, .s. per actionem, qua necessariò ab æterno pendet à Deo absque eo, quod nunquam potuerit non esse, & sic quamuis in sententia Aristotelis, Cælum sit productum ab æterno, non tamen sequitur esse productum ex nihilo præexistente; nam impossibile est priuationem rei, aut eius nihilum posse præcedere eandem rem productam ab æterno, quare licet asseramus, mundum esse productum, tamen

nihil sequitur contra principia Aristotelis; nam radius Solis, vel lumen est effectus Solis, & necessariò pendet ab ipso per emanationem, & tamen eius priuatio non præcedit, ità in casu, &c.

QVAESTIO II.

An Mundus sit ab alio in tempore, vel ab æterno?

ARistoteles ductus lumine naturali, existimauit mundum esse ab æterno, vt acritèr defendit in 8. Phys. nam ibi probat tempus infinitum, motum infinitum, &c.

Aliqui enim dicunt, quod non est ità certum apud Aristotelem mundum esse ab æterno, sed esse probabile, & problematicum, quia in 1. Top. c. 9. proponit, an Mundus fuerit ab æterno, in hac quæstione nolo disputare, an apud Aristotelem hoc sit verum, vel probabile, & quia hoc negotium superat omnem humanam rationem, cum nullo sensu valemus reddi certi; ideò recurrimus ad lumẽ supernaturale, quærendo, an secundũ veritatem fidei diuinæ Mundus sit ab alio ab æterno, vel in tempore; pro qua sit

Concl. Mundus secundum veritatem fidei non fuit ab æterno, sed incæpit in tempore; est de fide, patet quampluribus locis Sacræ Scripturæ, Genes. 1. In principio creauit Deus Cælum, & Terram: Ioannis 7. Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te, antequam Mundus fieret &c.

Secundo ratione naturali; nam naturaliter est notum non dari infinitum in actu, nec secundum magnitudinem, nec secundum multitudinẽ, vt in 3. Phys. disp. de infinito, sed si Mundus esset ab æterno, & non cæpisset in tempore, tunc daretur infinitum in actu secundum multitudinem quia præcessissent infinitæ creaturæ saltem secundum numerum, ergo, &c.

Item singulis diebus potuit procreari vna anima, ergo cum infiniti dies elapsi sint, infinitæ quoque fuerunt productæ animæ rationales, sed ex mente Aristotelis animæ rationales sunt immortales, vt in proprio loco, ergo hoc tempore debebunt esse actu infinitæ animæ rationales, quod repugnat in sententia Arist. itaque certum est fide diuina Mundum incepisse in tempore, vt patet etiam ratione naturali, &c.

Obiic. primo. Deus quando produxit, vel egit necessariò; vel liberè, si necessariò, ergo ab æterno produxit Mundum; patet, nam cum Deus non indigeat subiecto ad producendum mundum, non potest assignari quid illi defuerit ad illum producendum; sicut si Sol fuisset ab æterno, lux illius etiam fuisset ab æterno; si egit liberè, tunc vel per voluntatem nouam, quam habuerit in tempore, vel per voluntatem antiquam, quam habuerit ab æterno; non primum, quia esset mutatus in seipso; si secundum, ergo Mundus debuit esse ab

æter-

æterno, aliter eius voluntas ab æterno fuisset inefficax, & sic debuisset mutari in tempore, & fieri efficax, &c.

Resp. Quod Deus quando produxit Mundum egit liberè. Ad illud quod infertur contra hoc, dicimus, quod Deus ab æterno habuit voluntatem producendi Mundum in tempore, non verò in æternitate, sicut .n. si quis habet voluntatem determinatam eundi Romam post tres dies cũ hac conditione, tunc elapsis his diebus pergit Romam, non dicitur mutari, quia non habuit voluntatem eundi Romam pro illo tunc, sed cum tali conditione .s. post tres dies; ità Deus ab æterno habuit voluntatem producendi Mundum non pro illo tunc, sed in tempore, & sic quando produxit Mundum non fuit mutatus, &c.

Obyc. Secundo. Si Deus non creasset Mundum ab æterno, sequeretur ipsum fuisse otiosum, & imperfectũ, sequela patet, quia caruisset omni operatione, sed esse sine vlla operatione est imperfectio, ergo, &c.

Resp. Neg. sequelam, ad prob. dist. mai. caruisset omni operatione ad extrà, concedo; ad intra, nego; nam Deus ab æterno nullam habuit operationem ad extra .s. extrinsecam, quæ operatio nihil addit ad perfectionem ipsius Dei, sed tantum denominationem extrinsecam, qua dicitur Creator, Conseruator, &c. tamen ab æterno semper operatus est ad intrà, contemplando, & amando seipsum, & Pater ab æterno produxit Filium, & Pater, & Filius Spiritũ sanctũ, &c.

QVAESTIO III.

An rationes, quibus Arist. probat, Mundum esse æternum facilè soluantur à nobis?

Concl. aff. Prob. solutione argumentorum, nam si

Obije. primo. Motus semper fuit, ergo & Mundus; consequentia sequitur, ant. prob. nam primum mouens vel fuit ab æterno, vel cæpit esse in tempore; si primum, ergo similiter motus, quia non est probabile infinitis sæculis ipsum primum mouens sine motu iacuisse; si secundum, ergo per motum, & consequenter ante illum primum motum erat alius præcedens motus, & sic in infinitum, ergo à primo ad vltimum motus fuit ab æterno, &c.

Resp. Neg. ant. ad prob. dicimus, quod primum mouens, quod est Deus fuit ab æterno, non tamen sequitur, quod debuit pro æternitate mouere, quia secundum fidem, non necessariò, sed liberè mouet. & secundum beneplacitum suæ voluntatis, &c.

Obyc. secundo. Tempus est ab æterno, ergo motus, cuius est mensura, & consequenter Mundus; antec. prob. nam si tempus non semper fuit, ergo per instans recepit esse, sed omne instans temporis, cum sit principium futuri semper supponit tempus præcedens, ergo quodcunque instans assi-

assignetur semper supponit tempus, & consequenter tempus semper fuit, &c.

Resp. Neg. ant. ad prob. dist. sequelam, recepit esse per instans extrinsecum concedo; intrinsecum, nego; nam non omne instans temporis supponit tempus præteritum, vt patet in omnibus instantibus extrinsecis, post quæ immediatè incipiunt durationes successiuæ motuum, qui fiunt in his rebus inferioribus, &c.

Obijc. tertio. Deus ex his, quæ sunt possibilia semper facit id, quod est melius, & conuenientius, sed melius est mundum fuisse ab æterno, quam cœpisse in tempore, quia melius est esse, quam non esse, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. absolutè, nego; spectatis circumstantijs, concedo; nàm Deus potest nunc meliora efficere, quæ nunquam efficit, & ideò licet absolutè loquendo, melior esset æternitas mundi, quam eius creatio temporanea, tamen spectatis circumstantijs rerum, erat congruentior creatio temporanea rerum, quia manifestat plenam libertatem Dei in agendo, & quod non indigeat creatura, sed per se sit omninò beatus. Item facilius demonstratur illa dependentia, quam creaturæ habent à Deo, quam si ab æterno extitissent, &c.

QVAESTIO IV.

An Mundus potuerit esse ab æterno?

IN hac quæstione supponitur, quod ea, quæ sunt in Mundo, vel sunt permanentia, quæ habent totum suum esse simul, vt Cælum, intelligentiæ, anima rationalis, homo, leo, &c. vel successiua, quæ non habent totum esse simul, vt tempus, & motus; duæ sunt opiniones extremæ in hac quæstione, prima est affirmatiua D. Thomæ; secunda negatiua Henrici, Alberti, & aliorum; Scotus verò in 2. d. 1. q. 3. videtur esse problematicus, & indicat fundamenta vtriusque opinionis esse probabilia; pro qua sit

Pr. Concl. Probabile est, Mundum secundum entia permanentia potuisse produci ab æterno; est Scoti in 2. d. 1. q. 3. §. tenentes primam opinionem, contra Albertum, Henricum, Marsilium, & alios quamplures opinantes, nullam creaturam potuisse produci ab æterno; prob. tamen nostra Cōcl. nam æquè, & benè saluantur omnia, quæ contra obijci possunt, ergo probabile est; ant. prob. solutione argumentorum; nam si

Obijc. primo. Athanasius in secunda ratione contra Arianos probat creaturam non posse esse Deo coæternam; Item Damascenus lib. de Fide c. 8. Ambrosius lib. 1. Exameron. c. 5. Augustinus 12. de Ciuitate Dei cap.

cap. 15; ergo, &c.

Resp. Sanctos Patres loquutos esse de facto, non verò de possibili, cum nulla repugnantia in verbis ipsorum reperiatur; vel secundo loquutos esse de æternitate imparticipata, & intrinseca, quæ est duratio solius Dei, non verò de æternitate participata, & extrinseca, quæ potest esse duratio creaturæ.

Dices. In definitione creaturæ tradita est ab Augustino lib. contra Felicianum, Arianum c. 7. includitur nouitas essendi, quæ non potest esse ab æterno, ergo, &c.

Resp. Non esse definitionem Augustini, sed descriptionem Arij, qua ad hominem vsus est Augustinus ad probandum filium Dei non esse creaturam.

Obijc. Secundò. Quælibet creatura tàm de facto, quàm de possibili est limitata in entitate, ergo de facto, & de possibili est limitata in duratione, & consequenter non potest commensurari æternitate.

Resp. Dist. vltimam consequentiam intrinsecè, concedo; extrinsecè, nego; nam ex argumento tantum sequitur, quod creatura in tali casu, sicut non haberet existentiam ex se, sed ab alio, ità haberet æternitatem, non ex se, & ab intrinseco, sed ab alio, & ab extrinseco.

Dices. Ità se habet æternum ad creaturam, sicut increatum, sed esse increatum, neque extrinsecè potest communicari creaturæ, quia poneret eam extrà suum statum, ergo neque æternum; mai. patet, nam esse increatum, & esse æternum æqualiter sunt conditiones necessariæ diuinæ existētiæ, ac eius prædicata modalia.

Resp. Neg. mai. ad prob. dicimus, quod esse increatum insequitur essentiam, esse æternum existentiam; ideò si creatura esset increata, tunc esset extra suum statum, tamen si esset æterna; scilicet extrinsecè, non esset extra suum statum, ideò dispar ratio.

Obijc. tertio. Quod productum est ex nihilo non potest esse æternū, sed creatura esset ex nihilo producta, ergo non æterna.

Resp. Dist. mai. quod est productum ex nihilo, dicente ordinem durationis non est æternum, concedo; dicente ordinem naturæ, nego; nam creatura data hypothesi esset producta ex nihilo, dicente ordinem naturæ tantum ad esse, seu ex nihilo negatiuè, non verò positiuè, & sic æterna ab extrinseco, &c.

Dices. Duo opposita contradictoria non possunt inesse eidem seruato ordine naturæ; sed seruato ordine temporis; sed non esse, & esse respectu eiusdem rei permanentis, sunt opposita contradictoria, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. positiuè, concedo; negatiuè, nego; nam duo opposita contradictoria non possunt inesse eidem seruato ordine naturæ positiuè, tamen in ordine naturæ negatiuè nullum est inconueniens, nam non esse prius negatiuè, inesset rei permanenti, quàm esse, idest non esse prius inesset ipsi rei permanenti, quātum

tum est ex se, quàm esse, nisi impediretur ab aliquo agente extrinseco, & loco ipsius non esse, daret esse, & sic diceretur non esse, negatiuè, non positiuè.

Obijc. quarto. In tali casu creatura esset producta: tunc sic, aut esset producta post eius non esse, aut quãdo est; si primum, ergo habetur propositum; si secundum, ergo esset in continuo fieri, & consequenter successiuum, quod est falsum, &c.

Resp. Quod esset producta post eius non esse negatiuè, non positiuè iuxtà ordinem, idest illud, quod est prius, .s. non esse creaturæ, non inest, sed est tantum aptum inesse, & inesset de facto si causa extrinseca non impediret. Item secundum membrũ, etiam esset verum in casu, idest creaturam semper produci, & semper esse productam; nec proindè sequitur esse ens successiuum, quia filius Dei sẽper generatur à Patre, & tamen est ens summè permanens, quatenus illud instans, in quo generatur, semper manet, &c.

Obijc. quinto. Si aliqua res permanens potuisset creari à Deo ab æterno, & huiusmodi res sit aliquod animal perfectum potens generare, tunc in tali casu daretur actu multitudo infinita, sed hoc non est dicendum, ergo, &c. sequela mai. patet, nam darentur infinitæ generationes illius animalis, & consequenter infinità animalia producta.

Resp. Neg. sequelam mai. ad prob. dicimus cum Scoto in 2. d. 2. q. 3. sub F; dato quod prædictum animal potuisset generare, tamen non sequitur talia producta esse infinita, quia ab illo nunc æternitatis, vsque ad præsens essent producta omnia illa indiuidua possibdia, quæ sunt finita, & non infinita, &c. vel dicimus etiam cum Scoto loco citato, quod dictum animal in nunc æternitatis non potuisset generare, quia generatio requirit ad introductionem formæ præuias dispositiones, quæ non possunt fieri nisi in tempore.

Dices. Ergo prædictum animal saltem quieuisset per infinitum tempus, vt indè fuisset potens ad generandum post instans æternitatis, quod non est dicendum, quia daretur infinitum in actu, .s. infinitum tempus, ergo, &c.

Resp. Ex Scoto loco cit. nullum esset inconueniens concedere, animal ab æterno creatum quieuisse per infinitum tempus imaginarium à parte ante, vsque ad instans, in quo generaret, & hoc propter exigentiam suæ generationis habentis essentialiter annexam mutationem à priuatione ad formam secundum ordinem durationis; sicut Deus oportet ponere, vt quieuisset à creatione illius per infinitum tempus, quasi imaginarium, &c. ita nullum esset inconueniens concedere, &c.

Secunda Concl. Probabile est, Mũdum secundum entia permanentia non potuisse produci ab æterno. Est Scoti loco cit. §. tenentes illam opinionem, contra Thomistas omnes; prob. solutione argumentorum, nam si

Obijc.

Obijc. primo. Nulla datur repugnantia, quare Mundus non possit produci ab æterno, ergo, &c. antec. prob. nam non esset ex parte Dei, quia est omnipotens, & non assignatur cur non possit ex parte sua, &c. nec ex parte Mundi, quia præscindit ab hic, & nunc, existere, & non existere, ergo sicut potuit existere in tempore, poterit etiam existere ab æterno.

Resp. Neg. antec. ad prob. dicimus, quod repugnantia est ex parte Mundi, & licet Mundus præscindat ab hic, & nunc existere, & non existere in hoc, vel illo tempore, non tamen præscindit ab omni duratione, .s. finita, & infinita .s. tempore, & æternitate; nam duratio sequitur esse rei, & sicut esse rei creatæ non præscindit à finitate, & infinitate, sed necessariò est intrà limites finitatis, ità nec præscindit à duratione æterna, & temporanea, sed necessariò est intrà limitem durationis temporaneæ, & consequentèr est repugnantia ex parte Mundi, eo quod est creatũ, &c.

Obijc. secundò. Perfectionis est in aliqua causa secunda habere effectũ coæuum, ergo hæc perfectio non est deneganda causæ primæ, sed causa prima .s. Deus est ab æterno, ergo non implicat ipsam potuisse producere effectum .s. Mundum sibi coæuum, .s. in æternitate, &c.

Resp. Neg. paritatem, nam effectus causæ secundæ esset mensurabilis eadem duratione, qua mensuratur illius causa, & ideò potest causa secunda habere effectum sibi coæuum; effectus verò causæ primæ non est mensurabilis eadem duratione .s. æternitate, qua mensuratur Deus causa prima, ideò, &c.

Dices. Maior, & minor duratio non ponit maiorem, & minorem perfectionem in creatura, quia non est essentialitèr perfectior durans per decem annos, quam durans per vnũ diem, ergo neque infinita duratio .s. æternitas ponit maiorem perfectionem in creaturis, & cõsequenter nulla est repugnantia, rem permanentē creari à Deo in æternitate, quia etiam staret possibilitas intrinseca ad deficiendum, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam in argumento fit transitus à duratione finita conueniente creaturæ, quæ siue maior, siue minor nõn ponit maiorem, & minorem perfectionem in creatura, ad durationem infinitam sibi repugnantem, quæ duratio poneret maximam perfectionem, &c. Item in hoc stat manifesta contradictio .s. quod creatura sit ab intrinseco defectibilis, & quod durat duratione infinita, &c.

Tertia Concl. Mundus secundum entia successiua non poterit produci ab æterno; est Scoti loco cit. est cõtra aliquos Neutericos opinantes, totum mundum etiam quoad motum potuisse esse ab æterno; prob. res successiuæ incipiunt extrinsecè, ergo necessariò est assignandum instans, in quo non sunt, & post illud immediatè erunt, sed hic ordo repugnat esse in æternitate, quæ est tota simul, ergo, &c. Nec valet dicere, quod

sufficiat ordo naturæ; quia incipere, & desinere in successiuis explicatur per instantia realia, siue per instantia durationis, & consequenter non sufficit ordo naturæ; nam successiuum, vt successiuum necessariò incipit extrinsecè, ergo debet assignari instans, in quo verum est dicere successiuum nunc non esse, & immediatè postea erit, & quia hic ordo repugnat æternitati, cum sit tota simul, ergo, &c.

Obyc. De facto Arist. posuit motum æternum, ergo nulla est repugnantia ipsum potuisse esse ab æterno; consequentia sequitur, quia si esset aliqua repugnantia in terminis fuisset nota ab Arist. & consequenter non posuisset talem conclusionem, &c.

Resp. Neg. consequentiã, ad prob. dicimus, quod Arist. multas contradictiones latentes concessit, vt notat Scotus in 2. d. 1. q. 3. littera E. ideò nõ est mirum, si de facto posuit motum æternum, quod est impossibile, &c.

Dices. Scotus quodl. 7. §. ad argumenta principalia, & in 4. d. 48. q. 2. §. ad quæstionem docet totum oppositum, ergo, &c.

Resp. Ad illud desumptũ ex Scoto quodl. 7. dicimus, ipsum non esse loquutum ex propria sententia, nam inquit ibi, Deum mouere motu infinito falsum esse secundum Theologos, multi tamen eorum concedunt, quod possit mouere motu infinito etiam à parte ante, &c.

Ad illud desumptum ex quarto dicimus, ipsum loquutum esse de infinitate motus à parte post, nã quærit, an in iudicio, vel post iudicium cessabit motus cælestium corporum, &c.

Quæritur. An ad rationem mutationis sufficiat, quod priuatio in subiecto præcedat natura ipsam formam?

Resp. Neg. est Scoti in 1. d. 9. q. vnica, littera A. & in 2. d. 1. q. 3. littera F. & alibi, prob. subiectum in mutatione aliter se habet, nunc, quã prius, idest aliquid nunc habet in se, quod prius non habebat, sed in priori naturæ subiectum non sic se habet, quia prioritas naturæ explicatur per concipi, & non per esse, ergo, &c. Ex quo sequitur, quod si creatura esset producta ab æterno, tunc non esse creaturæ non præfuit, sed præfuisset, si à Deo non fuisset impeditum producendo creaturam, ideò esset ibi generatio, & creatio in ratione productionis, non in ratione mutationis.

Dices. Si sic ergo generatio viuentium nunquam esset generatio in ratione mutationis, quod est falsum, quia omnis forma generabilis, & corruptibilis accipit esse per mutationem subiecti; sequela prob. susceptiuum animæ cuiuscunque non est materia, sed corpus, sed illud animatur in eodem instanti in quo formatur aliter actio Patris terminaretur ante animationem fœtus, & sic non diceretur Pater, ergo si in eodem instanti corpus animatur, tunc nõ diceretur mutari.

Resp. Neg. falsitatem ad prob. dici-

dicimus, quod non est vniuersaliter verum, formam generabilem, & corruptibilem debere accipere esse cum mutatione subiecti, sed sufficit, vt accipiat esse per veram actionem eductiuam; ita Scotus in 4. d. 43. q. 3. littera G. & in 3. d. 2. q. 3. §. ad tertium.

QVAESTIO V.

An Mundus in Vniuersum sit perfectus, & an sit vnus, vel plures?

PRima Concl. Mundus est perfectus in suo genere, non simpliciter, & absolutè, vt est Deus; prob. ex illo Gen. 1. Vidit Deus cuncta, quę fecerat, & erant valde bona, &c.

Secundo ratione, illud est perfectum in suo genere, cui nihil perfectionis debitæ deest; sed huiusmodi est Mundus, ergo, &c. Min. patet, nam perfectio alicuius totius desumitur ex perfectione partium, sed partes Vniuersi sunt perfectæ in suo genere, vt Cælum, Elementa, &c. ergo, &c.

Secunda Concl. Mundus est vnus; sed hoc non potest probari ratione naturali, potest tamen probari ex quibusdam congruentijs; prima pars patet ex sacra Scriptura, quæ loquendo de mundo semper loquitur in singulari, vt Ioannis primò, Mundus per ipsum factus est, &c. Item cuncta, quæ fecit Deus à principio in illis sex diebus inueniuntur in hoc Mundo, ergo non est alter Mundus, &c.

Secunda pars prob. nam creatio vnius Mundi, vel plurium est opus liberum Dei, ergo, quod fuerat vnus Mundus creatus, vel plures, est ex libera voluntate Dei, & consequenter non potest naturaliter probari vnicum esse mundum: Item Arist. 1. Cæli probat vnum esse Mundum pluribus rationibus non necessarijs, sed probabilibus, ideò, &c.

Tertia pars patet, nam hunc Mundum vocamus Vniuersum, quatenus vniuersa, quæ condidit Deus, sunt posita in hoc Mundo, ergo extra hunc Mundum non inuenitur alia res; aliter Mundus non benè appellaretur Vniuersum, &c.

Tertia Concl. Mundi possunt esse plures numero, & specie per Diuinā potentiam; est Scoti in 2. d. 1. q. 3. prob. nam non implicat ex parte Dei, quia est Omnipotens; neque ex parte Mundi, quia nulla est implicantia, quod sint alia corpora cælestia, & elementa numero diuersa, collocata in spatio imaginario, & etiam specie diuersa habentia diuersos influxus ab istis, & quod sint aliæ species habentes diuersas operationes, &c. ergo, &c. verùm est tamen, nos non posse distinctè percipere quæ nam, & qualia esse huiusmodi alia corpora, & ipsorum ordo, &c.

Diuus Thomas in 1. Cæli asserit, vnitatem esse conditionem Mundi; cogitur etiam asserere per nullam potentiam Dei posse fieri plures Mundos, &c. Scotus verò loco citato habet, quod possunt esse plures Mundi

siue successiuè, siue simul, siue concentrici, siue eccentrici per diuinam potentiam, &c.

Obijc. primò. Contra primam Concl. In Mundo sunt multa superflua, imò malefica, vt pulices, vermes, & mostra, quæ dicuntur defectus naturæ, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam hæc, quæ dicuntur esse imperfectiones Mundi, suo modo etiam conferunt ad eius pulchritudinem; quatenus per ea magis apparet pulchritudo aliorum bonorum, & præbent homini magnum augmentum patientiæ, & fortitudinis.

Obijc. secundò. Contra tertiam Concl. si possent esse plures Mundi per diuinam potentiam, tunc elementa mouerentur præpostero ordine; putà terra istius Mundi ad centrum alterius, vel econtrà, quod repugnat naturæ, ergo, &c.

Resp. Neg. sequelam; nam verũ est, omnia grauia tendere ad centrum deorsum, leuia ad extremum; tamen si plures essent Mundi, omnia grauia vnius Mundi tenderent ad centrum eiusdem, leuia ad extremum ipsius; alia verò alterius Mundi manerẽt ad proprium locum eiusdem Mundi, & non ad alterum, &c. vt patet in animalibus, nam omnes spiritus habent ortum à corde, non tamen omnes à corde vnius animalis oriuntur, sed à proprio cuius sunt spiritus, vel à proprio indiuiduo; ita dicendum in casu, &c.

QVAESTIO V.

An hic Mundus possit perfici in infinitum?

Concl. Mundus licet possit accidentaliter perfici, sicut de facto perficietur post diem iudicij, non tamen in infinitum. Est Scoti in 3. d.13. q.1. prima pars patet, nã potest Deus perficere omnes species secundum accidentia, vt Soli dare maius lumen, Elementis dare maiorem actiuitatem, ergo, &c.

Secũda pars patet ex illo Isaiæ c.7. Ecce ego creo cælos nouos, & terrã nouam; & c.3. ait, erit lux Lunæ, sicut lux Solis, &c.

Tertia pars prob. si perfectio Mũdi possit augeri in infinitum, ergo cũ sit permanens, nulla videtur repugnantia, quod tota simul non possit augmentari, quod est falsum, &c.

Obijc. primo. Contra primam partem ex Gen.1. Vidit Deus cũcta, quæ fecerat, & erant valdè bona, ergo nõ possunt amplius perfici, &c.

Resp. Dist. ant. erant valdè bona, quatenus in optimum finem erant ordinata, concedo; quatenus nõ erant amplius accidentaliter perfectibilia, nego; nam, &c. vel secundo erant valdè bona, quia non poterant essentialitèr perfici, concedo; accidentalitèr, nego; nam, &c.

Dices. Si Mundus possit accidentalitèr perfici, tunc Deus ei fecisset iniuriam, quatenus ipsum cum tali per-

perfectione non creasset, ergo,&c.

Resp. Neg. sequelam; nam Deus non creauit illum ex debito, sed ex merâ suâ liberalitate, ideò illi perfectionem, quam voluit, dedit, &c.

Obijc. secundò. Contra tertiam partem; si Mundus non posset augeri in infinitum, vel esset repugnantia ex parte sui, vel ex parte producentis; non primum, quia sicut tempus, & motus possunt durare in infinitum, ità perfectio Mundi potest augeri in infinitum, nec secundum, vt patet, ergo, &c.

Resp. Quod repugnantia esset ex parte sui, quia est indeterminato gradu perfectionis, cum sit finitus, & limitatus; cum dicitur, nō omnis progressus in infinitum repugnat formæ finitæ, vt patet de motu, & tempore; dicimus, quod progressus in infinitum repugnat formæ finitæ permanēti, qualis est perfectio Mūdi, &c.

QVAESTIO VI.

An Mundus possit conseruari in perpetuum cum solo concursu Dei generali?

Certum est, Mundum duraturū esse in perpetuum, vt patet ex illo Eccl.3. Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus perseuerant in perpetuum; & Psal.33. Fundasti terram, & permanet, &c. itaque terra in æternum stat, sed non in eo statu, in quo nunc est, nam post diem iudicij cessabunt motus Cæli, ac omnes aliæ generationes, cum motus Cæli sint propter generationes viuentium, & illis cessantibus, & motus Cæli cessabunt; nunc verò quæritur, an posito solo concursu Dei generali, Mundus possit durari in perpetuum; an verò requiratur aliud auxilium speciale, his positis sit.

Concl. Mundus in eo statu, in quo nunc est, posito solo concursu generali Dei, potest durari in æternum; prob. nam indiuidua licet continuò corrumpantur, tamen ex eorū corruptione fit generatio aliorum, ergo posito concursu generali Dei semper poterit talis generatio conseruari, &c.

Obijc. Res creatæ ex se non habent esse, ergo ex se tendunt in non esse, ergo ad hoc vt conseruentur, requiritur aliud auxilium Dei speciale, &c.

Resp. Neg. vltimam consequentiam; nam licet res creatæ tendant in non esse, quia ex se præcisè non possunt conseruari, tamen posito cōcursu generali Dei possunt conseruari, &c.

DI-

DISPVTATIO II.

De Cælo.

QVAESTIO I.

An Cælum sit corpus simplex?

CORPVS non dicitur simplex ex eo, quod nõ constat ex materia, & forma, quia quodlibet elementum dicitur corpus simplex, & tamen constat ex materia, & forma, sed dicitur simplex, quia non componitur ex elementis, vt ignis est corpus simplex, quia non componitur ex elementis, aer similiter, &c. corpus verò dicitur mixtum, quatenus constat ex quatuor elementis, siue mixtum sit animatum, siue non, &c. In hac quæstione quæritur, an Cælum sit corpus carens mixtione talium corporum simplicium, .s. elementorum, an verò sit mixtum ex illis? pro qua sit.

Concl. aff. Cælum est corpus simplex, ità Arist. in hoc 1. lib. Cæli t.8. contra Philosophos antiquos, scilicet Platonem asserentem, Cælum constare ex terra, & igne, ex terra ratione duritiei, ex igne ratione claritatis, & transparentiæ, & alios aliter dicentes, vt est videre in textu; prob. motus simplex debetur corpori simplici, sed motus circularis est simplex, ergo Cælum cui debetur talis motus circularis est corpus simplex; mai. patet, inductiuè de corporibus simplicibus, .s. de quatuor Elementis, quibus debentur motus simplices, vt Arist. habet in eodem loco citato, &c. & si aliquando contingat, quod aliquis motus simplex reperiatur in mixto, vt patet de motu lapidis deorsum, tamen ei non debetur primò, & per se, sed tantum ratione elementi prædominantis.

Not. Motus dicitur simplex, quatenus non est compositus ex motibus diuersis, vt ex recto, & circulari, & sic solum motus rectus .s. sursum, & deorsum, & motus circularis sũt simplices, & non ex alio capite dicitur simplex, &c. Motus dicitur mixtus, quatenus est compositus ex diuersis motibus .s. recto, & circulari, &c. Simplicitas, & mixtio in motu semper est petenda à linea simplici, vel mixta; linea simplex est linea recta, vel circularis; linea mixta est, quæ partim est recta, & partim vergit ad latera, seu obliqua; tunc in proposito motus dicitur simplex, quando fit super lineam rectam, vel circularem, vt motus elementorum, sursum, & deorsum, & motus Cæli circularitèr; motus dicitur mixtus, quando fit super lineam, quæ partim est recta, & par-

partim circularis, vt motus animalis, cum quærit cibum, &c. natatio, volatio, &c.

Obijc. primò. Non vnicuique corpori mixto debetur motus mixtus, ergo neque vnicuique corpori simplici debetur motus simplex,& consequenter ex hoc capite Cælum non debet dici corpus simplex, &c. mai. patet de lapide, qui est mixtus, & mouetur motu simplici scilicet recto, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam cum mixtum moueatur motu locali ad motum elementi prædominantis, loquendo de mixto inanimato, nullus alius locus ei debetur præter locum eiusdem elementi; sed corpus simplex necessariò est principiũ alicuius motus simplicis sibi proprij, vt patet inductiuè,&c. Itẽ vnumquodque corpus simplex habet proprium sibi locum, nam motus deorsum est naturalis terræ, & aquæ motus sursum est naturalis igni, & aeri, &c.

Obijc. secundò. Cælum quoad partes conuenit cum elementis in qualitatibus primis, quia aliqua pars Cæli est calida, & aliqua frigida, ergo est mixtum ex illis: Item Cælum est leuissimum, ergo participat de igne, qui est leuis; antec. patet; nam leuissimum est illud, quod super omnibus latis stat, &c.

Resp. Neg. antec. ad prob. dicimus, quod aliquæ partes Cæli sunt benè calidæ, vel frigidæ virtualiter, non formaliter, ideò, &c. Ad aliud dicimus, quod illa definitio leuissimi debet intelligi de illis, quæ sunt infrà spheram Lunæ, &c.

Obijc. tertio. Cælum saltẽ quoad partes habet leuitatem, & grauitatẽ, ergo Cælum est mixtum; antec. patet, nam planetæ, qui sũt partes Cæli aliquandò ascendunt, & aliquandò descendunt, ergo habent leuitatẽ,&c.

Resp. Neg. antec. ad prob. dicimus, quod partes Cæli propriè non ascendunt, neque descendunt, licet efficiantur proximiores, vel longiores centro, quia non omne, quod appropinquatur centro est descendere, sed solum si est infrà spheram Lunæ, &c.

QVAESTIO II.

An Cælum sit corpus simplex diuersæ naturæ ab Elementis?

Sensus quęstionis est, an Cælum sit vnum ex quatuor corporibus simplicibus, .s. an sit ignis, vel aer,&c. an verò sit quędam quinta essentia, & natura diuersa ab istis elementis? pro qua sit,

Concl. Cælum non est vnum ex elementis, sed est quędam quinta essentia; est Arist. in t. 8. contra Philosophos antiquos, scilicet Pithagoram, & Heraclitum, qui dixerunt, Cælum esse igneum; prob. prima pars, motus circularis per se conuenit Cælo, ergo Cælum non est vnum ex Elementis; consequentia patet, nam vni elemento debetur vnus motus simplex, sed si Cælum esset vnum

ex elementis, tunc illi conuenirent duo motus simplices, scilicet motus circularis, & rectus, sursum, & deorsum, ergo, &c. mai. patet ex 1. Cæli t. 8. simplicioris simplex est motus, &c. Item patet ex cōsensu omniū, &c.

Secundo prob. Nam quodlibet corpus, quod habet motum localem sibi connaturalem specie distinctum, debet etiam esse distinctum essentialiter ab alijs, quæ non habent talem motum, sed motus Cæli est motus simplex essentialiter diuersus à motu reliquorum simplicium, ergo cum quatuor sint corpora simplicia, scilicet quatuor elementa, Cælum est quintum corpus simplex distinctum ab istis, & sic est quędam quinta essentia, & natura; mai. patet, nam à diuersis proprietatibus licet inferre diuersitatem substantialem principiorū à quibus profluunt, ergo, &c. min. & patet, nam motus Cæli est circularis, motus elementorum est rectus, &c.

Not. motus localis rectus simplex attribuitur elementis secundum grauitatem, & leuitatem; vnde duo corpora grauia comparantur ad motum localem, sicut vnum corpus, similiter & duo corpora leuia; motus enim deorsum est naturalis aquæ, & terræ, motus sursum est naturalis igni, & aeri, &c.

Obijc. primo. Si aliqua pars Cæli esset in aere, vel moueretur sursum, vel deorsum, vel quiesceret; si primum, ergo esset ignis, si secundum, ergo vel esset terra, vel aqua, si tertium, ergo esset aer; & consequenter esset vnum ex elementis, &c.

Resp. Quod dato casu, tunc illa particula Cæli non moueretur nec sursum, nec deorsum, cum non haberet principium talium motuum, scilicet leuitatem, & grauitatem; nec etiam moueretur circulariter, cū tunc oporteret, quod habeat intelligentiā ipsam mouentem; nec etiam naturalitèr, nec violentèr quiesceret; sed præter naturam, &c.

Dices. Omne corpus naturale existens extrà proprium locum mouetur naturalitèr ad suum proprium locum, ergo si aliqua pars Cæli esset in aere, vel in terra moueretur naturalitèr ad Cælum, &c.

Resp. Dist. antec. omnē corpus naturale, quod mouetur motu recto, concedo; quod mouetur motu circulari, nego; nam, &c.

Obijc. secundò. Accidentia oriuntur ex natura, sed corpora cælestia, & sublunaria habent eadem accidentia, quia habent eandem quantitatē, raritatem, densitatem, lucem, calorem, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod ista sunt accidentia communia, ex quibus non arguitur identitas naturarum, &c.

Dices. Patres appellant Cælos igneos, & hoc ideò est, quia habent eandem naturam cum igne, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam Cęli appellantur ignei similitudinariè, nam ignis est lucidus, sicut sunt Cęli, &c.

Quæritur. Quare sunt tres motus simplices, scilicet sursum, deorsum, & circularis?

Resp.

Resp. Propter diuersas habitudines ad medium, scilicet ad centrum Vniuersi; nam motus, vel est à medio, vt motus sursum; vel ad mediū, vt motus deorsum; vel circa mediū, vt motus circularis, &c.

QVAESTIO III.

An Cælum cõstet ex materia, & forma secundum Philosophum.

CÆLVM est corpus simplex ex eo, quia non componitur ex quatuor Elementis, vt in præcedenti quæstione; nūc verò in hac quæstione quæritur, an saltèm componatur ex materia, & forma; ita vt in Cælo sit materia, & forma, vt partes componentes ipsum Cælum, tamquàm actus, & potentia; pro qua sit, &c.

Prima Concl. Cælum secundum Arist. non est compositum ex materia, & forma, quæ materia sit eiusdem rationis cum materia horum inferiorum; est Scoti in 2. d. Q. quæ contra Egidium, Occamum, & quamplures alios asserentes materiam, ex qua constat Cælum esse eiusdem rationis cum materia horum inferiorum; probatur; si Cælum constaret ex materia, & forma, sequeretur ipsum esse corruptibile, sed hoc est falsum, ergo, &c. sequela mai. prob. nam in quocunque est potentia contradictionis, ibi est corruptibilitas, sed in Cælo est materia, quæ est potentia contradictionis per ipsum Egidium, ergo &c.

Resp. Quod in Cælo licèt sit materia prima, quæ est potentia cõtradictionis, tamen nō sequitur ipsum esse corruptibile, quia forma Cęli cum sit perfectissima explet, & satiat totum appetitum materiæ. Sed

Contra. Nulla forma explet totū appetitum materiæ, nisi det oppositum priuationi alterius formæ, qua ei caret, sed forma Cæli non est huiusmodi, ergo, &c. min. patet; nam nulla forma dat oppositum priuationi alterius formæ, nisi in se virtualiter contineat illam, sed forma Cæli non est sic, quia non continet formas viuentium, nempè intellectiuam, aliter posset illas producere, ac exercere operationes illarum, ergo, &c. Ibi materia prima non idèo appetit formam, quia ab alia forma non satiatur, sed quia habet priuationem illius formæ, ergo materia prima licèt à sua forma satietur, non per hoc tollitur, quin in ipsa non sit appetitus ad alias formas; & consequenter Cælum ex se est corruptibile, &c.

Secundò. Si in Cælo esset materia eiusdem rationis cum materia sublunarium, ergo ipsi materiæ competeret definitio materiæ, quam tradit Arist. in primo Phys. nempè, quod sit subiectum primum, ex quo fit aliquid, &c. quod est falsum, quia tunc Cælum esset generabile, & corruptibile, ergo, &c. Si diceres, quod talis definitio est de materia, pro vt est in istis inferioribus, non pro vt est in corporibus cælestibus; Sed

Contrà Talis definitio est data de materia, vt materia est, ergo vbicumque reperitur talis materia, ibi esset

principium corruptionis; Item illa particula, ex qua fit aliquid est conditio essentialis materiae, ergo, &c.

Tertio. Methodus cognoscendi materiam primam est transmutatio, sed in Caelo non est transmutatio, ergo non possumus cognoscere, an in Caelo sit materia, &c.

Resp. Quod in Caelo inuenitur transmutatio accidentalis, quae potest esse methodus cognoscendi materiã; sed

Contra. Mutatio accidentalis non notificat materiam, quae est pars cõpositi, de qua est quęstio, sed tãtum notificat materiam, prout materia idem est, ac subiectum accidentium, ergo responsio nulla, &c.

Secunda Concl. Nec constat ex materia, quae sit diuersae rationis à materiá horum inferiorum, est Scoti vbi supra, contra Thomistas omnes asserentes, materiam Celi esse diuersae rationis à materia sublunarium; prob. nullum incorruptibile constat ex materia (sed per Arist. Cęlum est incorruptibile), ergo, &c. mai. patet, nam quod constat ex materia potest esse, & non esse; quia materia cum sit potentia passiua in primo modo per Thomistas, est potentia contradictionis ex 9. Met. t. 17. quia aliquid potest esse, & non esse, sed incorruptibile non est huiusmodi, ergo, &c.

Resp. Caietanus, quod illa materia est potentia passiua, & potentia contradictionis, quae respicit plures formas, quia illa habet annexam priuationem; modo Caietanus dicit materia Celi respicit vnam formam, ideò non est potentia passiua, & potentia contradictionis; vel secundo potentia duplex est, vel receptiua tantum, vel receptiua, & passiua simul; potentia primo modo non est potentia contradictionis, quia est ad vnam formam tantùm, vt est materia Celi; secundo modo est potentia contradictionis, vt est materia horum inferiorum, &c. Sed

Contra. Potentia passiua est illa, quę est indifferens ad actum, & negationem actus, quę dicitur etiam potentia contradictionis, quatenus ex se non repugnat esse sub extremis contradictorijs, sed illa materia, quae respicit vnam formam est indifferens ad actum, & negationem illius actus, ergo illa materia est potentia passiua, & potentia contradictionis, &c.

Secundo. Contra secundam distinctionem, potentia receptiua, & passiua simul est, quae agitur ab agente, & recipit formam per Caietanum, sed materia Celi recipiendo formam agitur ab agente, ergo, &c. min. patet, nam materia Celi ex se non habet actum, ergo habet illum ab alio, & consequenter recipiẽdo formam agitur ab alio; & sic Caietanus factis cõcedit, quod verbis negat, &c.

Secundo. Principaliter, materia Celi secundum Thomistas (seclusa forma Celi) est solum pura potentia, sed pura potentia non distinguitur à pura potentia, quia omnis distinctio est ab actu, ergo materia Celi, & sublunaris non possunt distingui, & consequenter sunt idem, sed materia horum inferiorum per Thomistas nõ

est

est in Cælo, ergo nulla materia est in Cælo, &c.

Resp. Caietanus, quod istæ duæ potentiæ distinguuntur per actus, quos per se primo respiciunt, & ad quos ordinantur; nam materia Cæli ordinatur ad formam Cæli, & alia materia ordinatur ad aliam formam, & sic est distinctio per formã, &c. Sed

Contrà. Nullum absolutum distinguitur essentialitèr per relatiuum, sed materia est ens absolutum de genere substantiæ, vt ordinatur ad aliud est relatio, ergo, &c.

Tertiò. Si in Cælo esset materia alterius rationis, sequitur, quod duæ essent materiæ primæ, quod est falsum; falsitas patet, nam vnum est primum efficiens, vnus est vltimus finis, ergo vna materia prima, &c.

Tertia Concl. In Cælo datur tantum materia analogicè, scilicet materia ad vbi, quatenus vna pars Cæli, quæ est in spatio B, est in potentia ad vbi, quod est in spatio C. Est Scoti vbi supra; patet ex 9. Met. t. 17. In æternis nõ est potentia nisi ad vbi, in quantũ scilicet est potentia ad motum, qui efficitur ab intelligentia ad hoc, vel illud spatium partiale, &c.

Item 8. Met. 12. Arist. monet, non omnes res habere omnes causas, quia substantiæ æternæ non habent causam materialem, vel si habent, non habent talem, qualem habent substantiæ corruptibiles, sed habent materiam solum mobilem ad vbi, ergo Cælum cum sit æternum non habet materiam, seu potentiam ad esse, sed solum ad moueri, &c.

Not. materia quatuor modis sumitur, primo pro ea, quæ est altera pars compositi; secundo pro vltima differentia indiuiduali, quæ dicitur materia, quatenus constituit rem in esse subijcibili, cum materiæ sit subijci; dicitur etiam materia totius ad differentiam materiæ, quæ est altera pars compositi; Tertiò, pro quantitate, quod habetur ex 1. de gen. 41. si nutrimentum sine augmento fiat, erit forma sine materia, idest acquisitio substantiæ sine quantitate; quarto pro subiecto motus, itaut quicquid potest moueri localitèr, & occupatiuè, censeatur materiale, vt habet Arist. 12. Metaph. 10. omnia, quæ mouētur habent materiam, &c. & omnibus his materijs nõ opus est, vt respondeat forma, sed solum ei, quæ est altera pars compositi; aliæ verò materiæ nuncupantur materiæ per similitudinem, & per quandam analogiam.

Obijc. primo. Contra primam, & secundam Concl. omne singulare sensibile constat ex materia ex 1. Cæli t. 92. sed Cælum est huiusmodi, quia aliud est Cælum, & aliud hoc Cælum, vt patet ex eodem textu, & 8. Met. 3. ergo, &c.

Resp. Dist. mai. omne singulare sensibile corruptibile constat ex materia, concedo; incorruptibile, nego; nam Cælum est singulare sensibile incorruptibile, &c. vel secundo dicimus dist. mai. constat ex materia, quæ est altera pars compositi, nego; quæ est corporeitas, & moles, concedo; nam, &c.

Obijc. secundo. Ex 2. de gen. 51. principia sempiternorum, & corruptibilium esse æqualia numero, & eadem genere, sed principia corruptibilium sunt materia, & forma, ergo similiter æternorum, scilicet Cælorum, &c.

Resp. Dist. mai. principia æternorum, & corruptibilium esse eadem intrinsecè, & formaliter, nego; analogicè, & secundum proportionem, concedo; nam corpus Cæli habet rationem materiæ, intelligentia verò rationem formæ, &c.

Dices. Vnica est forma Mundi, ergo vnica materia, &c.

Resp. Quod hæc instantia militat contra Thomistas, sed quicquid sit de hoc, dicimus, quod forma Mundi est ordo Mundi, seu essentia Mundi cōsurgens ex omnibus entibus illum integrantibus, & ita est vna materia totius respondens illi formæ, &c.

Obijc. tertio. Ex 2. de anima t. 2. substantia est triplex, scilicet materia, forma, & compositum; sed Cælum est substantia, & non est materia, nec forma, ergo compositū ex materia, & forma; &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam talis diuisio non est adæquata, aliter omnis substantia esset materia, vel forma, vel compositum; quod non est verum in substantijs abstractis; diuisio enim adæquata substantiæ potest esse talis, substantia, alia completa, alia incompleta; incompleta, alia per modum actus, vt forma, & alia per modum potentiæ, vt materia; completa, alia composita, alia simplex idest negans compositionem ex materia, & forma; simplex alia corporea, alia incorporea; prima includit compositionem ex partibus integralibus; secunda tollit talem compositionem; Cælum verò est substātia simplex corporea, ideò, &c. vel talis diuisio est de substantia generabili, & corruptibili, &c.

Dices. Corporeum, & materiale conuertuntur, sed Cælum est corporeum, ergo, &c. item immateriale, & incorporeum idem significant, sed Cælum non est incorporeum, ergo, &c.

Resp. Neg. mai. nam forma ligni est corporea, & tamen non componitur ex materia, & forma; ratio enim substantiæ corporeæ non consistit in componi ex materia, & forma, sed in habere partes extra partes, &c. Ad aliud dist. mai. immateriale, quod caret etiam quantitate est idem, ac incorporeum, cōcedō; quod caret tantum materia, nego; nam, &c.

Obijc. quarto. In Cælo reperitur quantitas, densitas, &c. sed talia accidentia supponūt materiam, ergo, &c.

Resp. Dist. min. supponunt materiam, quæ est pars compositi, nego; quæ est subiectū, concedo; nam, &c.

Dices: Quantitas consequitur ad materiam tanquam proprietas, ergo si in Cælo est quantitas, sequitur, &c. Item si quantitas non sequitur necessariò materiam, tunc tolleretur via ostendendi Angelos esse incapaces quantitate, cum possit dari substantia simplex, & quod sit quanta, ergo, &c.

Resp.

Resp. Neg. antec. nam quantitas consequitur ad substantiam corpoream, &c. Ad aliud dicimus, quòd via ostendendi Angelos esse incapaces quantitate, nō est illa scilicet, quòd quantitas consequatur materiam, sed ista, nempè; quia Angeli sunt substantiæ simplices simplicitate opposita compositioni, tum ex materia, & forma, tum ex partibus integrantibus, & ob id Angelus non est capax quantitate, adeò, &c.

Obijc. quintò. Moueri est materiæ, mouere est formæ ex 3. Phys. 3. sed Cælum mouetur localitèr, ergo, &c. Item Arist. 9. Met. 17. ait Cælum habere materiam, nihil prohibet, ergò, &c.

Resp. Dist. mai. moueri est materiæ, sumpta materia pro subiecto, concedo; pro altera parte compositi, nego; nam, &c. Vel dist. mai. moueri est materiæ intrinsecè, & formalitèr, nego; secundum proportionē, concedo; nam, &c. Ad aliud dicimus, quod Arist. ibi intelligit de Cælo, prout habet materiam mobilem ad vbi, sumpta materia pro quantitate, vel pro subiecto, &c.

Obijc. sextò. Cælum, vel est purus actus, vel pura potentia, vel cōpositum ex actu, & potentia, sed nō est purus actus, quia sic esset intelligentia, nec pura potentia, quia esset materia prima, ergo compositum ex his, &c.

Resp. Quod Cælū est purus actus in comparatione ad substantiam, quia non includit materiam; in cōparatione ad accidentia non dicitur purus actus, quia includit quantitatem, & alia accidentia, & per hoc differt ab intelligentijs, & substantijs spiritualibus, &c. vel secundo dicimus, quod Cælum est actus simplex, sumendo actum pro essentia, non verò pro altera parte compositi; dicitur simplex prout opponitur compositioni ex materia, & forma, non verò prout opponitur compositioni ex partibus integrantibus, &c.

Obijc. septimo. Cælum est corpus naturale, ergo habet naturam, sed natura dicitur de materia, & forma, ergo, &c.

Resp. Dist. consequens, habet naturam secundum ea, quæ natura dicit in recto, & formalitèr, concedo; secundum ea, quæ dicit in obliquo, nego; nam natura pro formali, & in recto dicit inclinationem passiuam ad motum, vt in disputatione de natura in 2. Phys. pro materiali verò, & in obliquo dicit materiam, & formam, &c. modo Cælum dicitur habere naturam in recto, nempè prout dicit inclinationem ad motum, &c.

Quæritur. An Cælum sit aliquo modo compositum, & qua compositione?

Resp. aff. Nam est primò compositum ex genere, & differentia, quia est substātia corporea mobilis incorruptibilis; substantia est genus, corporea cum alijs, est differentia; secundò est compositum ex partibus integrantibus, seu quantitatiuis, quia notum est ipsum habere partes quātitatiuas; tertio est compositum acciden-

cidentale ex ſubſtantia, & accidente, quia eſt ſubſtantia cum quantitate, & multis qualitatibus, vt ſunt virtutes, & proprietates, &c. quarto eſt compoſitum ex natura, & ſuppoſito, ſeu ex quidditate, & illo cuius eſt quidditas, vt homo, & humanitas, homo habet rationem ſuppoſiti, humanitas quidditatis, ſed hoc non eſt propriè compoſitio, &c. Cælum dicitur etiam hoc modo compoſitum, quia ex Ariſt. in hoc lib. t. 92. alterum eſt Cælum, & alterum eſt, hoc Cælum, &c.

QVAESTIO IV.

An Cælum ſecundum veritatem conſtat ex materia?

CÆlum, aliud eſt ſumptum pro Cælo Empyreo, & aliud ſumptum pro Firmamento; Cælum primo modo eſt ſedes Dei, & Beatorũ, & fuit creatum à Deo in prima die, iuxta illud Gen. 1. In principio creauit Deus Cælum, & terram; Cælum ſecundo modo eſt aggregatio orbiũ ab octaua ſphera vſque ad Orbem Lunæ ſimul cum igne, & aere, & fuit creatum in ſecunda die, iuxta illud Gen. 1. Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & vocauit firmamentum Cælum; his poſitis ſit, &c.

Prima Concl. Cælum Empyreum caret materia; patet ex Pſalm. 113. Cælum cæli Domino, ſed talis geminatio apud Hebræos ſemper dicit excellentiam, vt cum dicitur Deus Deorum, Canticus canticorum, ergo, &c. Si Cælum Empyreum dicitur Cælũ cæli debet excedere in excellentia omnes alios cælos, quod eſſe nõ poſſet, ſi non fuiſſet expers materia, &c. Item omnes Patres tribuunt Cælo Empyreo puriſſimam claritatem, & tollunt ab ipſo motum, ergo caret materia, quæ eſt ex ſe principium mutabilitatis: Item congruum eſt, ſedem Dei, & Beatorum eſſe expertem materia, ergo, &c.

Secunda Concl. Cælum pro firmamento, ſeu pro aggregatione omnium Orbium conſtat ex materia, quæ eſt eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum; eſt Scoti in 2. d. 14. q. 1. patet, nam in primo die, quando Deus creauit Cælum, & terram, creauit etiam ſimul cũ eis aquã, quæ replebat illud ſpatium inter Cælum, & terram, quod ſignificatur per illa verba Gen. 1. Et tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi; & Abyſſus idem eſt, ac copioſa aqua; & certum eſt, quod nihil eorum, quod Deus ſemel condidit, redigit in nihilum; tunc ſic, illa aqua creata in primo die non fuit redacta in nihilum, ergo cum iam non reperitur, ſequitur, quod ex ea fuit aliquod creatum, ſed inter Cælum Empyreum, & terram ſunt orbes Cælorum cum igne, & aere, ergo fuerũt creati ex illa materia aquæ; & conſequenter Cælum pro firmamento ſecundum veritatem conſtat ex materia, quæ eſt eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum, &c.

Obijc. Si corpora cæleſtia conſta-

rent

atem materia, tunc sequeretur esse corruptibilia, sed hoc est falsum, ergo, &c. falsitas patet, nam corpora cælestia creata sunt, contra aliquos recentiores Neutericos, dicentes esse diversæ rationis à materia sublunarium, &c. vt continuò, & perpetuò influat in ista inferiora, ergo, &c. falsum est; quod sint corruptibilia, quia tunc perpetuò non influerent in ista inferiora, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod influxus Cæli non est perpetuus, sed durat vsque in diem Iudicij, ideò, &c.

Dices. Ex 2. Paralip. c.6. Cæli sunt firmissimi, ergo non sunt corruptibiles, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam in illa auctoritate loquitur de Cælo Empyreo, ideò postea sequitur, à Cælo Dominus exaudiat preces nostras, ideò, &c.

Quæritur primo. An Cælum sit ingenerabile, & incorruptibile?

Resp. Affi. secundum Arist. neg. secundum veritatem, prima pars patet. nam Cælum secundum Arist. nō habet materiam, vt in præcedenti quæstione, ergo, &c. consequentia patet, nam vbi non est potentia contradictionis, ibi non est principium generationis, & corruptionis, &c.

Secunda pars patet: nam Cælum habet materiam eiusdem rationis cū materia horum inferiorum, vt in præcedenti quæstione, ergo, &c.

Dices. Si Cælum secundum veritatem est corruptibile, quare non corrumpitur.

Resp. Quod non corrumpitur, quia non reperitur agens naturale potens ipsum corrumpere, cum forma Cæli non habeat contrarium potens eam vincere, ideò, &c.

Dices. Forma Cæli non est infinita, ergo potest vinci ab agente naturali scilicet ab igne, quatenus posset agere in Cælum inducendo proprias dispositiones, & consequentèr propriam formam substantialem; quia ex primo de gener. tom. 53. & 54. quæ communicant in materia sunt adinuicem transmutabilia, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam Adamas est quidam finitum, & tamē non potest corrumpi ab igne, vt patet experientia, ideò si in istis sublunaribus dantur aliquæ formæ ità tenacitèr vnitæ materiæ, vt ab igne non possunt destrui, multò magis id erit dicendum de forma Cæli, quamuis materia eius sit capax qualitatis ignis; Ad illud Arist. dicimus, quod Aristoteles non dicit talia verba in argumento allata, sed facit propositionem negatiuam, scilicet quæ non habent eandē materiam esse impassibilia, ex quo non licet inferre propositionem oppositam affirmatiuam, &c.

Quæritur. An Cælum sit augumentabile?

Resp. Neg. patet: nam augumentatio fit per conuersionem nutrimenti in substantiam nutriti, sed Cælum non indiget nutriri, ergo, &c.

Quæritur tertio. An Cælum sit alterabile?

Resp. Neg. loquendo de alteratione corruptiua; Affi. de alteratione

per-

perfectius; primum patet, nam alteratio est dispositio ad generationem, & corruptionem, quia vbi non potest esse generatio, neq. corruptio, frustra est talis alteratio, sed in Cælo non potest esse generatio, & corruptio, ergo, &c, talis enim alteratio fit solũ per primas quatuor qualitates, &c. secundum patet, nam astra modò videntur magis clara, modò minus, ergo, &c.

QVAESTIO V.

An Cælum sit animatum?

PRima Concl. Cælum non est animatum anima vegetatiua, & sensitiua; nec etiam intellectiua. Est Scoti in 2. d. 14 q. vnica, contra Achillinum, Suessanum, Balduinum, & alios substinentes, Intelligentiam mouentem ipsum, Cælum esse formam, & animam ipsius; prima pars patet; nam animatum anima vegetatiua, & sensitiua potest augeri, nutriri, & generari, sed Cælum non est huiusmodi, vt patet, ergo, &c. Item dato hoc non haberet pabulum sufficiens ad eius nutrimentum, quia si omnes vapores, qui ex mari extracti sunt ab initio Mundi, simul essent cõglobati, vix sufficeret ad minimum Cæli ientaculum, ergo, &c. secunda pars prob. nam anima intellectiua nõ potest esse sine sensitiua ex 3. de anima. 62. sed non est anima sensitiua, ergo, &c.

Itẽ anima est actus corporis physici organici, ex 2. de anima, sed Cælum non est corpus organicum, cum nullum organum appareat ei; nam est fabula Poetarum, Solem esse oculum Cæli, quo videt, polos esse aures, quibus audit, & sic de cæteris, ergo, &c.

Si dicerent, Stellas, vel Planetas esse organa Cæli, sed

Contra. Quid dicẽdum de Cælo Christallino, quod caret stellis, &c.

Item diuersa organa sunt à natura tributa animalibus ad diuersa munera exercenda, sed multiplicare multa, & quasi infinita organa eiusdem rationis esset frustrà; nam in firmamẽto reperitur multitudo stellarum, numquid animal debet esse organizatum solis innumerabilibus oculis, ergo, &c.

Item anima, & forma non est ens in actu completo, sed intelligentia est ens completum ex Aristotele in Met. ergo, &c.

Secunda Concl. Cælum est imperfectius, & ignobilius omni alio corpore animato; patet nam Augustinus lib. de duabus naturis c. 4. anteponit muscam soli, quia illa est animata, sol non, ergo, &c. Item viuere est perfectius, quàm non viuere, sed animata viuunt, corpora cælestia non viuunt, ergo, &c. maior patet, nam quicquid continetur in non viuente, continetur in viuente, & aliquid plus, scilicet gradus vitæ, ergo, etc. Item nobilius est moueri à se, quam moueri ab alio, quia illud indicat sufficientiam, hoc verò indigentiam, sed viuentia mouentur

tur à seipsis motu locali, vel augmẽtationis, Cælum verò nequaquam, ergo, &c.

Obijc. primo. Contra primam Concl. ex 2. Cæli t. 13. Cælum est animatum, ergo, &c.

Resp. Dist. antec. Cælum est animatum forma informante, nego; assistente, concedo; nam, &c.

Obijc. secundò. Aliquæ herbæ generantur sine semine, & multa animalia generantur ex putri materia; sed eorum nulla est causa efficiens, nisi corpora cælestia, ergo si comprimunt vitam, sequitur, quod non carent vita, &c.

Resp. Neg. min. nam anima in illis producitur immediatè à Deo Auctore naturæ, vt infrà, &c.

Obijc. tertio. Ex Psalmo 135. Qui facit Cælos in intellectu, idest intellectu præditos, ergo ex hoc colligitur ipsum Cælum esse intellectuale, seu animatum anima intellectiua, &c.

Resp. Neg. conseq. nam sensus verborum illius Psalmi est, quod Deus condidit Cælos in intellectu, idest magna diuini intellectus sapientia; non autem quod fecisset ipsos intellectuales, &c.

Obijc. quarto. Contra secundam Concl. figura Cæli est rotunda, motus est circularis, lux eius excedit omnes qualitates, sed in viuentibus non inueniuntur hæc omnia ita perfectè, ergo, &c.

Resp. Neg. conseq. nam in viuentibus sunt alia accidentia perfectiora istis, scilicet operationes vitales, &c.

Obijc. quinto. Incorruptibile est nobilius corruptibili; sed Cælum est incorruptibile; viuentia sunt corruptibilia; ergo, &c.

Resp. Dist. mai. quoad durationem, concedo; quoad entitatem, nego; nam materia non est nobilior composito, & tamen est incorruptibilis, compositum verò non, &c.

Obijc. sexto. Cælum est causa efficiens viuentium, ergo est nobilius ipsis; consequentia sequitur; nam omnis causa est nobilior suo effectu, &c.

Resp. Neg. antec. nam causa efficiens est Deus Auctor naturæ; Cælum enim est tantum causa corporis, ideò ablato gradu vitæ, corpus cæleste est nobilius cæteris corporibus, &c.

QVAESTIO VI.

An intelligentia sit forma Cæli?

FOrma duplex est, alia informans, alia assistens; prima est illa, quæ dat esse rei, & vnitur ipsi rei quoad esse; secunda verò præsupponit ipsam rem iam constitutam in actu, & vnitur inseparabilitèr ipsi quoad operari; dicitur, vnitur inseparabilitèr ipsi, ad similitudinem animæ, quæ ad mouendum corpus, & ad alia munera exercenda inseparabilitèr sibi inest, ideò in ratione alicuius non potest dici forma eius; vndè similitudo formæ assistentis cum forma informante sumitur ex ratione motus, & inseparabilitatis, quia sicut anima, forma informans (inter alia munera) habet mouere effectiuè corpus motu

locali, & informare inseparabilitèr ipsum corpus; ità si aliquod ens immateriale perpetuò moueat aliquod corpus, & inseparabilitèr assistat secundum cursum naturæ, sed non per informationem, tunc rectè debet dici forma assistēs, &c. pro qua sit, &c.

Concl. Intelligentia non est forma informans Cælum, sed assistens; est Scoti in 2. d. 14. q. vnica, Piccol. & quamplurium; contrà Achillinum, Suessanum, Balduinum, &c. existimantes, intelligentiam esse formam informantem Cælum; prob. primò, si intelligentia esset forma informans Cælum, ergo Cælum esset in potentia ad illam formam, quia intrinsecè esset perfectibile ab ipsa, quod est falsum; falsitas patet, nam Cælum ex Philosopho est æternum, sed si esset in potentia ad illam formam, iam non esset æternum, quia esset in potentia contradictionis, qua aliquod potest esse, & non esse, ergo sequitur, quod Cælum non esset æternū, sed intrinsecè corruptibile, quod est falsum secundum Arist. & etiam intelligentia esset formalitèr quanta, quia Cælum est formalitèr quantum.

Secundò. Si intelligētia esset forma informans, tunc informaret totū Cælum, quia hoc est de ratione cuiuscunque formæ informantis, ne materia existat sine forma, sed intelligentia non est in toto Cælo, quia est solum in circumferentia eius, & nec in quolibet parte eius circumferentiæ, sed in illa vndè incipit motus ex 8. Phys. t. 84. ergo, &c. Item forma informans fatigatur in motu locali, vt patet in omnibus animalibus; tunc sic, quod efficitur cum labore, non potest esse æternum, sed motus Cæli ex Arist. est æternus, ergo non efficitur cum labore, & consequenter nec intelligentia potest esse forma informans. Item nec esset beata, quia cum maxima tristitia careret omni requie, quod est absurdissimum ex 1. Cæli t. 6.

Tertiò. Si intelligentia esset forma informans, ergo saltem moueretur per accidens ad motum Cæli, sicut anima nostra mouetur ad motum corporis moti, sed hoc est contra Arist. in 8. Phys. vbi habet, quod intelligentiæ non mouentur nec per se, nec per accidens, sed solum mouent, ergo, &c.

Resp. Quod duplex est forma informans, alia est informans, & constituens subiectum inesse, & simul constituitur inesse per subiectum, vt sunt formæ materiales; alia est constituens subiectum inesse, sed non constituitur; vt intelligentiæ; ad argumentum dicunt, quod forma primo modo mouetur per accidens ad motum sui subiecti, non verò forma secundo modo, vt est intelligentia, sed.

Contra. Quicquid sit de hac distinctione, Cælum dum mouetur, vel mouetur sola materia Cæli, vel aggregatum ex materia, & forma; non primum, quia talis materia est pura potentia, etiam per eos, & subiectum motus localis debet esse in actu, & determinatum, ergo illud, quod mouetur est aggregatum ex ma-

materia, & intelligentia, & consequẽter intelligentia mouetur ad motum Cæli, quod est falsum. Item patet exemplo Solis, qui modò est in Oriente, & modo in Occidente, ergo si Sol est compositus ex intelligentia, tanquam ex forma informante, ipsa quoque modo erit in Oriente, & modo in Occidente, &c.

Secunda pars patet; nam dum nõ est forma informans, ergo assistens: Item quia vnitur ipsi Cælo inseparabilitèr quoad operari tantũ, ergo, &c.

Obijc. primò. In separatis à materia idem est efficiens, forma, & finis ex 2. Phys. 70. sed intelligentia est efficiens, quia est principium motus; est finis, quatenus Cælum est propter intelligentiam; ergo est similiter forma. Item sequeretur in Cælo non esse causam formalem, quod est falsum, cum omne, quod mouetur debet necessariò includere quatuor genera causarum, &c.

Resp. Dist. consequens, est forma assistens, concedo; informans, nego; nam intelligentia est forma, non quia dat esse, sed quia dat operari idest dat quantum gradum vitæ, scilicet mouere, ideò in separatis à materia est idem efficiens, &c. Ad aliud per idem respondetur, &c.

Obijc. secundò. Arist. 2. de anima 24. probat animam esse actum corporis hac ratione; omne id, per quod alicui corpori inest propria operatio est actus illius corporis, sed Cælo inest propria operatio per intelligentiam, ergo intelligentia est actus corporis cælestis, &c.

Resp. Dist. mai. si talis operatio sit proueniens ab intrinseco, concedo; si ab extrinseco, nego; nam motus localis Cæli non prouenit ab intrinseco. Vel secundo dicimus neg. min. nam propria operatio Cæli est agere in hæc inferiora, & hæc operatio non inest Cælo per intelligentiam, sed ex propria natura Cæli; moueri autem est quodammodò ei accidentale, quia est operatio, quæ illi inest ab extrinseco, scilicet ab intelligentia, &c.

Obijc. tertiò. Quod dat vnitatem alicui, etiam ei dat esse, sed intelligentia dat Cælo vnitatem, quia ex Commentatore, ex Orbe, & intelligentia fit magis vnum, quam ex materia, & forma, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod Auerroes ibi non habet, quod ex orbe, & intelligentia fiat vnum compositum, sed quod fit vnũ magis indiuisibile, quam ex materia, & forma, &c.

Obijc. quartò. Cælum est in aliqua determinata specie, ergo per formam, quæ est eius intelligentia, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam in corporibus simplicibus non est determinatio in aliqua determinata specie à forma informante, sed à seipsis; nam sicut illa corpora sunt actu entia per se ipsa, ita etiam per se ipsa ab inuicem differunt, non per aliquã formam informantem dantem illi esse substantiale, ideò, &c.

Quæritur primò. Quare intelligentiæ in mouendo non fatigantur?

Resp. Quia fatigatio non aliundè procedit, nisi ex reluctantia partium

ipsius agentis; quatenus ipsæ partes habent oppositam dispositionem ad aliam operationem; & ideò animalia in motu defatigantur, quia eorū corpora non sunt nata moueri sursum, nec totalitèr, nec partialitèr; similiter Terra debilitatur fructificando, quia virtus eius minuitur à seminibus vel à planctis, cum non sit perpetua eius pura naturalis operatio; Terra enim descendens, Aqua fluēs, & Ignis ascendens, vel comburens, nunquam debilitantur, quia naturalitèr procedunt tales operationes, &c. cum ergo intelligentiæ non habeant partes, cum sint penitùs immateriales, sequitur, quod non habeant hanc reluctantiam; ideò vel aliquod est sibi impossibile fieri, vel sine labore factibile, &c.

Quæritur secundo. Quare intelligentiæ sint necessariò coniunctæ inseparabilitèr secundum cursum naturæ cum suis orbibus?

Resp. Propter bonum Vniuersi.

Dices: Ergo non efficit beatas, quia esse sic coniunctum implicat violentiam, & coactionem, &c.

Resp. Neg. sequelam; nam tales intelligentiæ sunt ordinatæ à primo Motore propter bonum Vniuersi ad motiones Cælorum, veluti ad proprium finem, & assecutio finis semper est cum iucunditate, quia ipsum bonum Vniuersi est optimum; ergo, &c.

Quæritur tertio. Quare dicuntur intelligentiæ à Philosophis?

Resp. Quia sunt puri intellectus, immateriales nunquam desistentes ab intelligendo; à Theologis dicuntur Angeli, scilicet ministri Dei. Aristot. voluit ipsas intelligētias ad nihil aliud esse ordinatas, quam ad mouendum, (præter intelligere) ideò statuit tot intelligentias, quot sunt Cæli; Theologi verò tribuunt eis plura munera, ideò augent ipsos Angelos quasi in infinitum, ideò, &c.

DISPVTATIO III.

De accidentibus Cæli.

Multa accidentia sunt in Cælo, scilicet motus, figura, lumen, influxus, & quantitas; de singulis istorum est agendum.

DE

DE MOTV CAELORVM.

QVAESTIO I.

An motus Cæli sit naturalis?

MOTVS localis duobus modis potest dici naturalis, primò, quia est à principio naturali absque cõsideratione termini ad quem est; secundò, quia tendit ad quietem in aliquo vbi, vt motus terræ deorsum, dicitur naturalis vtroque modo; pro qua sit.

Prima Concl. Motus Cæli est naturalis tantum ex parte principij; est Scoti in 2. d. 2. q. 6. quamuis quamplures Auctores dixerunt, Scotum substinere absolutè, motum esse neutrum, quod est falsum, cum Scotus tantum loquatur ex parte termini; prob. ex 1. Cæli t. 5. vbi Arist. probat Cælum habere motum naturalem, quoniam est corpus habens naturam, ergo, &c.

Secundò ratione, vnumquodque dicit naturalem inclinationem ad suã perfectionem; sed motus circularis est perfectio Cæli, ergò Cælum ad illum dicit inclinationem, & consequenter motus Cæli est naturalis ratione talis inclinationis, &c. Item motus circularis, quo Cælum mouetur, vel ei est naturalis, vel violentus, sed notum est, quod non sit violentus, quia est perpetuus, & nullum violentum est perpetuum, ergo, &c.

Secunda pars prob. omnis motus naturalis est ad aliquem terminum naturalem, in quo mobile naturalitèr quiescit, & si ab eo remouetur, violentèr mouetur, sed motus Cæli non est ad aliquem terminum, seu ad aliquod vbi, in quo Cælum quiescat, cum perpetuò moueatur circularitèr, ergo eius motus non est naturalis ratione termini, &c. Item omnis motus absolutè naturalis habet motum violentum sibi oppositum, vt patet de motu lapidis deorsum, sed nullum possumus assignare motum violentũ in Cælo, cum Cælum perpetuò moueatur, ergo ratione termini motus Cæli non est naturalis, &c.

Secunda Concl. Motus Cæli ex parte termini est neutèr; est Scoti vbi supra; patet, nam motus Cæli ex parte termini non dicitur naturalis, nec violentus, ergo neuter; antec. patet non primum, quia ad nullum vbi inclinatur; nec secundum, quia est perpetuus, &c.

Obije. primo. Motus naturalis fit ab imperfecto ad perfectum, sed motus Cæli non est huiusmodi, quia est perfectissimus, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. motus naturalis rectus, concedo; circularis, nego; nam, &c.

Obije. secundò. Nullus motus naturalis est infinitus, cum natura abhorrent infinitum, sed motus Cæli

ex

ex Arist. est infinitus, ergo non est naturalis, &c.

Resp. Dist. mai. nullus motus naturalis est infinitus magnitudine, & multitudine, concedo; duratione, nego; nam natura abhorret infinitum primo modò, non verò secundo modò; idest secundum durationem, &c. sicut est motus Cæli, &c.

Obijc. tertio. Motus dicitur naturalis, quatenus prouenit à natura, sed in Cælo non est natura, ergo, &c. min. patet, nam natura dicitur de materia, & forma, sed in Cælo non est materia, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod natura dicitur de materia, & forma prout sunt principium passiuum motus eius, in quo sunt, &c. & hoc modo etiam quidditas, & essentia corporis cælestis dicitur natura Cæli, quia est principium passiuum motus circularis in ipso Cælo, &c.

Colligitur. In Cælo nullum esse principium actiuum internum respectu motus, ad quem Cælum est inclinatum, sed principium actiuum est tantum externum, scilicet intelligentia, &c. ex hoc melius confirmatur id quod diximus in disp. de natura, quod natura est tantum principium passiuum, quia Cælum habet naturam, & tamen habet solum principium passiuum internum motus, &c.

Obijc. quarto. Quod prouenit à voluntate extrinseca alicuius in aliud, non est illi alteri naturale, vt quod lapis incidatur ex voluntate hominis, non est naturale ipsi lapidi, sed Cælum mouetur ex voluntate intelligentiæ, ergo, &c. Item motus naturalis est ordinatus ad locum, & quietem, sed motus Cæli non est sic, vt patet, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. si mobile non præbet inclinationem ad huiusmodi motum, concedo; si præbet inclinationem, nego; nam Cælum habet inclinationem, vt sic moueatur, &c. Ad aliud dist. mai. motus naturalis rectus, cõcedo; circularis, nego, nã, &c.

QVAESTIO II.

An motus Cæli sit à propria forma substantiali, vel ab intelligentia?

COncl. Motus Cæli non prouenit à forma propria Cæli, sed ab intelligentia; est Scoti in 2. d. 14. q. 1. prob. nam quæ mouentur à propria forma, mouentur ad sua loca naturalia, sed Cælum non est sic, quia, tunc in loco, in quo existit, violentèr existeret, & ad alium locum naturalitèr moueretur, quod est falsum, ergo, &c. Item quando corpus mouetur à propria forma, quiescit naturalitèr in suo loco naturali, vt patet de Elementis, sed Cælum in proprio loco nõ quiescit, quia in eo perpetuò mouetur vt patet, ergo, &c.

Secundò. Cælum v.g. primũ mobile nõ potest determinari à propria forma, vt moueatur circularitèr potitius in hanc partem, quàm in aliam, ergo cum moueatur determinatè ab Oriente in Occidens, non potest esse à pro-

à propria forma, sed ab aliquo alio, scilicet ab Intelligentia; ant. patet; nam Cælum à sua forma habet inclinationem ad moueri circularitèr, non verò magis in vnam partem, quam in aliam, quia siue Cælum moueatur ab Oriente in Occidens, siue è contrà, semper æque benè assequitur suum finem, scilicet, vt fiant generationes rerum, quia mouetur circularitèr propter bonum Vniuersi, &c. secunda pars patet, nam Philosophi venerunt in cognitionem Intelligentiarum ex firmitate, & constantia motus orbiū, ergo secundū Philosophum talis motus necessariò sunt ab Intelligentijs; alitèr ex motibus Cælorum non poterant venire in cognitionem intelligentiarum, &c.

Obijc. primò. Si forma Cæli non efficiat motum, ergo erit otiosa.

Resp. Neg. conseq. nam forma Cæli, seu quidditas Cæli habet constituere ipsum Cælum, & in ista inferiora influere, ideò non dicitur otiosa, ex eo quia non efficit motum, &c.

Obijc. secundo. Corpora grauia, & leuia, quæ sunt ignobiliora corporibus cælestibus, mouentur naturalitèr à proprijs formis intrinsecis, ergo multo magis corpora cælestia, quæ sunt nobiliora, &c.

Resp. Neg. consequentiam; nam corpora cælestia non habent locum ad quem naturalitèr mouentur, sicut corpora grauia, & leuia scilicet elementa, &c.

Obijc. tertio. Motus, qui fit à principio extrinseco est violentus, ergo si motus Cæli non fit à propria forma, sed ab intelligentia, tunc ille motus erit violentus, &c.

Resp. Dist. ant. si motus fiat ab extrinseco nihil conferente vim passo, concedo; si autem passum confert ad huiusmodi motum, nego; nam quāuis motus Cæli fiat ab aliquo extrinseco, tamen Cælum ex se inclinatur ad talem motum, & ex tali inclinatione intelligentia assistens determinatur ad mouendum Cælum tali motu circulari, & non alio, &c.

QVAESTIO III.

An Motus omnium Orbium sit ab vna Intelligentia, vel à pluribus.

Concl. Quælibet sphera mouetur à propria Intelligentia; patet ex 12. Met. c.8. t.4. vbi Arist. dicit, tot esse intelligentias motiuas, quot sunt cælestes orbes, ergo, &c. Item quælibet intelligentia habet certam, & determinatam naturam, ergo non possunt assistere omnibus machinis cælestibus, cum omnes spheræ mouentur contrarijs motibus, &c.

Obijc. primò. Vna anima producit diuersos motus in diuersis membris corporis, ergo similitèr vna intelligētia potest producere diuersos motus in diuersis corporibus cælestibus; conseq. sequitur quia intelligentia est præstātioris naturæ, quam anima, &c.

Resp. Neg. conseq. nam anima est actus totius corporis organici, ideò potest producere in diuersis membris eius.

eiusdem corporis diuersos motus; Intelligentia verò non est, sed cum sit virtutis limitatæ non potest per tantam distantiam mouere tot magna corpora tantis diuersis motibus, &c.

Obijc. secundò. Cælum non resistit Intelligentiæ, ergo vna Intelligentia potest mouere omnes orbes; nam vbi nulla est resistentia, ibi est actio, ergo, &c.

Resp. Dist. ant. non resistit Intelligentiæ, quasi quod in Cælo sit aliqua qualitas opposita ipsi impulsui Intelligentiæ, concedo; non resistit alio modo, nego; nam cum corpora cælestia requirant maiorem, & minorem impulsum, & diuersos motus; vnico actu non possunt facere; ideò hoc modo Cælum dicitur resistere ipsi Intelligentiæ, &c.

Not. quod Intelligentiæ sic determinatæ sunt ad mouendum, vt nec velocius, nec tardius mouere possint, saltem secundum ordinarium naturæ.

QVAESTIO IV.

Quot sunt Orbes cælestes, & an eorum motus sint æquabiles, & vniformes.

PRima Concl. Orbes cælestes sunt nouem connumerando inter ipsos Orbes, Cælum Empyreum; Primus est orbis Lunæ, Secundus Mercurij, Tertius Veneris, Quartus Solis, Quintus Martis, Sextus Iouis, Septimus Saturni, Octauus primi mobilis, & Nonus est Cælum Empyreum, patet per continuam obseruationem; nam planetæ videntur aliquandò inter se viciniores, aliquandò longiores, ergo necesse est, illos Orbes esse distinctos, qui in numero sunt septem; & vltrà istos est primum mobile quod mouetur motu diurno, & est Octauus Orbis; & Nonus est Cælũ Empyreum, &c.

Not. quod Astrologi ponunt vndecim Orbes, nimirum septem planetas, octauum, qui dicitur Cælum Stellatum, in quo sunt Stellę fixę, nonum, qui dicitur Cęlum Christallinũ, & aqueum, decimum, qui dicitur primum mobile, & vndecimum, qui dicitur Cęlum Empyreum; Sed re vera ab istis multiplicantur Orbes sine necessitate, cum isti ponunt nonum, & octauum Orbem propter motum trepidationis, qui motus non est euidens argumentum ad probandum dari tales Orbes, cum non sit ità euidentèr dari talem motum, ex eo quia visio in tanta distantia potest falli, &c. Item Arist qui fuit peritissimus non cognoscit tales Orbes, &c. sed quidquid sit dicendum de hoc ad Astrologos relinquo, &c.

Secunda Concl. Motus Cęlorum non sunt vniformes inter se; patet nã primum mobile complet suum motum ab Oriente in Occidens spatio viginti quatuor horarum, & suo motu trahit inferiores orbes, & conficit diẽ naturalem; Saturnus complet suum motum naturalem ab Occidente in Oriens annis triginta; Iuppiter annis duodecim; Mars annis duobus;

Sol vnico anno, seu diebus trecentis sexaginta quinque, & horis sex, & tale spatium, dicitur annus Solaris ab ipso motu Solis; similitèr Venus, & Mercurius complent motum suum vnico anno; Luna diebus vigintiseptem, & horis octo, vel circiter, vt aliqui Astrologi dicunt.

QVAESTIO V.

An inter sphæras Cælestes idem sit ordo, situs, & dignitatis?

CONcl. aff. Non est autem sic dicendum inter Planetas, & Stellas fixas; prima pars patet ex 12. Met. 44. vbi habetur, ordinem Intelligentiam esse iuxtà ordinem mobilium, ità vt inferiori orbi respondeat inferior Intelligentia, & superiori orbi superior, ac perfectior Intelligentia, ergo inter orbes idem est ordo, situs, & dignitatis; aliter perfectissima Intelligentia assisteret infimæ sphæræ, quod inconuenit, &c.

Secundo patet à simili; nam sicut Hyerarchia suprema situata in ordine superiori est etiam perfectior; & sicut supremum Elementum scilicet Ignis est etiam supremum in perfectione, ergo inter corpora cælestia est etiam similis ordo, quo sphæra est superior, eò est perfectior; consequ. sequitur, quia idem ordo videtur esse in mundo superiori scilicet in Angelis, ac in mundo inferiori scilicet Elementis, & in mundo medio scilicet in corporibus cælestibus, &c. secunda pars patet etiam, nam quælibet Planeta est nobilior quacunque stella fixa, sed stellæ fixæ sunt superiores Planetis secundum situm, ergo, &c. Item Sol secundum situm est in quarto Orbe, & tamen est perfectior omnibus Planetis, & omnibus stellis, ergo, &c.

Dices. Si Sol est nobilior, cur in quarta sphæra fuit positus?

Resp. Quod Deus posuit illum in quarta sphæra, vt magis suam virtutem omnibus cõmunicaret; nam, si in altiori sphæra esset positus non posset illuminare mortales, & sic animantia frigescerent, ac operationes vitales non efficerent, & denique omnia, quæ essent in mundo perirent, &c.

QVAESTIO VI.

An Orbes Cælestes differant inter se specie?

COncl. aff. Prob. nam de ratione ordinis, & decoris, est quod omnia disponantur in suis locis ex t. 31. itaut, quæ sunt eiusdem speciei debent habere eundem numero locum; nam aqua est super terram, aer super aquam, &c. Sed Orbes cælestes sunt in diuersis locis, nam vnus est super alium, ergo, &c. Item vnumquodque indiuiduum continet omnia perfectionalia speciei, si ergo Cæli essent eiusdem speciei, tunc in quolibet ipsorum reperirentur omnia, quæ in alijs reperiuntur, & consequẽter dato vno corpore cælesti, alia cor-

pora essent superflua, quod est contra ordinem naturæ, ergo cum corpora cælestia sint plura, signum est, quod differunt specie, &c. Si diceret, vnum ipsorum non sufficit ad bonum Vniuersi, ideò sunt plurificata in eadem specie; sed

Contrà. Vnumquodque ipsorum est tantæ capacitatis, continentiæ, & virtutis, quod restringit Vniuersum, sicut patet, ergo, &c. Si iterum diceret, quod in diuersis, esse diuersas dispositiones, quæ non possunt contineri in vnico, ergo, &c. Sed

Contrà. Ergo redit difficultas, sicut prius, quod differant specie, quia vnumquodque indiuiduum continet omnia perfectionalia speciei, ergo si sunt diuersæ dispositiones, quę non possunt contineri in vnico, signum est, quod differant specie, &c.

Not. quod hæc quęstio apud Auctores problematicè habetur, quia quoad vtramque partem habet rationes probabiles, ac ęqualis difficultatis, tamen quia pars affirmatiua est magis communis, ideò, &c.

Obijc. primo. De ratione rei perfectæ est vt communicetur pluribus, sed Cęli sũt perfectissimi, ergo multiplicantur secundum eandem naturam, & consequenter sunt tantum plures numero, non specie.

Resp. Dist. mai. vt communicetur pluribus communicatione beneficiorum, concedo; communicatione propriæ naturæ, nego; nam communicatio propriæ naturę non est necessaria in omnibus rebus perfectis, sed tantum in quibusdam, vt conseruentur, sicut sunt res generabiles; communicatio verò beneficiorum est de ratione cuiuslibet rei perfectę, & hoc modo Cęli maximè cõmunicantur.

Obijc. secundò. Si Orbes differrent specie, ideò esset, quia effectus ipsorum differrent specie, nam alij sunt effectus Solis, alij Lunę, &c. sed hoc nihil valet; quia entia nobilissima quamuis habeant vnitatem numericam, possunt tamen efficere effectus specie diuersos, vt patet de Sole, qui producit diuersos effectus specie, ergo, &c.

Resp. Quod diuersitas specifica Orbium sumitur, vt in probatione conclusionis, &c. & si etiam erit sumenda ex effectibus, tunc non debet sumi ex diuersis effectibus eiusdem corporis, sed ex eo, quod à diuersis orbibus fiunt diuersi effectus, ideò, &c. ex quo sequitur, Cęlum non esse vnam speciem specialissimam, sed subalternã, & consequentèr plura esse corpora simplicia secundum speciem specialissimam, quam quinque, &c.

QVAESTIO VII.

An Orbes cælestes sint corpora similaria, & an eorum motus sint regulares?

PRima Concl. Corpora cælestia non sunt similaria patet, nam non qualibet pars Cæli est similis alteri parti, vt patet de Sole in compara-

ratio-

ratione ad reliquas partes ipsius orbis, ergo, &c. Item non conueniunt in figura totius, quia pars circuli non est circulus, &c. tamen non sunt dissimilaria, sicut viuentia, vel animalia, nam quamlibet partem Cæli vocamus Cælum, sed non quamlibet partem animalis vocamus animal, ideò plus, & minus reperitur in similaribus, & dissimilaribus, &c.

Secunda Concl. Motus orbium cælestium est regularis; prob. nam motus regularis semper fit eadem velocitate, & tarditate, sed motus Cæli est huiusmodi, ergo, &c. min. patet, nam si esset oppositum, vel esset ex parte Cæli, vel ex parte intelligentiæ; non primum, quia Cælum est inalterabile, ergo ex parte eius nunquam potest esse mala dispositio, vt modo sit aptiùs, & modo ineptiùs ad mouendi; nec secundum, quia intelligentia motrix est immaterialis, & infatigabilis, & semper pollet eandem virtutem mouendi, ergo, &c. Item patet experientia; nam si nunc designatur alicubi aliqua linea, quæ in tali puncto temporis tangatur à radio Solis, hinc ad annum pariter tangeretur eadem hora, & instanti, sed hoc aliũdè non euenit nisi ex regularitate motus orbis ipsius Solis, ergo, &c. & si de Sole hoc est verum, similiter est philosophandum de alijs.

Obijc. Contra secundam Concl. Dies non sunt semper æquales noctibus, nec è contrà, ergo quando sunt dies longiores, tunc Sol sub altero hemisphęrio velociùs moueretur, quã sub nostro, è contrà verò, quando noctes sunt longiores, &c. & consequenter irregularitèr mouetur, &c.

Resp. Neg. conseq. nam causa, vt dies sint longiores noctibus, vel è contrà, est quoniam ipse Sol pertrãsit maiorem, vel minorem partem circuli existentis super nostrum hemisphęrium, vt patet experientia, ideò, &c.

QVAESTIO VIII.

An ex motibus Cælorum causetur sonus?

SOnus est effectus motus ex Arist. 2. de anima, tamen non conuertibilis cum eo, sic quod omnis motus sit effectiuus soni, quamuis proueniat à solo motu, &c. requiritur itaque motus ad sonum ex duplici causa, primò, vt ipsum producat, secundò, vt sit veluti vehiculum, & instrumentum, quo deferatur ad aures; sonus ergo necessariò requirit motum, qui realiter per aliquod spatium ferat ipsum sonum, vt possit causare species sensibiles, &c. supponitur etiã corpora cælestia contra se inuicem tangi, quia nisi esset talis contactus, nulla esset dubitatio, imò accideret, quasi vectio, sicut dum nauis, vel currus secum vehit aliquod lignum, &c. Supponitur etiam esse dura, & leuia, esse dura in hunc sensum, nempè, quod sint impenetrabilia, non autem, quod hæc durities sit qualitas prouenions ex dominio siccitatis, vt habet Arist. ex 2. de gener. 12. nam Cælum

lum est expers his qualitatibus, pro qua sit.

Concl. Neg. prob. nam vbicunque non potest reperiri medium deferens sonum, saltem per aliquod spatium per sui motum non potest causari sonus, sed in Cælo sic euenit, ergo, &c. mai. patet, vt suprà. minor probatur, nam inter vnum Cælum, & aliud nullum datur medium, &c. Item si Cælum sic se haberet, scinderetur, quia pars vicinior sono nuper producto deberet moueri, & aliam partem pellere, & in girum multiplicare sonum, & consequenter totum Cælum scinderetur, ergo,&c.

Obijc. primo. Quandocunque corpora dura, & sufficienter lęuia mutuò se tangunt aliquo impetu efficiunt sonum, ex 2. de anima, t. 28. sed Cæli sunt huiusmodi, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. si adest medium, concedo; si non, nego; nam ad efficiendum sonum, requiritur etiam medium, quod in casu non reperitur, &c.

Obijc. secundo. A nobilissima causa non debet remoueri effectus non repugnans, & quod non dicit imperfectionem, sed Cælum est nobilissima causa, & sonus sibi non repugnat, si saltem sit harmoniacus, nec imperfectionem inuoluit, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. non debet remoueri effectus, si potest ibi reperiri, concedo; si non potest, nego; nam sonus non potest effici nisi per medium deferens, (quod medium siue sit aer, siue aqua) sed tale medium nó potest assignari in Cælo, ideò, &c.

Obijc. tertiò. Sonus ideò esset auferendus à corporibus cęlestibus, quia dissiparet hæc inferiora, vt docet Arist. in textu, sed hoc non est verùm, si sit harmoniacus, & suauis; nam sic potius afferret delectationē, ergo, &c.

Resp. Neg. min. nam sonus quàuis sit harmoniacus, tamen sua ingenti velocitate vehemēter læderet, & præcipuè sonus primi mobilis, qui esset vehementissimus, sicut motus ipsius, &c. tamen dicimus Cælos efficere harmoniam metaphoricè, nempè cōsonantiam motuum, dispositionis, ordinis, & causalitatis; hæc tamen harmonia, & consonantia dicitur similitudinariè ad similitudinem harmoniæ vocalis, &c. vel dicimus, quod illa ratio Philosophi in textu est solùm probabilis, ideò, &c.

DE

DE FIGVRA CAELI.

QVAESTIO I.

An corpora cælestia, & Astra sint sphæricæ figuræ?

CONcl. aff. Præter Cælum Empyreum, quod est figuræ quadræ; prima pars prob. nam ex 2. Cæli à t. 22. vsque ad 32. habetur, quod prima figura debetur primo corpori, sed figura sphærica est prima figura, & Cælum est primum corpus, ergo, &c. min. patet, nam figura rotunda habet maiorem vnitatem, quia continet vnam lineam, aliæ figuræ continent plures lineas, sed vnitas est prior multitudine, ergo, &c. hoc argumentum concludit etiam de omnibus orbibus, &c. Item patet ratione, si Cæli non essent rotundi, sed alterius figuræ, puta triangularis, vel quatrangularis, non possent moueri motibus oppositis, nisi vel se mutuò disrumperent, vel penetrarent, quod viribus naturæ non potest esse, ergo, &c.

Secunda pars patet de Sole, Luna, & Stellis; nam in quacumque parte sint, semper apparent nobis rotundæ, sed hoc fieri non posset, nisi essent verè rotundæ in se, ergo, &c.

Tertia pars patet ex illo Apoc. 12. Ciuitas in quadro posita est, & loquitur de Ciuitate, quæ est sedes Beatorum, ergo, &c. Item non mouetur motu circulari, ergo non est necesse, vt ipsum sit sphæricum, & rotundum, &c.

Obijc. primo. Sol, & Luna videntur esse planæ figuræ, ergo, &c.

Resp. Neg. consequentiam, nam licet videntur esse planæ figuræ; tamen non est sic, quia homines decipiuntur propter magnã distantiã, &c.

Obijc. secundo. Si Cælum esset rotundum, tunc Stellæ saltem fixæ semper haberent eandem distantiam à terra, sed hoc est falsum, vt patet experientia, quia cũ ipsæ Stellæ sunt propè Horizontem conspiciuntur, & apparent maiores, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod Stellæ apparent maiores propter medium crassius, & magis vaporibus repletum; patet etiam in his, quæ perspiciuntur in aqua, quæ apparent viciniores, & maiores propter crassitiem medij, &c.

QVAESTIO II.

An Corpora Cælestia sint inter se contigua, nullo alio corpore interiacente?

COncl. aff. Patet ex ordine, & dispositione Vniuersi, iuxta quam dispositionem omnia corruptibilia, & Elementaria sunt collocata infrà orbem Lunæ, ideò dicta sunt sublu-

sublunaria, ergo pugnat cum hac dispositione, quod aliquod eorum sit interiectum inter vnum, & alium Cælum; neque est dicendum, quod tale medium est incorruptibile; quia nullus Philosophus cognouit corpus incorruptibile præter Cælũ, &c.

Obijc. Inter Cælum Empyreum, & omnes Orbes mobiles intercipiũtur veræ aquæ; vt patet ex illo Gen. I. Fiat Firmamentum in medio aquarum, &c. & Psal. 148. Laudate eum Cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, &c. ergo ex his colligitur, inter Cælum Empyreum, & octauam sphæram intercipi veras aquas, &c.

Resp. Neg. conseq. nam aqua in Scripturis allatis, intelligitur Cælum Chrystallinum situm super octauam sphæram (vt explicat Diuus Bonauẽtura, & quãplures Patres) quæ octaua dicitur firmamentum simul cum alijs Orbibus Planetarum, & hoc firmamentum dicitur diuidere aquas ab aquis, scilicet veras aquas elementares à cælo illo chrystallino, quod aqueũ, seu aqua appellatur æquiuocè propter similitudinem cum veris aquis, quia est diaphanum ex omni parte, quod non est sic dicendum de alijs orbibus, cum in ipsis sint aliquæ partes opacæ, &c. Item si aquæ continerentur inter cælos, tunc essent elementares, quia nemo excogitauit, alias aquas fuisse conditas à Deo præter elementares, sed hoc pugnat naturæ earum, cum sint corruptibiles, nam calore cælesti alterarentur, ac soluerentur, & ex earum materia aliud corpus generaretur, quod non est dicendum, ideò, &c.

QVAESTIO III.

An Astra sint eiusdem rationis cum suis orbibus?

CONcl. Neg. patet, nã quæ sunt eiusdem speciei retinent easdẽ proprietates, sed Sol v.g. & totus eius orbis non sunt huiusmodi, quia Sol est lucidissimus, & producit innumerabiles effectus, & totus eius orbis non est sic, ergo, &c. Item si esset eiusdem rationis cum suo orbe, tunc idem non esset ordo situs, & dignitatis inter orbes, quod est falsum, vt suprà; sequela patet, nam cum Sol sit nobilior cæteris, etiam eius orbis esset nobilior, & consequenter orbis superior non esset nobilior, &c. Itẽ quodlibet Astrum est corpus opacũ, eius orbis est corpus diaphanum, &c. Item Astrum non est continuum cũ suo orbe, sed contiguum, ideò, &c. Item caro, sanguis, os, & cætera mẽbra sunt partes animalis, & sunt diuersæ speciei, ergo licet Astrum sit pars Cæli, tamen potest esse diuersæ speciei, &c.

Not. Aliqui affirmarunt, Astra esse de natura ignis; alij terrea; quidam aerea; alij saxea, vel ad modum chrystalli, & similia huiusmodi, &c. Sed tales positiones falsæ sunt, quia quodcunque horum est corruptibile, sed Cælum, & omnes eius partes sunt incorruptibiles, ergo, &c. Item si es-

si essent ignea, saxea, vel vitrea, tenderent ad locum ignis, terræ, &c. & semper in Cælo manerent violenter, quod est falsum, ergo, &c.

QVAESTIO IV.

An Astra moueantur proprijs motibus?

Astra sunt duplicia, alia sunt fixa, alia errantia; fixa dicuntur illa, quæ manent fixa in firmamento, & mouentur cum ipso, & inter se semper seruant æqualem distantiam; firmamentum dicitur tale, quia in ipso Astra sunt firma, & fixa; errantia verò non semper inter se æqualiter distant, sed modo magis, modo verò minus, prout proprij orbes mouentur diuersis motibus, vt sunt Planetæ, quamuis tam ista, quã illa sint fixa in suis orbibus; de fixis non est dubitatio, sed de errantibus, seu Planetis apud Astrologos; pro qua sit.

Concl. Neg. patet ex Arist. 2. Cæli 48. vbi ipsemet Arist. remouet ab astris motum volutationis, ergo, &c.

Not. Aliqui Astrologi ob varias apparentias tuendas affirmant, quod Sol (præter motum proprij orbis sub Zodiaco) mouetur alio motu in quodam paruo circulo, in quo est infixus, quem circulum vocant Epycialum; nam ipsi existimant, quod Sol non sit immediatè fixus in orbe, sed in alio quodam circulo, vel parua cælesti sphęra, & hęc in Cælo immediatè est fixa; & sic volunt hãc sphęrulam moueri proprio motu, & consequenter Sol vertitur à proprio Orbe, & simul ab hoc circulo, &c. assignant rationem, nam notum est ex certissima obseruatione, ipsum Solem magis ad terram appropinquare tempore hyemis, quam ęstatis, sed hoc non potest accidere ex parte Cæli, scilicet, quod modò plus, modò minus ad terram approximatur, quia tunc recederet à proprijs polis, & insinuaret grauitatem, ergo vt hęc euitentur absurda, est necessariò ponendus talis circulus, in quo Sol mouetur, vt faciat diuersas approximationes; nam quandò inuenitur in circumferentia versus Cælum, tunc maximè distat à terra, & dicitur esse in Auge, dum verò est in opposita, tunc minus distat à terra, & reperitur in opposito Augis, &c. & talis orbis, in quo fixus est Sol non mouetur per lineam rectam, sed per circularem, non tamen circà centrum Mundi, sed circà proprium, & quia habet partes quasdam grossiores, & alias tenuiores, & ratione vtriusque acquirunt diuersam distantiam per motum circularem, non à proprio centro, circà quod mouentur, quia hoc pugnaret cum motu circulari, sed à terra, vel à centro eius, &c.

Aliqui dicunt, quod tales apparentiæ non proueniunt ex maiori, & minori distantia Planetarum à terra, sed quia vapores, qui inter Solem, & visum nostrum interponũtur disgregant radios visuales, vt contingit diebus ęstatis, cum Sol in ortu appareat maior, quam in meridie, &c. sed cum

ipsis

ipsis Astrologis potest dici, quod tales apparentiæ etiam eueniunt in serenissimo Cælo, ac in medio emundato à vaporibus, ergo fatendum est hanc inæqualitatem magnitudinis, sub qua apparet Sol, prouenire ex eo, quod dum minor apparet, existat in parte orbis eccentrici, quæ circumscribit partem grossiorem orbis contenti; quando verò apparet maior, tunc circumscribit partem oppositã, & minus crassam eiusdem orbis, &c.

DE LVMINE CAELI.

QVAESTIO I.

An Cælum habeat lumen?

MANIFESTVM est, in aliqua parte Cæli esse lumẽ, de qua dubitare nemo potest, nisi is, qui caret oculis, aut nunquam Solem aspexit; remanet tantum quærendum, an totum Cælum sit luminosum, & an omnia Astra recipiant lumen à Sole? pro qua sit, &c.

Prima Concl. aff. Nam lux est qualitas propria Cælo, ergo probabile est illam per totum Cælum fuisse diffusam, licet tamen inæqualiter, & pro dispositione partium Cæli, quarum aliæ sunt aptiores ad lucem suscipiendam, scilicet densiores, vt Astra; & aliæ minus aptæ scilicet rariores, vt cæteræ partes Cæli, &c. Item tam partes diaphanæ, & perspicuæ Cæli, quam opacæ respiciuntur à Sole per lineam rectam, ergo necesse est illas illuminari à Sole; & si in partibus perspicuis non videtur lumen, hoc euenit, quia lumen non reflectitur à corpore diaphano, & perspicuo, sed tantum ab opaco, ideò, &c.

Secunda Concl. Omnia Astra ex se habent lumen debile, & remissum; à Sole verò habent lumen notabile, quo illuminant nos; prima pars patet de Luna, quæ in eius eclipsi apparet rubea, & sanguinea, sed hoc non potest prouenire à lumine Solis propter terram interpositam, ergo ex se habet aliquid luminis, & consequentèr cætera astra cum sint perfectiora ipsa Luna &c. secunda pars patet experientia, ex augumento, & decremento Lunæ per accessum, & recessum à Sole, &c.

Quæritur primo. An Astra habeãt lumen in sola superficie, an verò in substantia, & secũdum profunditatẽ?

Resp. Quod habent lumen etiam secundum profunditatem; nam Sol est corpus perfectissimum homogẽneum, ideò est lucidus, & luminosus secundum se totum, idest secundum superficiem, & secundum profunditatem; ità dicẽdum de reliquis Astris respectu luminis, quod habent in se ipsis, ideò, &c.

Quæritur secundo. An lumen, quod

quod astra accipiunt à Sole, recipiatur tantum in eorum superficie, vel etiam in eorum profunditatem?

Resp. aff. Patet, nam ex eo quod aliquod corpus illuminatum est opacum, non licet inferre, quod lumen recipiatur tantum in eius superficie, ergo idem dicendum de astris, cũ sint corpora opaca; ant. patet de ligno, nã quamuis lignum sit opacum, tamen ex ramentis, quæ detrahuntur hascia ex ligno, manifestè patet, lignum illuminari etiam secundum aliquas partes profunditatis; nam si ramenta ex ligno detracta, interponantur inter Solem, & nos, constat sensibus ipsis ea illuminari, & recipere lumen secundum suam totam profunditatem, & nulla est ratio, cur ramenta illa possint illuminari secundum totam profunditatem postquàm sunt detracta ex ligno, & non possint illuminari antequàm detrahantur, ergo, &c.

Quæritur tertio. Quid sit illa macula, quæ apparet in Luna, & à quo prouenit?

Resp. Quod prouenit ex diuersitate partium Lunæ secundum raritatem, & densitatem maiorem, & minorem; nam partes in quibus apparet macula sunt rariores, ideò minus possunt lucere, quia sunt minus aptæ ad recipiendum lumen; nam Solis lumen transit per illas, nec potest reflecti ob defectus soliditatis, sicut reflectitur in alijs; partes verò iuxta illas sunt densiores; & magis possunt lucere, quia lumen Solis potest reflecti, vt patet, &c.

Quæritur quarto. Quid sit Eclypsis Lunæ, & quomodo fiat?

Resp. Eclypsis Lunæ est priuatio luminis Solis causata ex interpositione Terræ inter Solem, & Lunã; nam dum Terra diametralitèr opponitur inter vtrumque, vmbra eius ex oppositione ad Solem causat priuationem luminis, & hoc accidit, dum ambo sunt in linea eclyptica, à qua dicitur Eclypsis, & Sol est in capite, & Luna in cauda Draconis, vel è contra, &c. Aliquando verò ipsa Terra non sic exactè opponitur diametralitèr, sed ex aliqua parte tantum, & tunc non obscuratur tota, &c.

Quæritur quinto. An alia Astra eclypsantur?

Resp. Quod tantum Sol potest eclypsari, & tunc eclypsatur, quando Luna interponitur inter Solem, & nos, quæ Luna (cum sit opaca) causat vmbram; hæc autem eclypsis potest esse totalis, & partialis; nam dum occultatur aliqua pars Solis nobis, dicitur partialis, dum verò totus occultatur, dicitur totalis; circa hoc sunt duo notanda; primum est, quod Sol non priuatur lumine sicut Luna, quia est fons luminis secundũ, quod nunquã Eclypsis Solis naturalitèr est per vniuersum Orbem, quia cum Luna sit minor Terra, non potest ex qualibet parte inter visum omniũ hominũ, & Solem interponi, &c. Alia verò Astra non patiuntur Eclypsim, quia vmbra Terræ, vel ad ipsa non pertingit, vel si ad aliqua posset pertingeret, putà ad Mercurium, vel Venerem; tamen non sufficientèr elongantur à Sole, & sic non possunt priuari lumine.

Quæritur sexto. Cur in Luna non apparet imago Solis, sicut in speculo in aqua videtur, & in alijs corporibus diaphanis terminatis?

Resp. Quod ideò non videtur facies Solis in Luna, quia non est adeò tersa, vt non confundatur, vt patet in aquis crassis bus, & in speculis maculosis; nam Luna est infima Astrorũ, & participat crassitiæ Elementorum, & mirabili ordine iunguntur suprema infimis; & infima supremis, &c.

QVAESTIO II.

An Lux Astrorum sit causatiua caloris?

Concl. aff. Patet experientia; nã corpora sublunaria calefiunt luce Solis, ergo, &c. Item quando Luna est plena, tunc noctes sunt tepidiores, & propter hoc animalia exanguia, vt Ostræ, Conchæ, Conchilia, & alia, tunc sunt pleniora, quia minus læduntur à frigore, & etiam quia per calorem lunarem plus decoquuntur, ergo, &c.

Obijc. primo. Si lux est causa caloris, ergo vbi intensior erit, ibi intensiorem produceret calorem, sed hoc est falsum, ergo, &c. min. patet; nam plus Lucis inest Ioui, Veneri, Lunæ, quàm quibusdam alijs Stellis, vt Cyrio, vel Cani minori, & tamen Cyrius habet maiorem calorem, ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ad prob. dicimus, quod lux prædictorum Planetarum produceret maiorem calorem, quàm lux Cyrij, si aliundè non impediretur; nam impeditur ab aliqua qualitate existente in ipsis Planetis, quæ qualitas habet frigefacere, & non sinit illos effundere calorem pro amplitudine suæ lucis, &c.

Dices. Aliqua Astra sunt causatiua frigiditatis, aliqua humiditatis, aliqua serenitatis, ergo Lux in ipsis non est causatiua caloris, aliter causaret, & frigiditatem quod est falsũ, ergo, &c.

Resp. Neg. conseq. nam multæ Stellæ frigefaciunt, sed nõ per lucem quàm habent, sed per alias virtutes, ideò, &c.

Obijc. secundo. Caliditas est prima qualitas, ergo non producitur ab alia qualitate, scilicet à luce, &c.

Resp. Neg. conseq. nam non incõuenit, lucem, quæ est qualitas præstantissimi corporis producere primam qualitatem, qualis est calor, &c.

Quæritur primò. Quare lumen est causa caloris, & quomodo causat.

Resp. Ad primum, quia est talis naturæ; nam sicut naturalis proprietas grauis est tendere deorsum, ita naturalis proprietas luminis est calefacere subiectum in quo recipitur, si sit calefactibile, & resistentia non sit fortior, quam actiuitas luminis, ergo sicut non oportet quærere, quarè grauitas mouet deorsum, nisi quia est talis naturæ, ita similiter dicendum de luce, &c. Ad Secundum dicimus, quod lumen non est calefactiuum qualitercunque, sed solum per reflexionem, ideò si non esset aliqua reflexio luminis, lumen non calefaceret; & ideò infima regio aeris

est

est calidior, quàm media, quia in illa fit reflexio lucis, &c. Lux enim Astrorum, & Cælorum est eiusdem speciei, quia habent eandem naturã, &c. Item tempore Hyemis Sol minus calefacit, quàm Æstate, quia radij Solis non feriuntur ex directo ad nos, sed obliquo, &c. Item in vallibus plus est calor, quam in campestribus, & his magis, quam in cacuminibus montium, quia in illis est magis reflexio radiorum, & ipsi radij magis vniuntur, &c.

Quæritur secundò. An motus sit causa caloris?

Resp. Affirmat Arist. in 2. Cæli t. 42. sed non per se, & vniuocè, sed per accidens, & æquiuocè; prima pars patet, nam causa per se, & vniuoca est eiusdem rationis cum effectu, sed motus, & calor non sic se habent, ergo, &c. Item motus cum sit imperfectissima entitas non continet nec formalitèr, nec virtualitèr primam qualitatem, qualis est calor, ergo non est causa per se, &c. Secunda pars patet in corporibus animatis, in quibus motus est causa caloris; patet in inanimatis, vt ex attritu duorum corporum durorum, &c. Aqua maris intepescit agitata flatu ventorum, &c.

Dices. Motus est quantitas, sed quantitas nullam habet actiuitatem, ergo, &c.

Resp. Dist. min. quantitas permanens, concedo; successiua, nego; nã motus est quantitas successiua, &c. imò cum distinguatur ab actione, sequitur, quod habet efficacissimam vim, &c.

Quæritur tertio. Quomodo motus causat calorem in his corporibus?

Resp. Quod in animalibus causat calorem, quia per ipsum motum localem tendit maior copia spirituum vitalium ad extremas partes talium animalium, & hoc prouenit, quia facultas motrix ad mouendum vtitur ministerio talium spirituum, ideò attrahit tales spiritus in illis extremis partibus, & consequentèr ipsæ partes calefiunt; vel quia per motum localem pori animalis aperiuntur, & tales spiritus habent liberum aditum, & sic in extremis partibus se conferunt, &c. In corporibus inanimatis causat calorem, quia calor in illis corporibus virtualiter continetur, & per motũ excitatur, &c. vel quia per motum aliquæ partes illorum corporũ rarefiunt, ad quorum rarefactionem sequitur calor, &c. vel quia per collisionem corporum aer rarefit, & incalescit, à cuius calore posteà corpora calefiunt, &c. vel quia cum talia corpora habeant aliquas partes tenuiores siccas, & calidas, adueniente motu, illæ partes per collisionem, & per motum intendunt calorem, quem in se habent remissum, ideò, &c.

Not. quod motus est rarefactiuus, & ad rarefactionem sequitur calor, sicut e contrà; nam calidi est rarefacere, & ad calorem sequitur rarefactio; sicut frigidi est condensare, & ad condensationem sequitur frigus; nam datis debitis rerum dispositionibus, si forma est apta prouenire ex ipsis, statim insurgit, aliter esset frustrà, &c.

Vu 2 Quæ-

Quæritur quarto. Quomodo lux differt à lumine?

Resp. Quod lux, & lumen differunt inter se, sicut species, vel imago, & id, cuius est species, vel imago; nam lux est qualitas manens in corpore lucido; lumen est species ipsius diffusa per medium, &c. vndè hæc omnia scilicet lux, lumen, splendor, & radius, inter se differunt, lux est qualitas manens in corpore lucido; lumen est species ipsius lucis; splendor est qualitas visibilis causata ex repercussione luminis, nam splendor non prouenit immediatè à corpore lucido, sed à lumine, vt in hoc cubiculo nostro est splendor, quamuis non adsit lumen, sed causatur ex reflexione ipsius; radius est lumen, quasi extẽsum per lineam, qui radius diuiditur in radium reflexum, rectũ, fractum, refractum; radius rectus est lumen, quod sine impedimento per lineam rectam ex corpore luminoso pertingit ad oculum; reflexus est cũ radius ipse obuiat corpori opaco, & quasi directè reuertitur, vt patet de radijs reflexis à speculo, oppositum per plumbum; fractus est, qui ex medio raro tendit in densius, vt dum ex aere transit in aquam; refractus est, qui à medio densiori redit in rarius absque opaco, vt cum ex aqua resultat in aerem, &c. Ex his sequitur, quod si aliquod corpus ex sua natura non luceat, tunc illa qualitas visibilis non debet appellari lux, sed lumen, quamuis sit vsus apud quamplurimos accipere vnum pro alio, &c.

DE INFLVXV CAELI.

QVAESTIO I.

An corpora cælestia agant in hæc inferiora, & quomodo?

PRima Concl. Corpora cælestia habent verum, & realem influxum circa hæc inferiora; patet ex 2. de gen. 55. Sol dicitur generatiuus omnium, &c. Item Sol sua luce calefacit hæc inferiora, liquefacit ceram, & exiccat lutum, ergo, &c.

Secundo. Hæc inferiora sunt omnia corruptibilia (loquendo de compositis) ergo vt perpetuò conseruẽtur, indigent aliquo incorruptibili cõseruante, sed conseruatio fit solum per actiones, ergo, &c. Item patet experientia, nam Medici in suis curationibus, obseruant Astra, quia aliquandò influunt bonas qualitates, aliquãdò malas, &c. Item conchiliæ, & conchæ habent incrementum, & decrementum ab incremento, & decremen-

mento Lunæ, ergo, &c. Item in natura nihil est frustra, sed si Cæli non influerent, tunc essent frustra, ergo, &c. neque est dicendum, quod agerent in se ipsos, quia sunt impassibiles, &c.

Secunda Concl. Corpora cælestia influunt in hæc inferiora mediante triplici instrumento scilicet lumine, motu, & influentia; patet de lumine, & motu, vt in prima Conclusione, & omnes communiter tenent; de influentia verò (cum sit contra Auerroem, Picum Mirandulanum dicentes, Cælum non influere per influentias) prob. nam corpora cælestia generant in visceribus terræ aurum, argentum, & cætera metalla, quæ non potest attingere lumen, nec motus, ergo in eis est concedenda alia virtus, aut influentia, per quam possit produci talis effectus; antec. prob. nam in visceribus terræ nulla potest excogitari virtus sufficiens ad hos effectus producendos, cum tales effectus sint perfectiores ipsa terra; neque est excogitabilis alia inferior causa, à qua producantur, vt patet ergo à solis corporibus cælestibus possunt generari; quod lumen, & motus non possint eos attingere, patet; nam impossibile est radios lucis penetrare tam ingentem crassitatem terræ, &c. & calorem productum per motum non habet tantam intensionem, vt possit penetrare tam vastam molem, ergo, &c. causa sufficiens horum effectuum debet esse aliqua influentia cælestis distincta à lumine, & à motu, &c.

Secundò prob. Nam corpora cælestia præter calorem influunt etiam frigiditatem; sed frigiditas non potest causari à lumine, & à motu, quia hæc sunt causa caloris ex 2. Cæli 42. ergo ab alio instrumento nobis occulto, scilicet ab influentia cælesti; neque dicas, quod frigiditas generatur ex remissione luminis, seu ex distantia Solis, quia est qualitas positiua, ergo debet habere causam positiuã, qualis non est remissio luminis, cum sit quid priuatiuum, &c.

Obijc. primo. Contra primam Concl. Damascenus lib. 1. de fide orthodoxa c. 6. negat, corpora cælestia efficere generationes rerum, ergo, &c.

Resp. Dist. antec. tanquam causa primaria, concedo; tanquam causa secundaria, nego; nam, &c.

Obijc. secundo. Agens debet esse approximatum passo, vt possit agere, ex 7. Phys. t. 10. sed corpora cælestia multo distant ab his inferioribus, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. Agens, quod agit per contactum Mathematicum, concedo; per contactum virtutis, nego; nam, &c.

Dices. Si corpora cælestia essent approximata his inferioribus per eorum virtutem, tunc virtus v.g. Solis, vel alterius superioris Orbis deberet transire per orbes inferiores, sed hoc est falsum, quia tunc tales inferiores orbes alterarentur per illam virtutem, sicut alterantur ista inferiora recipiẽdo talem virtutem, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus,

mus, quod orbes cæleſtes ſunt præſentes corporibus inferioribus per ſuã virtutem,quam per totum mundum inferiorem extendunt; vt verò virtus eorum ad inferiora corpora deferatur, non eſt neceſſe, vt in intermedijs etiam producantur qualitates alteratiuæ, &c. ſcilicet frigiditas, caliditas, &c. quæ producuntur in inferioribus, quia non ſunt capaces talium qualitatum, ideò, &c.

Obijc. tertio. Contra ſecundam Concl. Ariſt. fecit ſolum mentionem de motu, & lumine in influendo in iſtis inferioribus, ergo non eſt ponendum tertium inſtrumentum, ſcilicet, qualitas occulta, ſeu influentia, &c.

Reſp. Diſt. antec. explicitè, concedo; implicitè, nego; nam expreſsè ſolum fecit mentionem de lumine, & motu, tamen ex his, quæ docuit de influxu corporum cæleſtium, colligitur, debere dari hoc tertium inſtrumentum ſcilicet qualitas occulta, &c.

Obijc. quarto. Nihil eſt ponendũ in rebus naturalibus, quod non poteſt elici cum aliqua cognitione ſenſitiua, vt colligitur ex Ariſt. &c. & ideò dicitur ſcientia de rebus ſenſibilibus, ſed nullus ſenſus poteſt percipere has influentias, vt patet, quia ideò dicuntur qualitates occultæ, ergo, &c.

Reſp. Diſt. min. immediatè, concedo; mediatè, nego; nam tales qualitates, licet immediatè non cadant ſub ſenſu, tamen mediatè, & ex effectu cadunt ſub ſenſu, quia multa generantur ſine lumine, & motu cæleſti, ideò ex alio inſtrumento colligitur generari, ſcilicet ex ipſa qualitate occulta, &c. Item non eſt neceſſè, quod in philoſophicis omnia cadant immediatè ſub ſenſu, ſed ſufficit, vt ex ipſo eliciantur, vt patet de primo Motore, ideò, &c.

Quæritur. An motus circularis Cæli ſit ei ratio agendi, an potius cõditio?

Reſp. Quod talis motus eſt ſolum conditio applicans virtutem actiuam Cælorum ad diuerſa loca, & corpora horum inferiorum; patet nam motus localis (quicunque ille ſit) eſt via ad acquirendam præſentiam localem, ſed præſentia localis non eſt actiua, ſicut nec extenſio localis, vel quantitas, ergo, &c. Item in bello Ioſuè, & etiam poſt diem iudicij, quieſcente Sole, adhuc ipſe Sol illuminauit, & illuminabit corpora inferiora, & ipſa calefecit, ſed ſi eſſet ratio agẽdi, tunc Sol non poſſet ſine illa producere aliquem effectum, ergo, &c.

QVAESTIO II.

An Cælum Empyreum influat in iſta inferiora?

DE Cælo Empyreo ſunt iſta quærenda, ſcilicet an ſit, quid ſit, cuius rei gratia ſit, an ſit mobile, & cuius figuræ; pro qua ſit:

1 *Prima Concl.* Cælum Empyreum verè datur, tamen non poteſt probari nec à priori, nec à poſteriori, ſed tantum auctoritate Interpretum; patet, nam corpora ſuperiora non poſſunt

ſunt

sunt cognosci, nisi per motum, vel effectum, sed à nobis non cognoscitur eius motus, quia non mouetur, nec aliquis eius effectus, ergo, &c.

Secunda Concl. Est compositum ex materia, & forma, tamen diuersæ rationis à materia, & forma aliorum corporum cælestium; patet, quia habet quantitatem, & est accõmodata sedes Beatorum, ergo, &c.

Secunda pars patet, vt colligitur ex supremo loco, & etiam ex perfectissima luce, ideò vocatur Empyreum, idest igneum, non à calore, sed ab eximia luce, &c. ergo, &c.

Dices. Si Cælum Empyreum est lucidissimum, quare oculis nostris ipsum non inspicimus?

Resp. Ex Riccardo in 2. dist. 2. q. 2. quod Deus aufert ab ipso concursum generalem versus nos, quo remoto; non potest agere, vel illuminare; vel quia Cælum Christallinum impedit sua densitate, ne videatur à nobis propter nimiam distantiam; Alij dicunt, illam lucem solum lucere ex parte conuexa eiusdem Cæli versus sedes Beatorum; ex parte verò concaua, & versus nos non lucet, quia ipsum Cælum ex hac parte est nimis densum, & hæc densitas impedit, ne effundat lucem ad nos; sicut speculum ex vna parte reddit lumen, & ex alia parte est plumbatum, &c. Vel dicimus cum Diuo Thoma, quod Cælum Empyreum habet lucem non condensatam, vt emittat radios, sicut corpus Solis, sed magis subtilem, vel habet claritatem gloriæ; quæ non est conformis cum claritate naturali, &c.

Tertia Concl. Cælum Empyreum est creatum à Deo, vt esset sedes Beatorum, patet ex auctoritate sacræ Scripturæ, & Interpretum, &c.

Quarta Concl. Est immobile localiter ex propria natura, tamen potest moueri præter naturam; Secunda pars patet, nam quælibet creatura habet potentiam obedientialem respectu Dei, vt ab eo moueatur, ergo, &c. Angelus enim non potest ipsum mouere per virtutem naturalem, quia, cum sit Sedes ex propria natura omnium Beatorum, non subditur virtuti naturali Angelorum quantum ad motum localem, quia vniuersale bonum totius Curiæ Cælestis, vt est immobilitas, & quietum domicilium omnium Beatorum excedit naturalem virtutem Angelorum, &c. Sicut extrahere integrum Elementum, aut corpus Cæleste à propria Sede, superat naturales vires vnius Angeli, imò omnium Angelorum, quia daretur vacuum, ita, &c.

Quinta Concl. Est figuræ quadræ, patet, vt supra, &c.

Sexta Concl. influit in hæc inferiora; patet, nam cum sit quodam corpus debet habere ordinem ad mundum, sed talis ordo esset frustra, si non influeret, ergo, &c. Aliqui dicunt, quod Cælum Empyreum influit in intellectum, & voluntatem, vt sunt bonæ inspirationes, vaticinia, & alia altioris gradus, & ordinis, sicut ipsum Cælum præcellit dignitate cæteris corporibus, &c.

QVÆ-

QVAESTIO III.

An cessante motu Cæli, cessare debeant omnes actiones corporum sublunarium?

MOtus Cæli est necessarius, vt corpora inferiora conseruentur, nam si corpora Cælestia non mouerentur, tunc semper eodem modo illuminarent, & consequenter eodem modo influerent calorem, & frigiditatem, & sic per calorem corpora inferiora comburerentur, & per frigiditatem perderent esse naturale: Item nec esset illud temperamentum necessariò requisitum, vt fieret generatio; Sensus quæsiti est, num motus Cæli sit ita necessarius, vt ipso sublato, nullus possit fieri motus; pro qua sit, &c.

Concl. Cessante motu Cæli, non necessariò debet statim cessare actiones, & motus sublunarium; Licet cessante influxu Cæli aliquæ generationes non fierent; Est Scoti in 2. dist. 14. q. 3. prima pars patet, nam in bello Iosue, iam quiescente Sole, homines mouebantur, & suas operationes exercebant, ergo, &c. Secundo ratione, corpora cælestia indigēt motū ad hoc, vt magis approximentur huic, & illi passo, vt possint influere suam virtutem, ergo ipso ablato, iam non perderet propriam virtutem, & cōsequenter verè possent influere, &c. Item per motum localem, solum acquiritur noua præsentia, non autem aliqua virtus, ergo ipso cessāte, adhuc corpora cælestia haberent virtutem influendi, &c.

Secunda pars prob. nam metalla generantur in visceribus terræ per influxum corporum cælestium, ergo ipso ablato tales generationes non fierent, &c. Item generatio hominis requirit necessariò calorem Solis; nam virtus hominis nisi foueatur à calore Solis nō potest generare, ergo ablato influxu Cæli talis generatio non fieret, &c. Item sicut homo non potest generari, nisi sit virtus Solis, ergo quanto magis alia animalia imperfecta indigent tali virtute, &c.

Obijc. primò. In vnoquoque genere primum est causa reliquorum; sed motus circularis est primus in genere motuum ex 8. Phys. ergo est causa reliquorum, & consequenter ipso cessante, alij motus etiam cessabunt, &c.

Resp. Dist. mai. si est primum in genere causalitatis, concedo; in genere mensuræ, & perfectionis, nego; nam motus Cæli est primus respectu cæterorum motuum, non in genere causalitatis, sed in genere mensuræ, & perfectionis, ideò, &c.

Obijc. secundò. Motus Cæli respectu motus sublunarium, sic se habet, sicut motus cordis respectu cæterorum membrorum, sed cessante motu cordis, cessat motus membrorū, &c.

Resp. Quod paritas est tantū in hoc, quod sicut motus cordis ordinat motus omnes aliorū membrorū, sic motus Cæli ordinat motus cæterorū corporū, tamen in alijs non valet paritas, &c.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An corpora Cælestia suo influxu producant metalla, & alia mixta in visceribus Terræ?

CErtum est apud omnes, metalla generari in visceribus Terræ; tantùm in hac quæstione quæritur, quæ nam sit causa efficiens producendi talia mixta, & quæ nam sit materialis, &c. Deus à principio mundi, quamuis ornauit Terram arboribus, herbis, animalibus, ac etiam ipsis metallis, tamen dedit ei virutem producendi alias herbas, arbores, animalia, & alia metalla, vt patet in Mari, in quo paulatim generantur margaritæ, ac multi alij Lapides pretiosi; &c. Pro qua sit:

Concl. Corpora Cælestia sunt causa efficiens proxima, & per se producendi metalla, & alia mixta, quæ generantur in sinu materiæ; causa materialis proxima, ex qua generant, est vapor humidus existens in visceribus terræ congelatus propter frigiditatem lapidum, & siccitatem terræ, & etiã exhalatio sicca; prima pars patet; nam corpora Cælestia habent virtutem producendi omnes primas qualitates, ergo per has possunt disponere materiam metallorum, nempè vaporem, & exalationem, & eandem materiam condensare, & ex ea educere formam metallorũ, &c. Item metalla non possunt causari ab Elementis, ergo ab aliqua causa superiori alia ab Elementis, & consequenter à Cælo, &c. Secunda pars patet, nam ex vaporibus, & exalationibus à terra ascendentibus fuisse genitum ferrum, vt aliqui affirmant fuisse euentum in Perside, in Valentia, in Regno Hispaniarum; ergo si in Aere vapor, & exalatio sic possunt condensari, vt ex eis producantur metalla, ergo multo magis in terra, &c.

Obyc. primò. Metalla non continentur eminenter in corporibus Cælestibus, ergo, &c. Antecedens patet; nam quod continet eminenter aliquod, debet esse superioris ordinis, seu corpora Cælestia æquè sunt materialia, sicut metalla, ergo, &c.

Resp. Neg. ant. ad prob. dicimus, quod sufficit, vt continens sit perfectioris naturæ, non autem extra genus illius, quod producitur, vt patet de luce, quæ virtualiter continet calorem, & tamen est in eodem genere cum calore, &c.

Obyc. secundo. Lux Solis priùs pertingit medium, & posteà extremum, ergo priùs in medio deberet producere metalla, &c.

Resp. Neg. conseq. nam in medio non inuenitur materia apta ad hoc agendum, &c.

QVAESTIO V.

An corpora Cælestia suo influxu possint producere animalia absque semine?

PRima Concl. Corpora Cælestia suo influxu, & sine semine pos-

sunt producere animalia imperfecta, quæ generantur ex putri materia, solum alterando materiam ad qualitatem conuenientem, non autem producendo animam; prima pars patet, nam corpora Cælestia influunt calorem, & alias qualitates primas, sed istæ sunt necessariæ ad disponendam materiam mixti ad qualitatem conuenientem animæ, vt patet, ergo corpora Cælestia concurrunt alterando, &c. Item concurrunt ad productionem hominis, ergo multo magis ad productionem talium animalium imperfectorum, &c.

Secunda pars; anima vt anima est nobilior corpore Cælesti, ergo ab illo non potest produci, quia imperfectius non producit perfectius, &c.

Resp. Aliqui, quod producuntur à corpore Cælesti, tanquam instrumentum Intelligentiæ. Sed

Contra instrumentum agit virtute agentis principalis, sed intelligentia, quæ est agens principale, non habet virtutem producendi animam, quia non continet nec formaliter, nec eminenter viuentia, ergo, &c. nõ formaliter, quia est diuersæ speciei, nec eminenter, quia non est virtualiter corpus, ergo, &c. Item Intelligentia nullam aliam virtutem imprimit Cælo, nisi motum localem, sed per motum localem non potest produci talis anima, cum motus localis sit tantum applicatio agentis ad passum, non verò ratio agendi, ergo, &c.

Secunda Concl. Corpora Cælestia non possunt producere suo influxu animalia perfecta ex putri materia, & sine nomine; Est Scoti in 2. d.8.q.1. patet nam talia animalia semper exigunt produci ex eorum natura ab alio viuente per virtute seminalem, vt diximus in 2. Phys. disp.2. de causis, q.7. ergo, &c.

Obijc. primò. Contra secundam Concl. corpora Cælestia possunt disponere materiam ad introductionẽ animæ animalium imperfectorum sine semine, ergo similiter ad introductionem animalium perfectorum sine semine; conseq. sequitur; nam vtraque anima exigit per dispositionem temperiem quandam qualitatũ, quæ temperies à Cælo potest prouenire, ergo, &c.

Resp. Neg. conseq. nam animalia perfecta requirunt perfectiorem materiam, quam sit materia ex putri, ideò requiritur semen, &c.

Obijc. secundò. Plinius refert in 8. lib. naturalis Historiæ c.46. In Lusitania (flante quodam vento) equas generare quoddam animal, quod per triennium vixit, ergo cum ibi nõ fuerit semen necessariò genitus esset per influxum Cæli, &c.

Resp. Neg. ant. nam talis Historia, & alia huiusmodi sunt fabulosæ, &c.

Obijc. tertiò. Vnica reperitur fenix, quæ non ex semine, sed ex cineribus proprijs producitur, ergo, &c.

Resp. Neg. ant. nam multi affirmant esse diuersas fenices in multis locis, &c. quod illa renascatur ex cineribus non est verum, est tantum dictum plebeum, &c.

Tertia Concl. Animalia genita ex putri materia sunt eiusdem speciei cũ illis,

illis, quæ sunt eiusdem rationis, generantur ex semine; Est Scoti in primo d. 1. q. 7. soluendo primum principale, patet ex 2. Phys. d. 2. q. 7. &c.

QVAESTIO VI.

An Corpora Cælestia influant in intellectum, & voluntatem hominis?

CONCL. Neg. directè; aff. indirectè; Est Scoti in 2. d. 14. q. 5. prima pars patet ex Damasceno lib. 2. de fide ortodoxa c. 7. vbi hoc sic probat; Cælum necessariò, & naturalitèr agit, ergo si Cælum influeret in actiones humanas, tunc tales actiones non essent liberæ, sed naturalis, & consequenter homo ageret more belluarum, & sic nulla esset culpa, nullum meritum, nulla ratio consilij, quod est contrà fidem, &c. Secundo corpus non potest agere in spiritum directè, quia omnis effectus est corporalis, cum non excedat suam causam, & corporeum non potest recipi in spiritum, tanquam in subiectum, sed intellectus, & voluntas sunt spiritus, ergo, &c.

Secunda pars prob. nam corpora cælestia possunt influere diuersas qualitates in organa sensuum, quibus potentiæ inclinantur ad hunc, vel illum effectum, vt calefaciendo sanguinem cordis, deindè ipso sanguine feruescente appetitus irrascibilis incitatur ad iram, & sic secum inclinat voluntatem, non tamen per hanc motionem indirectam potest voluntas necessitari, quia semper remanet in sua libertate, ac indifferentia, &c.

Obijc. primo. Corpora Cælestia influunt in Dęmones mediantibus aliquibus herbis, vt asserunt multi Magi, ergo, &c.

Resp. Neg. ant. nam licet Dęmones vocati à Magis sub certis constellationibus, ac signis accurrant, tamen hoc non prouenit, quod illæ constellationes influant in Dęmones, sed quia ipsi cupiunt adorari, ideò illis signis se submittuntur, &c.

Obijc. secundo. Astrologi ex sola obseruatione corporum Cælestium certò pronosticantur de futuris euentibus pendentibus à voluntate humana, ergo corpora cælestia directè influunt in voluntatē, aliter tales Astrologi non possent pronosticare, &c.

Resp. Neg. conseq. nam corp or cælestia physicè tantum agunt in partem sensitiuam hominis, & quia potentia intellectiua pro statu isto pendet ab illa in operando, ideò tantum indirectè, & mediatè possunt voluntatem moraliter inclinare, &c. Nam homines vt plurimum sectantur inclinationem appetitus sensitiui; paucissimi verò viuunt secundum rectam rationem, ideò Astrologi sæpè cum certitudine indicant de humanis euentibus futuris, &c.

Scotus in 2. d. 14. q. 3. §. quarto dico, &c. negat physicam actionem Astrorum directam, & immediatam super voluntatem humanam; tantum affirmat physica agere super cuncta animata, alterando etiam illa ad quali-

litatem conuenientem, vel disconuenientem animationi; concedit etiam sic directè agere physicè in partem sensitiuam immutando illam, quia organa sensuum, cum sint corporea, & mixta possunt immutari, vel alterari ad aliquem gradum conuenientem illis, vt sint organa disposita ad sentiendum, & ad gradum illis disconuenientem, vt possint corrumpi, & lædi, &c. ex hoc infert posse quoque Astra mediatè habere aliquem actionem circa intellectum, & voluntatem, quia si deordinatur sensus in actu suo, deordinatur quoque intellectus, vt patet in freneticis, & lunaticis, in quibus est imaginatio confusa, & etiam possunt esse causa deordinationis in voluntate, quia possunt alterare appetitum sensitiuum, vt inclinatur magis ad hoc, quàm ad illud, & quia in Viatore voluntas inclinatur ad prosequendum illud, quod appetitus sensitiuus efficaciter prosequitur, ideò Planetæ, & alia corpora cælestia inclinant voluntatem; hinc patet Astrologos frequenter certò pronosticare de moribus hominum tantum carnalium, non verò de moribus spiritualium, &c.

DE QVANTITATE & alijs accidentibus Cæli.

QVAESTIO I.

An quantitas Cæli sit eiusdem rationis cum quantitate horum inferiorum?

CONCL. *aff.* Prob. nam nulla percipitur differentia inter quantitatem Cæli, & sublunarium, quia quantitas Cæli dicit extensionem partium, sicut quantitas horum inferiorum, ergo, &c. Item linea, superficies, & corpus sunt species quantitatis continuæ, sed tales dimensiones competunt vtrique quantitati, ergo, &c.

Obijc. primo. Substantia Cæli distinguitur specie à substantia horum inferiorum, ergo similiter quantitas; conseq. sequitur; nam quantitas est accidens sequens substantiam, &c.

Resp. Neg. conseq. nam quantitas est accidens cōmune, cui non repugnat esse idem in substantijs specie diuersis, &c.

Obijc. secundò. Quantitas sublunaris est receptiua aliorum accidentium, sed in Cælo talia accidentia nō possunt recipi, ergo quantitas Cæli est diuersa à quantitate sublunari, &c.

Resp. Dist. min. talia accidentia non possunt recipi in Cælo ratione substantiæ Cæli, concedo; ratione quan-

quantitatis Cæli, nego; nam eadem accidentia, quæ recipiuntur in quantitate corporum sublunariũ, possunt recipi in quantitate corporum Cælestium, sed non recipiuntur ratione substantiæ Cæli, quæ est incapax talium qualitatum ob suam incorruptibilitatem, &c.

QVAESTIO II.

An in Cælo sit vera raritas, & densitas, sicut in corporibus sublunaribus; & an sit eiusdem speciei?

Concl. *aff.* Prima pars prob. nam vera raritas est illa, quæ magis extendit partes corporis secundum maiorem præsentiam localem; verò densitas est illa, quæ tales minus extendit, & magis coniungit, sed omnes isti effectus raritatis, & densitatis inueniuntur in Cælo, ergo, &c. min. patet, nam in Sole, Luna, & Stellis plus materiæ inuenitur sub paucioribus dimensionibus, quàm in alijs partibus Cæli; sed non potest plus materiæ inueniri sub minoribus dimensionibus, nisi inueniantur plures partes inter se multum coniunctæ per condensationem, ergo, &c.

Secunda pars probatur: nam raritas, & densitas cælestium, & sublunarium habent eundem effectum formalem, ergo, &c. ant. patet; nam effectus raritatis est, vt paruæ partes sub maioribus dimensionibus contineantur; effectus densitatis est, vt multæ partes sub minoribus dimensionibus cótineantur, sed tales effectus formalis eodem modo sunt in cælestibus, sicut in sublunaribus, ergo, &c.

Obijc. primo. Ex Arist. primò de partibus animalium, raritas generatur à calore, densitas verò à frigore, sed in Cælo non reperiuntur tales qualitates, ergo, &c.

Resp. Dist. mai. omnis raritas, & densitas, nego; aliqua, concedo; nam Arist. ibi loquitur de raritate, & densitati sublunari, quæ generantur ex caliditate, & frigiditate, non verò de omni raritate, & densitate, &c.

Obijc. secundo. Raritas, & densitas sunt secundæ qualitates, quæ proueniunt à primis, sed primæ qualitates non sunt in Cælo, ergo, &c.

Resp. Quod maior non est vniuersaliter vere; nam vera raritas, & densitas non proueniunt semper à primis qualitatibus, sed aliquando ex dispositione partium subiecti, & per hoc nó tollitur, quod ambæ non sint veræ raritates, & densitates; nam esse diaphanũ in Elementis est ex duabus qualitatibus; in mixtis ex quatuor qualitatibus; In Cælo verò ex nulla, & tamen esse diaphanum est eiusdem rationis, & speciei in omnibus, &c.

Not. quod raritas, & densitas, nec sunt primæ quatitates, vt patet, nec secundæ, quia istæ proueniunt à primis, sed sunt qualitates ab istis distinctæ, &c.

Quæritur. An Cæli sint diaphani, vel opaci?

Resp. Esse ex parte diaphanos, & ex parte opacos, prima pars patet; nam illud est diaphanum, quod non terminat visum, nec impedit traie-

ctio-

ctionem lucis, sed ita se habent Cæli, nam videmus superiores Orbes, & eorum astra, ergo, &c.

Secunda pars patet; nam corpus opacum terminat visum, & impedit traiectum lucis, sed Cæli in quibusdã suis partibus ità se habent, vt patet in Eclypsi Solis, nam si Luna interponitur inter Solem, & nos, impedit nè visus noster penetrat vsque ad Solem, & impedit traiectum lucis Solis, ergo, &c.

Quæritur. An in Cælo dantur differentiæ positionum, nempe sursum, & deorsum, dextrum, & sinistrum, ante, & retro?

Resp. aff. ità Arist. secundo Cæli t. 13. non propriè, sed impropriè, & methaforicè; nam sursũ est polus antarticus, deorsum est polus articus, dextrum est Oriens, sinistrum Occidens, ante est illa pars, quæ est inter Orientem, & Occidentem, retrò est opposita pars; patet nam sicut in animalibus dextrum dicitur illud, vndè incipit motus, cum pars dextra aptior sit ad motum, & sinistrum opposita pars; ita in Cælo, dextrum est Oriens, quia ab ipso incipit motus; & sinistrum est Occidens, quia opposita pars, &c. In animalibus pars anterior est illa, ad quam tendit motus animalis, posterior à tergo, ità in Cælo pars anterior est inter Orientẽ, & Occidentem, idest super nostrum Horizontem, & eius opposita pars erit retrò; In animalibus pars superior erit caput, inferior sunt pedes; ità in Cælo pars superior erit polus antarticus, quia (vt dicunt Astrologi) in ipso sunt nobilissimæ Stellæ, pars opposita erit articus, &c. Itaque in Cælo est imaginandus quidam magnus homo, cuius pedes sint in polo artico, caput in polo antartico, dextra in parte Orientali, sinistra in Occidentali, ante super nostrum Horizontem, retro opposita pars, &c.

DISPVTATIO IV.

De Elementis.

QVAESTIO I.

An Elementa sint quatuor?

CONCL. aff. Ità Arist. 4. Cæli 37. nempè Ignis, Aer, Aqua, & Terra; patet nam si vnum contrariorum fuerit in natura necesse est reliquum esse in rerum natura, sed datur aqua, quæ est frigida, & humida, ergo debet dari aliud corpus, quod sit calidum, & siccum, & hoc vocamus Ignem; pariter datur Terra, quæ est sicca, & frigida, ergo dandum aliud corpus, quod sit humidum, & calidum, & hoc vocamus Aerem, ergo, &c. Item patet ex resolutione corporum mixto-

to-

torum, quæ fit in illa, quatuor Elementa, nam si lignum viride comburatur ab igne, potestis videre hęc quatuor, scilicet flammam, quæ ignem demonstrat, fumum, qui aerem, guttulas aquæ decidentes per ipsas extremitates ligni, & cinerem, quæ terram, ergo, &c.

Quod detur ignis existens in concauo Lunæ, prob. nam exhalationes, quæ feruntur sursum, cum peruenerint super aerem, igniuntur; vndè fiunt Cometæ, trabes accensi, & similia, ergo ibi debet esse aliqua vis igniens, & hæc non potest esse aliud, nisi ignis, &c. & si Cometæ non sint in regione ignis, sed aeris, tamen aer, & Cometæ incenduntur ab ipso igne, &c. Item ignis, qui est apud nos est impurus, & mixtus aliarum qualitatum, & consequenter minus propriè dicitur elementaris, sed ille, qui est in concauo Lunæ est purum elementum, & ideò experimur ignem tendere ad superiora, ergo, &c.

Obijc. primo. Si daretur talis ignis elementaris in concauo Lunæ, posset videri oculis, sed hoc est falsum, ergo, &c.

Resp. Neg. mai. nam communi consensu omnium datur aer, & etiam ventus, tamen non percipiuntur oculis, cum sint rariores; ita dicendum de igne existente in concauo Lunæ, cum habeat maiorem raritatem, quam habeat aer, ideò, &c.

Obijc. secundo. Ignis habet maximam actiuitatem, ergo si daretur, unc combureret totum mundum, & præsertìm dextrueret aerem vicinũ, & Cælos proximos, quod est falsum, ergo, &c.

Resp. Neg. sequelam; nam eius actiuitas cohibetur ab influxu Astrorum, Lunæ, & Saturni, & ab humiditate aeris, & à frigiditate extrinseca, &c. Item ibi est rarissimus, & ideò est minus potens ad agendum, &c.

Obijc. tertio. Ignis eget combustibili, vt conseruetur, sed suprà sphęram aeris non inueniuntur talia combustibilia, ergo si ibi esset, statim extingueretur, &c.

Resp. Dist. mai. Ignis eget combustibili extrà suam sphęram, concedo; in propria sphęra, nego; nam extrà suam sphęram est impurus, ideò eget nutrimento, vt se defendat à contrarijs qualitatibus, vt conseruetur, non sic in sua sphęra, &c.

Dices. In 1. Met. c. 4. id quod est suprà aerem, dicitur ignis, tamen ibi verè ignis non est, ergo, &c.

Resp. Quod Arist. quando ibi dicit, quod illud, quod est suprà aerẽ non est ignis, vult dicere, quod non est ignis ita validissimus, & actiuus, sicut noster; nam ibi est rarissimus, noster verò habet materiam densissimam, ideò, &c.

QVAESTIO II.

An Elementa habeant figuram rotundam?

CONcl. aff. prob. nam totum vniuersum est rotundum, ergo similiter partes principales, quæ

sunt

sunt elementa. Item Elementa continentur infrà Cælum, ergo cum corpora cælestia voluentur circà talia Elementa, necessariò debent habere figuram rotundam, sicùt corpora cælestia, &c.

Obijc. primo. Quæ mouentur motu circulari habent figuram rotundam, ergo quæ mouentur motu recto habent aliam figuram, scilicet rectam; conseq. sequitur, nam figura, & motus debent inter se correspondere, &c.

Resp. Neg. conseq. nam motus rectus conuenit elementis, vt acquirant suum locum naturalem; dum verò sunt in suo statu naturali, ibi ampliùs non mouentur motu recto, & consequenter non repugnat ibi esse figuræ rotundæ propter dictam rationem, &c.

Obijc. secundo. Terra est multum inæqualis, nã in ipsa sunt multi montes, sed isti repugnant figuræ rotundæ, ergo, &c.

Resp. Dist. min. repugnant figuræ rotundæ perfecta rotunditate, & mathematicè, concedo; non perfecta rotunditate, nego; nam elementa non sunt omninò, & mathematicè rotunda, sed tantum aliquo modo; montes enim, & valles, & alia huiusmodi respectu totius terræ sunt parua corpora, & consequenter non impediunt eius rotunditatem, &c.

QVAESTIO III.

An Elementa sint æterna? & an vnum sit summè leue, aliud summè graue, & duo medio modo se habeant?

PRima Concl. Neg. secundum eorum simplicem naturam; aff. secundum eorum totalitatem, & æquiualentiam; prima pars patet; nam quæ constant ex materia, & forma, & simul habent qualitates corruptiuas non sunt æterna, sed corruptibilia, sed Elementa sunt huiusmodi ex 2. de gen. ergo, &c.

Secunda pars patet; nam totum vniuersum est æternum, ergo similiter quælibet pars secundum se totũ; conseq. sequitur, quia si esset aliter, tunc ordo vniuersi destrueretur, &c. Item secundum æquiualentiam; nam sicut fluuius dicitur perpetuus ob æquiualentiam aquarum fluentium, ita Elementa, cum semper habeant eundem locum, et situm in vniuerso; secundum quam consideratione Arist. vocat Elementa æterna, et prima, ex 2. de gen. &c.

Secunda Concl. Ignis est summè leuis, Terra summè grauis, Aqua, et Aer sunt elementa grauia, et leuia respectiuè; prima pars patet; nam ignis existens in sua naturali dispositione expostulat simplicem, et summam qualitatem sibi conuenientem; sed hæc est leuitas, vt patet experientia, ergo, etc.

Se-

Secunda pars patet etiam eadem eadem ratione, & experientia; tertia pars prob. nam illa, quæ non descendunt simpliciter ad centrum, nec ascendunt ad extremum, non sunt simpliciter grauia, & leuia, sed Aqua, & Aer sic se habent, vt patet, nam locus naturalis aquæ est supra terram, aeris sub igne, ergo, &c.

Obyc. primò. Contra secundam Concl. Quod tendit circa medium, vel centrum non habet summam leuitatem, sed ignis sic se habet; nam dum aerem vertit in suam naturam, accedit ad locum ipsius, & consequẽter appropinquatur centro, ergo, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod ignis sua maxima actiuitate, vt plurimum superat aerem, & ipsum conuertit in suam naturam, & ideò non propriè descendit, sed generatur; potest tamen ignis descendere aliquo impulsu vel cælesti, vel nubium, vt accidit in fulgoribus, & fulminibus, sed talis non est ipsius motus naturalis, &c. vel prouenit ex aliqua crassitie admixta cũ tali igne, &c.

Obyc. secundò. Quam plurima corpora sunt grauiora ipsa terra, vt patet de auro, plumbo, ergo terra non est summè grauis, &c. Item lapides in mari Hibernico natare super aquas, ergo, &c.

Resp. Neg. antec. ad prob. de experientia dicimus, quod si prædicta corpora sint grauiora terra existente apud nos, non est mirum, quia hæc non est purissimum Elementum, sed affecta à contiguis elementis; tamen terra, vt purum elementum, & existens in sua naturali dispositione est grauior omnibus corporibus, &c. Ad aliud dicimus, quod in illis lapidibus est magnũ prædominium aeris, quãuis terra præcipuè reperiatur quoad constitutionem partium integrantiũ, nam sola moles non est sufficiens, quia tunc ligna super aquam non natarent, &c.

Obyc. tertio. Cadauera submersa postquam fuerunt aliquo tempore sub aquis supernatant, sed talia sunt terrea, ergo terra non est summè grauis, &c.

Resp. Neg. conseq. nam talia cadauera post aliquod tempus tendunt in resolutionem Elementorum, & quia partes internæ, vel viscera sunt aerea, ignea, ideo talia viscera resoluta in illa elemẽta, velih corpus, quod magis participat his, vt est vapor, vel exhalatio petunt proprium locum sursum; & quia tale corpus scilicet vapor, & exhalatio includitur intra ipsum cadauer, ideò cadauer tunc petit locum sursum, & aqua quasi vehendo fert ipsum, eo modo, quo vasa plena aere feruntur super aquas; tamen antequam cadauer esset resolutum, nõ habet talem virtutem, &c.

Quæritur. An medietas in Aqua, & Aere, quæ non sunt nec grauia, nec leuia simpliciter, sit per participationem, vel per abnegationem extremorum?

Resp. Quod esset per abnegationem extremorum in Aqua, & Aere, vt puro elemẽto, patet nam non videtur consentaneum, quod corpora simplicia permisceantur alienis quali-

tatibus, sed talia corpora sunt simplicia, ergo, &c. si verò considerentur vt Elementa impura, sic dicuntur media per participationem extremorum; nam est conspersa multis terrestreitatibus, scilicet salseditate, densitate, &c. medium per abnegationẽ est illud, quod non includit extrema, sed medio modo inter ipsa constituitur, vt color viridis, rubeus, &c. Medium per participationem est illud, quod continet extrema, & dum aliquis sapor conflatur ex dulci, & amaro, vt patet in medicinis, &c. ideò, &c.

QVAESTIO IV.

An grauitas Terræ, & Aquæ differant specie?

CONcl. Neg. patet; nam frustrà multiplicantur entia sine necessitate, ergo cum grauitas terræ, & aquæ habeant eosdem effectus formales, ad quid multiplicantur entia diuersitatis specificæ grauitatum, &c. Item grauitas est principium ad motum deorsum, sed hoc principium æquè inuenitur in grauitate terræ, & aquæ, vt patet de duabus partibus, aquæ, & terræ à superiori loco demissis, quæ ambo ad deorsum mouentur, ergo, &c.

Objc. primo. Grauitas terræ, & aquæ habẽt principia essentialiter distincta, ergo essentialiter distinguuntur, &c.

Resp. Neg. conseq. nam non inconuenit à principijs essentialiter diuersis prouenire eundem effectum, vt patet de calore proueniente à Sole, & ab igne, &c.

Objc. secundo. Grauitas terræ tẽdit ad centrum, grauitas aquæ tendit ad superficiem conuexam terræ, ergo cum tendunt ad diuersos terminos differunt specie, &c.

Resp. Neg. conseq. nam aqua ex se tenderet ad centrum, si à corpore grauiori non impediretur, ideò, &c.

QVAESTIO V.

An Elementa in suis locis grauitant, & leuitant?

CONcl. Neg. prob. nam corpora naturalia, ideò feruntur ad sua loca naturalia, vt ibi quiescant, & fruantur tranquillitate, ergo partes illorum nõ debent se pellere mediante grauitate, & leuitate, quia tunc nõ verè quiescerent, nec existerent in proprio loco, &c. Item si grauitarent, tunc intelligeremus pondus aeris super caput nostrum, &c. Item si aliquis existeret in fundo maris natando sentiret illam magnam grauitatem aquæ existentis super eum, quod est falsum, ergo, &c.

Objc. primo. Partes petunt eundem locum, quem totum, sed partes elementi grauitant in proprio loco, ergo similiter totum elementum; min. patet, nam si aqua salsa misceatur cum dulci; tunc illa ad imum descendit, vt patet experientia in puteis,

teis, quia habet maiorem grauitatẽ, ergo cum omnes partes sint æquales in grauitate, tunc etiam petunt grauitando locum conuenientem, &c.

Resp. Neg. min. ad prob. dicimus, quod aquã salsa, non est purum elementum, ideò non est mirum, si grauitat in proprio loco, tamen purum elementum non grauitat in proprio loco, &c.

Obiic. secundo. Vtres aere pleni sunt grauiores, quam si essent sine aere, sed non per aliud, nisi quia aer habet aliquam grauitatem, ergo, &c.

Resp. Neg. conseq. nam vtres pleni aere, ideò sunt grauiores, quia sũt pleni aere impuro, ideò, &c.

Obiic. tertio. Ablata aqua, descendit aer, & ablata terra, descendit aqua, ergo elementa in suis locis grauitant, &c.

Resp. Neg. conseq. nam aer descendit, vt tollat vacuum; aqua similiter verò descendit ad tollendum vacuum; nec per hoc est dicendum, quod grauitant actu in suo loco, sed tantum habent vim leuitandi, & grauitandi, quam reducerent in actu posito illo casu ob fugam vacui, &c.

Obiic. quarto. Ex 4. Cæli, t. 39. omnia elementa in suis locis habent grauitatem præter ignem, ergo, &c.

Resp. Quod Arist. ibi loquitur de elemento impuro, idest imbutis alijs qualitatibus, vt patet de aere posito in vtre, qui est impurus, idest admissus vaporibus, ideò habet aliquam grauitatem; vel loquitur de elemento prout descendit ad tollendum vacuum, &c.

QVAESTIO VI.

An grauitas, & leuitas sint formæ essentiales corporum leuium, & grauium.

Concl. Neg. tamen sunt qualitates procedentes ex primis; prima pars, nam substantia non suscipit magis, & minus, sed grauitas, & leuitas suscipiunt, ergo, &c. Item aptitudo supponit id cuius est aptitudo, sed grauitas est aptitudo ad motum deorsum, leuitas ad motum sursum, ergo, &c.

Secunda pars patet ex 2. de gener. 8. &c. Quod procedant ex primis, prob. nam calidi est rarefacere, frigidi est condensare, sed ad rarefactionem sequitur leuitas, ad condensationem grauitas, vt patet, ergo, &c.

Obiic. primo. Illa est forma essentialis alicuius, qua posita, ponitur ipsum, & ipsa remota, remouetur; sed grauitas, & leuitas sic se habent respectu corporum leuium, & grauiũ, ergo, &c. Min. patet, nam remotà summa leuitate ab igne, tunc ignis descendit, sed descensus est contra eius naturam, ergo, &c. Item posita summa leuitate in terra, tunc ascenderet, & consequenter mutaretur sua natura, ergo, &c.

Resp. Neg. mai. vniuersalitèr loquendo; nam posito summo calore ponitur ignis, & remoto, remouetur;

tamen summus calor non est forma substantialis ignis; ità dicendum in casu, &c. nam sunt quædam accidentia, quæ concomitantur naturam rei, ergo, &c.

Quæritur primo. An vnum elementum excedat alterum?

Resp. aff. Tam excessu molis, quã perfectionis; patet nam ignis secundùm magnitudinem excedit omnia alia elementa, non solum secundum longitudinem, & latitudinem, sed etiã secundum profunditatem; Aer excedit aquam, & terram; Aqua excedit terram; tamen profunditas terræ excedit profunditatẽ aquæ, & aeris, &c. Loquendo de excessu perfectionis, ignis etiam excedit omnia alia elementa, quia ei conuenit nobilissima qualitas; scilicet calor, qui illi inest in gradu summo, &c. Item ei etiam conuenit subtilitas, claritas, & aliæ naturales dotes, quibus naturalia ornantur, &c. Ex his patet, quod ipsa elementa diuersa cõsideratione se superant, & à se inuicem superantur, &c.

Quæritur secundo. A quo mouentur grauia, & leuia?

Resp. Sensus quæsiti intelligitur de principio effectiuo, quod duplex est, scilicet quod, & quo; & sic dicimus, principium, quo, motuum grauium, & leuium esse grauitatem, & leuitatem; principium, quod, esse ipsum graue, & leue, & consequenter grauia, & leuia moueri à seipsis; est Scoti in 2. d. 2. q. 10. & d. 25. littera I; & d. 14. q. 1. C; patet primò ex 4. Phys. 85. vbi Arist. ponit, grauitatẽ, & leuitatem esse principia motuum sursum, & deorsum, ergo, &c.

Secundo ratione posita grauitate, omni alio ablato; ponitur motus deorsum, vt patet in Hostia consecrata, & ablata grauitate, omni alio posito, tollitur motus deorsum, vt patet in vaporibus, & exhalationibus, ergo grauitas est principium, quo, motus deorsum; idem est dicendum de leuitate, &c. Tertiò magis propria est graui grauitas, quam calor aquæ, sed cum aqua calore calefacit, principium, quod, huius calefactionis est aqua, ergo idem dicendum de graui, &c.

Quæritur tertio. A quo mouentur proiecta?

Resp. Quæsitum intelligitur in hoc sensu, scilicet an proiecta (postquam sunt separata à proijciente) à quo mouentur? dicimus, moueri ab impulsu ipsis impresso à proijciente coadiuuante medio, scilicet aere; colligitur ex Scoto in 2. d. 2. q. 9. circa finem; prob. lapis postquã est proiectus in altum non eleuatur à medio, scilicet ab aere, quia posset esse impediens, ergo ab impulsu impresso, quia nihil aliud datur. Item nauis impulsa contra ventum, & fluxum aquæ ab impetu remorum, tunc desinente motu remorum, adhuc mouetur ad illam partem, sed non potest dici, illum motum prouenire ab aere, vel ab aqua, quæ potius impediunt, ergo, &c. Diximus, coadiuuãte aere, quia aer etiam concurrit ad motum proiectorum, scilicet impellendo à tergo ne detur vacuum; item quando aer est commotus ab agente, tunc aliqualiter defert mobile,

bile, vt patet in plumis, & alijs leuibus, ergo, &c.

Dices: Talis impulsus ad quam speciem qualitatis spectet?

Resp. Ad primam, quæ dicitur dispositio, quia est insensibilis qualitas veniens ab extrinseco, & est facilè mobilis, &c.

Quæritur quarto. A quo mouentur proiecta, quæ resiliunt?

Resp. Quæsitum supponit, illum motum prouenire ab impulsu, vt dictum est, solum quæritur, à quo imprimatur talis impulsus; dicimus talem impulsum, esse a proijciente, non verò à corpore, à quo fit resultantia; patet, nam proiectum quo fortius impellitur, eò fortius resilit, ergo signũ est, quod talis impulsus sit à proijciente.

DE TERRA.

QVÆRITVR *primò.* An Terra sit posita in medio Mundi?

Resp. aff. Sed non secundum rigorem Mathematicum; patet, nam cum terra habeat partes aliquas eleuatiores alijs, vt montes, non distat æqualiter à circumferentia Cœli ex omni parte, ergo mathematicè non est in rigore in medio vniuersi, &c.

Quæritur secundò. An terra in medio mundi maneat immobilis?

Resp. aff. Secundum se totam; patet, nam si terra moueretur, vel moueretur motu recto, vel circulari; non primò, quia tunc ascenderet, quia recederet à centro, quod est ascendere; nec secundò, quia aut moueretur à Septentrione ad Meridiem, & hoc non, quia interdum magis distaremus à polis mundi, interdum minus; vel moueretur ab Oriente in Occidens, & hoc non, quia tunc motus terræ sequeretur reuolutiones Cælorum, & consequenter singulis noctibus semper nobis orirentur, & occiderent eædem stellæ, quod repugnat experientiæ; dicitur immobilis secundum se totam, quia aliquando ratione suarum partium mouetur, vt patet, &c.

Quæritur tertiò. An terra fuerit producta in principio mundi cum suis montibus?

Resp. Negatiuè; patet, nam terra in primæua eius origine fuit, omninò globosa, & rotunda, prout eius natura poscebat, & fuit circumfusa aquis, &c.

Quæritur quartò. Quo tempore cœperunt in terra apparere montes?

Resp. In ipsa tertia die creationis vniuersi, in qua Deus congregauit aquas in vnum locum, & in cauernis terræ inclusit; nam cum Deus constituit huiusmodi cauernas, sustulit molem terræ in altum, & sic dedit ortum montibus, & hoc propter pulchritudinem vniuersi, vel etiam ad fertilita-

teni

tem terræ, cum plurimæ res benè se habeant in montibus, & aliæ in vallibus; vel etiam ad arcendos incursus maris, & fluuiorum, & ad cohibendum impetum ventorum, &c. Ideò falsum est montes habuisse originem in ipso tempore diluuij, in quo terra fuit rupta, & subducta ab aquis in mare præcipitantibus, vt multi dicunt,&c.Nam antè diluuium fuerunt montes, vt colligitur ex Gen.7. vbi habetur quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat, ideò, &c.

Quæritur quinto. An vis generandi herbas sit naturalis terræ?

Resp. aff. Patet, nam Deus dedit illi hanc virtutem in tertia die creationis, quando dixit: Seminet terra herbam virentem; tamen in hac creatione herbarum etiam cócurrunt influxus Cæli, ideò cum non sit idem influxus Cælorum in singulis partibus terræ, nec etiam est eadem virtus generatiua herbarum in illis partibus, vt patet experientia, &c.

Quæritur sexto. An terra ab initio suæ creationis, & antè peccatum Adami germinauerit rosas cum spinis, vel sine spinis?

Resp. Quod probabilius est, rosas cum spinis fuisse à terra productas antè peccatum Adami, quia ex sua natura rosæ desiderant nasci cum spinis, &c.

Dices. Ex Gen. habetur Deum imperasse, vt terra spinas germinaret propter peccatum Adami, ergo, &c.

Resp. Dist.ant.quoad substantiam, nego; quoad effectum concedo;nam Deus iussit, vt terra produceret spinas quoad effectum, idest, vt essent homini molestæ, & pungentes, quia anteà, non erant homini importunæ, &c.

Quæritur septimo. In quot partes diuiditur terra?

Resp. In tres partes secundum antiquos scilicet in Africam, Asiam, & Europam; nunc verò secundum recentiores est adiuncta quarta pars, nempè America,quæ dicitur cómuniter mũdus nouus; dicitur nouus,quia antiquis temporibus non fuerat notus, sed nunc inuentus ex magno labore,& periculis Americi, à quo tanquam ab Auctore dicta est America, an. 1492. dicitur alter mundus propter multitudinem regionum quas complectitur, ideò, &c.

DE AQVA.

QVÆRITVR *primo*. An Aqua sit maior terra?

Resp.aff. Patet ex dictis, &c.

Quæritur secundo. An motus aquæ, qui fiunt per Meandros, & anfractos sint ei naturales?

Resp. Quod partim naturales, & partim non; partim esse naturales, quia manant à grauitate aquæ, ob quam

quam grauitatem ipsa aqua defluit in loca decliuiora; partim verò non esse naturales, quia motus naturalis aquæ, cũ sit rectus, debet esse breuissimus; tamen motus fluuiorum decurrentiũ in mare conficitur longo itinere, &c.

Quæritur tertio. Cur aquæ celeriter haustæ minus extinguant sitim, quàm si paulatim sumantur?

Resp. Quod aqua celeriter hausta ruit tota deorsum, & sic non se insinunt in omnes partes corporis; tamen cum lentè progrediens, tunc communicatur singulis partibus ipsius corporis, &c.

Quæritur quarto. Cur aqua frigida hausta ab homine æstuante, aliquando illi nocet?

Resp. Quod aqua, tum apertis poris, recipitur in corde, & sic suo nimio frigore perimit calorem natiuum necessarium ad vitam, &c.

Quær. quinto. Cur aquæ minus putrescunt, quãdo frequẽtius agitantur?

Resp. Quod mutatio aeris inhibet accessum caloris externi, qui in huiusmodi efficit putrefactionem, &c.

Quæritur sexto. Cur aqua magis ponitur ad constrictionem terræ præbendo humiditatem, quàm aer, qui est summè humidus?

Resp. Quod cum humiditate aerea stat magna raritas, quæ opponitur densitati, ideò cum aqua sit densior aere est aptior ad hoc faciendum, quia plus humiditatis est in pauca portione aquæ, quàm in magna portione aeris, &c.

Dices. Si aqua condensat terram, tunc terra sine aqua esset diuisa in puluerem, quod est absurdum, quia siccum, & frigidum, vt est terra efficiunt condensationem, ergo, &c.

Resp. Quod terra pura est maximè compacta instar metalli, sed hæc terra, quæ existit circà superficiem est mixta, ideò est diuisa in puluerem; nam cum terra mixta sit, si aliud elementũ desit, dissoluitur mixtio in minutissimas partes, ideò non est mirum si aqua deficiente, quod terra resoluatur in puluerem, &c.

Dices. Ergo terra (deficiente aqua) deberet reuerti in suam naturã, &c.

Resp. Neg. sequilam; nam adsunt qualitates aliorum elementorum, maximè caliditas, cuius est segregare diuersa, ideò, &c.

DE AERE.

QVÆRITVR *primo*. Quot sunt regiones aeris?

Resp. Tres, patet ex dictis.

Quæritur secundo. Quare media regio aeris dicitur esse frigida, cum aer ex sua natura debet esse humidus, & calidus?

Resp. Quod hoc est propter influentiam cælestẽ, & aspectus Astrorum, qui infrigidant naturalitèr illam regionem, vt fiant generationes mistorum

strorum, quæ non possunt alibi generari, &c.

Quæritur tertio. An quando Aer ascendit, ascendat violenter?

Resp. Neg. nisi ascenderet super leuius se, &c.

Quæritur quarto. Quare in aere oriatur tanta diuersitas tempestatum?

Resp. Quod influxus astrorum habet efficere varias mutationes in mundo sublunari, ideò cum alia astra sint frigida, alia calida; similiter mutantur tempora, prout diuersa astra dominantur, &c.

Quæritur quinto. Cur aer inclusus in visceribus terræ noceat animalibus, dum attrahitur per respirationē?

Resp. Quod destituitur flatu nouæ auræ, & ita corrumpitur, & fit pestilens, & exalat spiritum adeò terricum, vt eius haustu ipsa animalia interimantur, &c.

Quæritur sexto. Cur illi, qui sudant frigido aere peius habeat?

Resp. Quod illi in tali loco recipiunt, poris laxatis, frigus aduentitiū quod nocet valitudini vitæ, &c.

Quæritur septimo. Cur aer quādo egreditur ab ore est visibilis, & quando ingreditur est inuisibilis?

Resp. Quod in ingressu est purus, ideò est inuisibilis, & rarus; ingressu verò non ità purus, sed addensatur multis vaporibus existentibus in corpore animalium, ideò est visibilis, crassus, densus, & calidus, &c.

Quæritur octauo. Cur aer respiratus egrediens lato ore est calidus, stricto ore est frigidus?

Resp. Quod lato ore egreditur lentè, & consequenter non impellit aliū aerem frigidum, & sic videtur calidus; dum verò egreditur stricto ore, tunc pellit alium aerem frigidum, & consequenter frigidus apparet, &c. Vel dicimus, quod calidum præfigit sibi debitam raritatem, frigidum debitam densitatem; dum verò egreditur stricto ore, eo quod non retinet raritatem conuenientem, tunc amittit etiam calorem; dum verò egreditur lato ore, eo quod retinet raritatem, tunc retinet etiam calorem, &c.

DE IGNE.

QVæritur primo. Quomodo noster ignis dicatur à se ipso corrumpi, & minor à maiori, vt habetur ex 3. Cæli t. 52.

Resp. Quod ignis dicitur corrumpi non per se, sed per accidens, scilicet deficiente pabulo, sicut lucerna consumpto oleo, extinguitur, &c. Ignis minor corrumpitur à maiori non per se, & propriè, sed tantum specie tenus quatenus ignis minor admisceatur maiori, & sic amplius distinctus non apparet, & consequenter videtur interijsse, sicut lux Stellarum dicitur corrumpi à luce Solis, quia vigente luce Solis, lux Stellarum distin-

distinctè non percipitur, ergo, &c.

Quæritur secundo. Cur ignis in vmbra magis conseruetur, quam si conuertatur ad Solem?

Resp. Quod in vmbra ob circũobsessionem contrarij frigoris ipse calor ignis reprimitur, nec illi conceditur egressus, sicut cum ad Solem conuertitur, &c.

Quæritur tertio. Cur ascensus ignis sit figuræ pyramidalis, vt patet experientia?

Resp. Quod tenuiores partes semper citius ascendunt, & crassiores manent infra, &c.

Quæritur quarto. Cur illi, qui præmuntur ingenti frigore, si statim accedunt ad copiosum ignem, sentiunt grauem dolorem, non verò si paulatim incalescant?

Resp. Quod caro per frigus astringitur, & magis addensatur, & ideò accedendo ad ignem, sumit calorem in maiori copia, à quo deriuatur dolor, &c.

Quæritur quinto. **An Salamandra viuat in igne?**

Resp. **Neg. nam quando dicitur, quod Salamandra viuat in igne, ideò dicitur, quia in illum se inijcit, & deindè, quia habet maximam frigiditatem extinguit ignem, vel non tam citra superatur, sicut accidit in alijs rebus non habentibus talem resistentiam, &c.**

DE METHEORIS IN GENERE.

ABSOLVTA disput. de Elementis, nunc de impressionibus Metheorologicis aliqua dicemus cum habeant quandam affinitatem cum ipsis elementis, quatenus contingunt, & eueniunt circà ignem, aeré, aquam, & terram; impressio non sumitur hic pro eo, quod derelinquitur ex coniunctione duorum corporum, vt in cera relinquitur impressio sigilli, sed pro corpore naturali inanimato imperfecto, composito ex materia, & forma, vt pluuia, nix, &c. dicuntur mixta imperfecta, quia talis mixtio videtur solum esse secundum qualitatem, & non secundum substantiam, vt nix est substantialiter aqua, sicut econtrà mixtum perfectum dicitur, quod habet perfectam formam substantialem mixti, distinctā à forma substantiali Elementorum, vt animata scilicet homo, leo, &c. & inanimata scilicet metalla; vndè talia mixta imperfecta nūcupantur ab Arist. Metheora, & idem est, ac sublime latinè, quatenus oriuntur in sublimi, ideò de illis inscripsit suos libros Metheororum, nō quod omnia mixta imperfecta generentur in sublimis, quia aliqua generantur in visceribus terræ, vt metalla, sed quia maior eorum pars in suprema mundi elementaris generatur, & quæ illic oriuntur, solent excitare maiorem admirationem, ideò requirunt maiorem explicationem.

Quæritur primo. Quot sunt Metheora?

Resp. Duplicia, quædam fiunt ex exhalatione, vt metheora ignea scilicet Cometæ, &c. quædam ex vapore, vt pluuia, pruina, nubes.

Quæritur secundo. Quid sit exhalatio, & quid vapor?

Resp. Exhalatio est halitus terrestris calidus, & siccus à terra attractus; est duplex, nam si terra est crassa, & pinguis, tunc ex illa educitur exhalatio facilè combustibilis, & sursum euolat, & est materia metheororum ignitorum; si terra est arida, tunc ex ipsa fit exhalatio non tam facilè combustibilis, nec tam altè euolat, & hæc est materia ventorum; vapor est halitus quidam subtilis, rarus, humidus, & calidus ex aqua attractus, & est materia omnium impressionum humidarum, vt patet in olla feruenti, ex qua vi caloris partes aquæ subtiliores per modum fumi ascendunt, &c.

Quæritur tertio. In quo conueniunt, & per quod differunt vapor, & exhalatio? *Resp*.

Resp. Conueniunt, quia ambo calida sunt, non quidem natiuo calore, sed aduentitio, & extrinseco, scilicet orto à radijs Solis, vel alterius Planetæ, aut Stellæ, &c. Differunt primo penès loca, nam vapor excipitur ex locis humidis, exhalatio verò ex siccis; secundo, quia vapor est calidus, & humidus, exhalatio autem calida, & sicca; tertio, quia forma substantialis vaporis est eadem cum forma substantiali aquæ, & exhalationis est eadem cum terra, &c.

Quaritur quarto. Quænam sit causa efficiens metheororum?

Resp. Cælum esse causam efficiẽtem metheororum, quia sua vi, & influxu excipit ab elementis vaporem, & exhalationem, ex quibus fiũt metheora, & in sublime tollit, &c. Causa instrumentalis, qua vtitur Cælum ad hos effectus producendos est calor, qui peruadens, & attenuans aquam, & terram soluit in halitus, & interuentu leuitatis effert in altũ, &c. Causæ verò, quæ ipsa metheora coagmentant, sunt calor, frigus, motus, & similia; de quibus infrà dicemus, &c.

Quaritur quinto. Quænam sit materia metheororum?

Resp. Est duplex .s. remota, & propinqua; materia remota est terra, & aqua; materia proxima est exhalatio, & vapor, exhalatio extrahitur à terra, vapor ex aqua, &c.

Quaritur sexto. Quisnam sit locus metheororum?

Resp. Quædam fiunt in sublime, scilicet circà supremam regionem aeris, vt Cometæ, & aliæ impressiones ignitæ, &c. Quædam in aqua, vt salsedo maris, &c. Quædam in terra, vt terræmotus, quædam in aere, vt pluuia, nix, et nubes, &c.

DE METHEORIS IGNITIS.

QVaritur primo. Quænam est materia remota, & proxima metheororum ignitorum?

Resp. Materia remota est corpus terrestre habens aliquod de corpore igneo pingui, & faciliter inflammabili, &c. Materia proxima est exhalatio calida, & sicca; causa efficiens est calefaciens huiusmodi corpora, vt Sol, & astra, &c.

Quaritur secundo. Quomodo metheora ignea generantur?

Resp. Sic, quod à calore Solis eleuatur exhalatio calida, & sicca, quæ postea per calorem ignis inflammatur, & secundum diuersitatem exhalationis in caliditate, & siccitate, raritate, & densitate, grauitate, & leuitate diuersificantur secundum diuersas figuras, &c.

DE COMETIS.

QVæritur primò. De materia Cometarum?

Resp. Ipsam non esse cælestem, vt dicebant antiquiores Philosophi, quia materia cælestis est inuariabilis, sublunaris est variabilis, sed Cometæ quandoque subitò comparent, & disparent, quandoque apparent magni, quandoque minimi, ergo earum materia non est cælestis, sed sublunaris; materia Cometæ est exhalatio sicca, & calida, pinguis, crassa, viscosa, &c. Et constans ex partibus benè coagmentatis, & huiusmodi materia facilè incenditur, & diu retinet inflammationem ob eius pinguedinem, & viscositatem, &c. Patet experientia, quia tempore generationis Cometæ fiunt magni venti, & hoc est signum, quod eleuantur multæ exhalationes calidæ, & siccæ, ex quibus generantur Cometæ, &c.

Quæritur secundo. De loco vbi generantur Cometæ.

Resp. In suprema regione aeris, patet ex remotione aliorum locorũ, in quibus fortè Cometæ dicerentur generari; nam non possunt generari in Cælo, quia non sunt substantiæ cælestes, vt dictum est; Item exhalationes ex quibus generantur non possunt pertingere vsque ad Cælos, &c. Nec in terra, vel in aquis, cum videntur altiores; nec in infima regione aeris, quia tunc agitarentur vario flatu ventorum, quod est contra experientiam, &c. Remanet, vt generentur in suprema regione aeris.

Quæritur tertio. Quomodo generantur Cometæ?

Resp. Sic generantur, nam per calorem Solis, & aliorum astrorum eleuatur à corporibus terrestribus, & viscosis exhalatio calida, & sicca vsque ad supremam regionem aeris, & ibi inflammantur motu exhalationis, vel antiperistasi, vel flammulis decidentibus ex regione ignis; & secundum diuersam dispositionem materiæ diuersimodè apparent, &c. Vndè quãdo illa materia extenditur in longum vocatur Cometa caudatus, seu Stella caudata, &c. Si in medio est grossior, & in extremis subtilior vocatur Stella Cometa, &c. Si inferius habet partes continuas, & subtiles vocatur barbata, &c.

Quæritur quarto. Quinam sunt colores Cometarum?

Resp. Tales colores non sunt veri, & reales, sed tantum apparentes, &c. Patet, quia veri colores, cum sint qualitates secundæ, oriuntur ex permixtione primarum qualitatum in mixtis perfectis, sed Cometæ non sunt mixta perfecta, ergo, &c. Illi colores apparentes Cometarum sunt varij, scilicet candidi, nigri, rubei secundum diuersitatem materiæ, quatenus à rara, vel densa, nam si materia est rarior, tunc Cometa accedit ad albedinem, si densa, tunc ad nigredinem,

vel

vel rubedinem, &c. Vt patet in igne noſtro, cuius materia ſi fuerit rarior, & ſubtilior, tunc emittit flammam magis accedentem ad candidam, ſi denſior, tunc ad flammam nigram, vel rubeam, &c.

Quæritur quintò. De motu, & tempore Cometarum?

Reſp. Motus Cometæ eſt varius, nam mouetur ab Oriente in Occidentem ad motum aëris circumuecti, cui inſidet, &c. Mouetur etiam à Septentrione ad Auſtrum, & è contra, &c. Item ſurſum, & deorſum ob virtutem alicuius ſyderis illuc Cometam attrahentis, ſicut magnes trahit ferrum, &c. Tempus Cometarum eſt aptius autumnale, licet poſſint gigni quocunque anni tempore, quia in præcedenti æſtate genita eſt illa exhalatio viſcoſa in bona copia, ideò poteſt in eo tempore eleuari talis exhalatio, quia non adeò vigit calor in ambiente, qui eam diſſipet, & reſoluet &c. In Hyeme verò frigiditas, & humiditas ſolent impedire ſiccitatem, & calorem exhalationis, &c. Cometa durat magis, & minus tempore ſecundum quod plus, vel minus exhalationis ei pro pabulo ſuggeritur, &c.

Quæritur ſexto. An illa Stella, quæ apparuit in Natiuitate Chriſti, & duxit Magos ad illum, fuerit verus Cometa?

Reſp. Illa Stella non fuit vna ex errantibus, vel ex fixis in firmamento, vt aliqui dicunt, quia illa Stella continuò videbatur, ſed Stellæ errantes, & aliæ non ſunt ſic, quia oriuntur, & occidunt, ſed illa Stella poſtquàm duxit Reges vſque Hieraſolymam, tantiſper delituit, paulò poſt ſe præbuit videndam, ergo, &c. Ideò dicendũ eſt cum alijs, quod fuit quoddam nouum, & inuſitatum Metheorum productum virtute Diuina, vel Angelica, & præditum magno ſplendore, mouebatur non propria virtute, ſed miniſterio alicuius Angeli, &c.

Quæritur ſeptimo. Quid pronunciat Cometa?

Reſp. Multa, primo apparitio Cometæ eſt ſignum bellorum, quia tempore generationis Cometæ viget caliditas ignea, ita quod calor multũ augetur in hominibus, & etiam augetur colera, & tunc incitantur homines ad iurgia, & bella, &c. Secundo eſt ſignum mortalitatis Principum, quia Principes ſunt ſubtilioris complexionis propter nutrimẽtum ſubtilius, & magis delicatum, & ideò facilius inflammantur, & in eis turbatur vera temperies, &c. Idem dicendum de infantibus, qui ſunt delicatiſſimi, & habent humores tenuiores, &c. Tertiò eſt ſignum magnorum ventorum, quia expertum eſt ſæpè, quo quando fuerunt multi Cometæ, tunc fuerunt anni multum ſicci, & ventoſi, &c. Quarto eſt ſignũ motionis terræ, quia Cometæ tunc apparent, quando multæ exhalationis ex terra tolluntur vſque ad ſupremam regionem aëris, quo tempore tales exhalationis incluſæ in ſinu terræ quærunt liberum exitum, & magno impetu feriunt terram, & ſic ipſa terra incipit agitari huc, & illuc, &c.

DE

DE TONITRVO.

Q*Varitur primò*. Quid est Tonitruum,& quomodo oriatur?

Resp. Tonitruum est sonus factus ex violenti percussione exhalationis calidæ, & siccæ ad latera nubis, &c. ex quo sequitur, Tonitruum non esse formaliter impressionem, quia sonus nõ est impressio, vel metheorum, sed solum connotatiuè, quatenus non quilibet sonus dicitur Tonitruum, sed solum ille, qui fit medijs impressionibus, &c. & huiusmodi sonus diuersificatur secundum diuersam dispositionem nubis in raritate, & densitate, &c.

Tonitruum sic causatur, nam vapor eleuatur virtute Solis vsque ad mediã regionem aeris, & incrossatur, & in nubem conuertitur, & cum vapore aliquandò eleuatur exhalatio calida, & sicca, quæ exhalatio postquam vapores ingrossati sunt, & facti sunt nubes, remanet inclusa in ventre nubis, & huiusmodi exhalatio per antiparistesim causatam ex frigore nubis ambientis incaluit, & rarefit, & quærens locum ampliorem hinc indè discurrit, & magno impetu percutit latera nubis, quæ cum sit densa, & crassa causat illum frangorem, &c. Cuius ratio est, quia exhalatio illa discurrens in partibus concauis nubis non agit tanto impetu, vt scindat nubem, cum talis nubes sit nimis densa, vel quia exhalatio non sufficienter incaluit, ideò causat sonum raucum, &c. Ex quo patet, quod Tonitruũ fit sæpè sine fractione nubis, &c. Cum verò impetus talis exhalationis intra nubem est sufficiens ad scissionem nubis, tunc in egressu efficit maiorem sonum, eo modo, quo castanea posita in igne incalescente, spiritu intus existente frangitur cum strepitu, dum quærit ampliorem locum, & in hoc casu tonitruum contingit cum fractione nubis, sed sine fulgure, seu corruscatione, ideò iuxtà varium modum scindendi nubem fit sonus varius; nam si vno ictu cõtinuò frangitur tota nubes, tunc causat successiuè sonum eò modo, quo pannus benè copactus magno conatu scinditur, &c. Si verò pluribus ictibus frangitur, & quasi discretè, tunc fit sonus simili crepitui, quem causat Laurus coniectu in ignẽ, &c. Si verò exhalatio tũ ex forti antiparistasi, tũ ex magno impetu qui fit, & volutatur intra nubem, concipit ignem, sed adhuc latera nubis ob eius densitatem non valeat disrumpere; tunc fit tonitruũ cũ corruscatione subobscura, & debili, quia ignita exhalatio non scintullat, extra nubem, sed solum transparet per latera nubis, & micat quoddam fulgur, &c. Si tandem exhalatio intra nubem discurrens conceperit ignem, & sufficienti impetu agitetur ad scissionẽ nubis, tunc tonitruum fit simul cũ scissione nubis, & cũ corruscatione, seu fulgore, & magno sonu, &c.

Ta-

Tataretus,& Orbellus approbant tonitruum etiam posse contingere per extinctionem ignis in nube, tamen non eò modo, quod dicebat Anaxagoras ignem descendere de sphæra ignis in nubem, & ibi cum strepitu extingui, vt contingit de ferro ignito in aqua, quia sic refellitur ab Aristotele, tamen in hoc sensu potest generari scilicet exhalatio ignita discurrens per aerem, potest impingere in nubem multum aquosam, & ibi extingui, in qua extinctione causatur sonus, &c.

Coimbricenses cum quibusdam antiquis existimant satis probabile, tonitrua posse fieri sine exalatione, & sine nubibus, vt patet experientia montis Visuuij, & aliorum montium eructantium, ignem, nam in illa eruptione audiuntur tonitrua Cælo sereno, tamen in his casibus non est dicendum, aerem tonare, quia ille sonus non fit in aere, sed potius intra voraginem ex collitione saxorũ eiaculatorum ad se inuicem, vel ad latera montis ex fremitu venti discurrentis in visceribus cauernæ, & in alijs similibus, &c. fit etiam sonitus ille in ipsa violenta eruptione exhalationis ignitæ cum arena, & cineribus ex latibulis cauernæ eo modo, quo generantur in eruptione pilæ ex bellico tormento, &c.

DE FVLGVRE.

QVæritur. Quid est fulgur, seu corruscatio.

Resp. Est exhalatio accensa in nube, &c. Fulgor dicitur à fulgore micante, quem exhibet, &c. Potest dari fulgur sine nubibus, & tunc est, quãdo nocte serena, & Cælo stellato ascenduntur exhalationes in estate, & in alto corruscat interpolatim flammæ, &c. Fulgur (vt plurimum) est connexum cum tonitru, sed quandoque etiam fulgurat sine tonitru, & tonat sine fulgore, &c. Tunc fulgurat sine tonitru, quando nubes est tenuis, & ideò facilè sciaditur, vel exhalatio inuenitur adeò propè superficiem nubis, vt illicò absque strepitu erumpat, &c. Tunc sonat sine fulgure, quando exhalatio volutatur per concaua nubis, & interdum nondum accensa, vel si accensa, tamen non ferit nostrum intuitum, quia vel disrumpit nubem ex parte superiori versus Cælum, vel si eam disrumpit ex parte inferiori versus nos, tunc inter nubem fractam; & nos intercedit alia nubes impediens, nec videtur fulgur, &c.

Not. Tonitruum est prius, quam fulgur, seu corruscatio, &c. Quia visus est magis perceptiuus sui obiecti, quam auditus, &c. Item visibile citius mouet medium, quam sonus, quia sonus diffunditur cum motu locali, qui est successiuus, &c. Tonitruum cuius nubis est nigra, est timendum, quia

quia tunc est signum, quod exhalatio facilè inflammabitur, &c. Si verò est alba, & parua, tunc est signum debilitationis, &c. Si rubra, tunc est signum, quod exhalatio est magna, & multum intensa, & est timenda, &c. Si viridis tunc est fortis, & timenda, &c.

DE FVLMINE.

Quæritur tertio. Quid est fulmen?

Resp. Est exhalatio ignita excussa ex nube magno impetu, ità Aristoteles 3. Metheororum c. 1. Vndè eadem est materia fulminis, & fulguris, cum hac differentia, quod materia fulguris est magis rara, & minori vehementia, ex nube vibrata, & ità per aerem dissipatur, & resoluitur, nec peruenit ad terrã, &c. Sed materia fulminis est densior, & magno impetu ex nube excussa, ideò non dissipatur in aere, sed descendit ad terram, &c.

Diuersa sunt genera fulminum secundũ diuersam dispositionem materiæ magis, vel minus densæ terrestris, & viscosæ, ex qua componitur, &c. Nam si materia est tenuis, tunc descendens lambit corpora, & ad summum denigrat, nam adurit propter debilitationem virtutis, & distantiam nubis, ex qua est excussa, &c. Si materia est spissa, benè compacta, & fortiter inflãmata, tunc cadens destruit domos, & comburit quæcumque obuiam inuenit, &c. Si materia est multa, spissa, atque cõglutinosa, tunc cadens, contingit lapidem cadere, qui lapis non dicitur absolutè fulmen, sed cuneus fulminis, &c. Ideò tria sunt genera fulminum, scilicet terebrans dissipans, & vrens, &c. Fulmen terebrans habet flammam subtilem, ideò transit per angusta foramina, & poros, &c. Dissipans est conglobatum, ideò rumpit frangit, & terit, &c. Vrens habet multum terreni, & est magis igneum, quàm flammum, ideò rebus percussis relinquit magnas notas ignium, &c.

Effectus fulminis sunt varij, primus est quod mollia, & minus resistentia pertransit sine læsione, dura verò, & benè compacta dissipat, vndè frangit gladium salua vagina, crus salua carne, liquat pecuniam salua crumena, &c. Quia fulmen solet esse subtilis exhalationis habens partes vnitas, ideò si reperiat corpora non ità dura, facile penetrat illas per partes porosas, & paruam moram facit in illis, quia non resistunt, sed quia non potest facilè penetrare corpora dura per poros, ideò dissipat, & comminuit ea oblongam moram, quam facit in eis, vt superet eorum contumaciam, &c. Sed aliquando fulmen facit effectum oppositum, scilicet non lædit dura, sed mollia, & fluida, nam exurit vestes, & nullum nocumentum infert parti cor-

corporis, exurit pilos, & carnem intactam relinquit; & hoc prouenit, quia exhalatio non est benè coagulata, & compacta, sed est tenuis, & debilis, ideò non potest vincere contumaciam rei resistentis, & consequenter totam suam vim impendit in rebus minoris resistentiæ, & eius tota virtus exhauritur in earũ consũmatione, &c

Secundus effectus est, quod aliquando frangit dolium vini, tamen efficit, vt vinum per triduum stet concretum, & non effundatur, vt refert Albertus Magnus tract. de tonitruo c. 22. aliquando verò è contra consumit totum vinum dolio intacto, &c. Causa prima est, quia dolium est corpus solidum, quod resistit fulmini, nam dum fulmen circa dolium volutatur, quædam pellicula extensa per totam superficiem concauam vasis, qualis videtur in ouo manet illæsa consumpto dolio, & in ipsa pellicula detinetur vinum per aliquod spatium temporis, vel quia calor fulminis condensat partes exterius vini, vt vinum, quasi pelli inclusum, concretum stare videatur, &c, Habet partes rariores, quæ igni non resistunt, &c. Causa secundi est, quia dolium compactum ex ligno dulci, fulmen verò si est robustum, & penetratiuum, tunc penetrat dolium per poros, & ob nimium calorem, & siccitatem consumit vinum dolio manente intacto, &c.

Tertius est, quod aliquando purgat corpus venenatum, & purgatum venenat, &c. Causa primi est, quia fulmen aliquando exurat venenũ, &c. Causa secundi est, quia aliquando exhalatio ex qua fit fulmen, est educta ex terra sulfurea, & venenatá, & sicut tale fulmen emittit odores sulfureos, ita, & venenum, & inducit etiam dementiam, &c.

Fulmen frequentius contingit in Estate, quia in magnis caloribus eleuantur plurimæ exhalationis vsque ad mediam regionem aeris, & ibi includuntur in nubibus ex frigiditate ambiente, & sic fit fulmen, quod non contingit in Hyeme, &c.

Motus fulminis est inregularis, & vt plurimum est obliquus, & serpens hinc indè ob impetum spiritus, qui illum sequitur, quia vis per quam fulmen est deiectum ex nube, impellit illud deorsum, è contra verò; nam ignis impellit illud sursum, & quia neutrum cedit alteri, ideò nec super nec infra, sed media via defertur, donec descendat ad terram, &c. Ex hoc enim potest reddi ratio, cur fulmina frequẽter percutiunt montes, turres, campanilia, & proceras arbores, quia mouentur motu obliquo, tunc alta magis ei occurrunt, & ideò sæpius ab ijs læduntur, &c.

Remedium contra fulmen videtur esse Laurum, Vitulum marinum, Aquilam ex Plinio lib. 2. naturalis historiæ c. 55. & ex alijs Lapis hyacintus, &c. Tamen hæc omnia videntur esse fabulosa, vt multi putant, &c.

DE RELIQVIS IMPRESS.^{IBVS} IGNITIS.

PRima impressio ignita est lancea, quæ tunc apparet, quando exhalatio est longa, & minus lata, & quia est æqualis in singulis suis partibus, ideò tota simul incenditur, &c. appellatur etiam trabs, iaculum, &c. Secunda est ignis perpendicularis, seu pyramidalis, quæ est eadem exhalatio ad modum pyramidis, quæ non discurrit per aerem, sed videtur immobilis stare, &c. Tertia est candela, seu fax accesa, quæ est similis lanceæ, & igni pyramidali, & huiusmodi impressio habet formam candelæ, quæ ab vna parte est accensa, altera pars nondum accensa, aliquo modo illustrat, &c. Quarta est capra saltans, quæ est exhalatio accensa, & ex inconstantia motus, & varietate figuræ exhibet nobis speciem capræ saltantis, &c. Quinta est sydus discurrens, quod tunc contingit, cum exhalatio longa, & parum lata ordinatè accenditur, nam prima pars inflammata communicat celeriter ignem alteri parti, secunda parti tertiæ, & tertia quartæ, &c. sicut vna candela accensa rursus accendit aliã, quæ modo erat extincta, &c. hæc tota exhalatio mutat locum, & de vno ad alium excutrit, &c. & huiusmodi metheorum sæpè videtur nocte stellata, & Cælo sereno, nam si descendit deorsum, dicitur Stella cadens, si endit sursu m, dicitur Stella volans, si ad latus, dicitur stella discurrens, &c. mouetur sursum à leuitate innata, mouetur deorsum pulsa à frigiditate secundæ regionis, vel alicuius nubis, si Cælum nõ est perfectè serenũ, &c. mouetur ad latus, si nec leuitas prævalet, nec frigus, &c. Sexta est Drago volans, quæ est exhalatio densa, & non vniformiter accensa, longa, & vasta, &c. dicitur Drago, quia habet similitudinis Dragonis, &c. Septima est ignis fatuus, quæ est exhalatio viscosa accensa in infima regione aeris, &c. apparet sæpius circa loca pinguia, & caliginosa, circa paludes, cæmeteria, patibula, vbi aliant exhalationes viscosæ, & pingues; talis exhalatio insequitur fugientes, & fugit sequentes, quia agitato aere facilè propellitur, vel attrahitur, nam si aliquis nocte fugit talem ignem, tunc attrahit aerem simul cum igne, & sic videtur sequi fugientes, si vero vult accedere ad ipsum ignem, tunc pellit aerem, & simul ipsum ignem, cum sit leuior ipso aere, & sic videtur fugere insequentes, &c. dicitur ignis fatuus, quia est inconstans ipsius motus, nam accedit, et recedit, mouetur ad latus, saltat, inclinatur pro diuersa agitatione aeris, &c. dicitur etiam ducere ad præcipitia, quia materia illa cum sit viscosa, et densa, ac proinde grauitans, petit loca decliuiora, &c. Octaua est ignis lambens, quæ

quæ est exhalatio subtilis, et rara, &c. dicitur ignis lambens, quia vt plurimùm accenditur in capillis hominũ, et animalium calidiorum, quasi eos lamberet, eo quia animalia ista exhalant spiritus pingues, qui sæpe detinentur in pilis, et vestibus, &c. Nona est Castor, Pollux, et Helena, quæ est exhalatio pinguis, et viscosa, et accensa per antiparistasim frigidi aeris, vel per collisionem suarum partium, &c. et sæpe apparet nauigantibus, quæ si est diuisa, itaut videantur, vt duo ignes circa antennas nauium, dicuntur Castor, et Pollux, et serenitatem dicuntur indicare intempestatibus, etc. si vero videatur, vt vnus tunc dicitur Helena, et indicat tempestatem, et euentum infaustum nauigationis, etc. quia cum apparet vnus ignis, significat adesse in aere multam exhalationem bene compactam, crassam, et densam, quæ si omninò resoluenda est, excitabit vehementiores ventos, etc. si apparet geminatus, tunc significat exhalationem esse ferè dissipatam, ac dissolutam, etc.

Quæritur. Quomodo huiusmodi exhalationes inflammantur, et concipiant ignem?

Resp. Quod tres rationes assignantur ab Auctoribus, prima est motus celer, et cocitatus exhalationis; secũda est propinquitas ad sphęram ignis; tertia est, quia ignis superpositus motu frequenti spargitur in aerem inferiorem, et fertur violentia deorsum, etc.

Not. Quod non solum in regionibus aeris contingit esse impressiones ignitas, sed etiam in locis subterraneis, et visceribus terræ, vt patet in Monte Ætna, in Sicilia, in Vesuuio, in Campanea propè Neapolim, et in alijs similibus, etc. causa materialis huiusmodi impressionis est terra sulphurea, et bituminosa, quæ valdè idonea est ad concipiendum ignem, etc. causa efficiens est exhalatio ventuosa commota intra viscera terræ petens exitum, et per concussionem inflammata, etc. patet etiam alio modo incendi prædicta materia in visceribus terræ, scilicet calore acuto, vel per antiparistasim, vel virtute alicuius, etc. et secundum durabilitatem materiæ, et efficientis durant tales ignes, et deficiente materia extinguuntur, etc. durant in quibusdam locis longo tẽpore, vt in Monte Ætna, quia adest ibi magna copia materiæ sulphuris, et bituminis, et licet ignis non diù duret in sulphure, quia facilè illud absumit, tamen in bitumine diù durat, quia est corpus magis viscosum, etc.

Aliqui Patres putarunt, ignem emissum ex illis locis esse fumariola incendij gehennales constituta ad nostram eruditionem, etc.

DE METHEORIS AEREIS.

DE IRIDE.

QVaritur primò. Quid est Iris, et quomodo oriatur? *Resp*. Est arcus discolor apparens ex receptione, et reflexione luminis solaris in nube rorida, etc. dicitur arcus, quia figura circularis per modum arcus est de ratione Iridis; et per hoc distinguitur ab alia imagine in aere apparente cum eisdem coloribus, quæ in directum est porrecta, et dicitur virga, etc. dicitur discolor, quia semper apparet mixta diuersis coloribus, qui præcipuè sunt scilicet puniceus, qui apparet in parte exteriori, et superiori arcus, etc. viridis in medio, et purpureus in infima parte interiori, etc. color quartus, qui percipitur est flauus, et videtur inter primum, et secundum, tamen non est nouus color, sed oritur ex vicinitate horum duorum, etc. dicitur apparēs, quia colores Iridis nō sunt veri, sed apparentes, quia veri colores causantur ex mixtione primarū qualitatum, sed ibi non est talis mixtio, ergo, etc. Item si essent veri colores, tunc vel essent subiectiue in nube, vel in aere, non primum, quia nubes non est susceptiua coloris, cum sit de natura aquæ, etc. nec secundum, quia aer nō est susceptiuus coloris, vt patet, ergo, etc.

Dices. Sensus non decipitur circa proprium sensibile ex 2. de anima t.63. sed visus percipit in Iride varios colores, ergo erunt veri colores, et non apparentes, etc.

Resp. Neg. consequentiam, quia obiectum adæquatum potentiæ visiuæ non est color, sed qualitas sensibilis, communis ad lumen, lucem, et colorem ideo non est necesse, quod omne illud, quod videtur sit color, vel coloratum, quia lux, et lumen possunt videri, et non sunt colores, sic in Iride, id quod videtur non est color, sed lumen tali modo reflexum, sicut euenit, quando phiala plena aqua opponitur radijs solaribus, videmus similes colores in terra, qui non sunt veri colores, sed lumen reflexum, etc. itaque dicendum, quod sensus non potest errare circa suum sensibile in communi, quia non potest ferri extrà suum obiectum, sed benè circa obiectū in particulari, etc.

Dicitur ex reflexione luminis solaris, ad demonstrandum eius causam effectiuam, nam causa effectiua Iridis est Sol, etc. potest etiam Luna causare suum Iridem, vt docet Arist. lib.3. metheororum c.3. non tamen cum tanta varietate colorum, sed vno tantum, scilicet albicante ob debilitationem luminis reflexi, etc.

Dicitur in nube rorida, quia non quælibet nubes est capax Iridis, sed tantum illa, quæ rorida idest, quæ incipit

cipit resolui in guttas, etc. nubes debet esse partim diaphana, et partim opaca, diaphana secundum eam partem, quæ respicit nos, opaca idest à tergo, vt repercutiat lumen modo speculi, etc. ideo ad factionem Iridis necesse est Solem esse in opposito situ ad nubem roridam, vt radijs possit eam directè ferri, et lumen ad nos reflecti, quod non contingeret, si talis nubes esset directè sub Sole, &c. Item vt Iris videatur à nobis, necesse est nos esse constitutos in medio spatio inter Solem irradiantem, & nubẽ irradiatam, &c.

Ex his colligitur, quod ad generationem Iridis duo sunt necessaria, scilicet Sol, & nubes, Sol vt causa efficiens luminis, & nubes, vt causa materialis receptiua huiusmodi luminis, &c.

Quænam est causa, cur in eodem tempore possunt esse plures Irides?

Resp. Quod talis causa est pluralitas nubium in opposito ad Solem, nam si Sol v.g. stat in meridie, & sint duæ nubes in oppositum, vna versus Orientem, altera versus Occidentem, si Sol radijs suis feriret vtramque nubem, tunc causabit duas Irides, imò si versus opponatur ei alia nubes versus Aquilonem, poterit in ea causare simul aliam Iridem, & sic tres Irides apparerẽt à Sole directè causatæ, &c. Item illæ Irides efficerent alias Irides per reflexionem, nam ex nube immediata collustrata à Sole ex qua causatur Iris, fit reflexio in aliam nubem, quæ pariter videtur collustrata, tamen debilior apparet, vt patet de lumine in speculo reflectendo in aliũ speculum, & sic vna Iris causatur ab altera; ex eius reflexione, &c.

Quæritur. An Iris ante diluuium sit visa?

Resp. Aff. quia Iris est Metheorũ naturale habens causas naturales, scilicet Solem, & nubem roridam collustratam varijs radijs Solis, sed probabile est huiusmodi causas fuisse ante diluuium, ergo, &c. Nec oppositum deductum ex illo Genesis 9. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum federis inter me, & terram, &c. aliquod facit; quia ex his verbis non deducitur Iridem non fuisse ante diluuium, sed solum non fuisse, vt signum morale, sicut postea fuit, &c. ante diluuium verò fuit vt signum naturale, quia erant causæ naturales Iridis, &c.

Iris vespertina, quæ apparet post pluuiam, prænunciat serenitatem, quia significat completam esse resolutionem nubium, nec nisi stillicidia remanere, &c.

Iris matutina ante pluuiam prænuntiat modicam pluuiam, & leuem; quia magna pluuia contingit, quando nubes sunt valdè turgidæ, & grauidæ vaporum, in qua dispositione non sunt aptæ ad reflectendos radios solares, & ad Iridem producendã, &c.

Quæritur secundò. Quænam sunt illæ impressiones, quæ vocantur Virgæ, & quando oriantur?

Resp. Sunt radij solares penetrantes nubem difformiter densam, & raram, qui quando referunt diuersos colores propter variam dispositionẽ nubis,

nubis, & quia plures simul apparere solent, ideò plurali nomine appellantur, scilicet Virgæ, &c. dictæ Virgæ oriuntur quando nubes non habent concretionem æqualem in suis partibus, sed habent alias partes rariores, & alias densiores, & propter variam dispositionem partium videtur varij colores, qui in rarioribus apparent lucidiores, & candidiores, &c. in densioribus, nigriores, & obscuriores, &c. quælibet Virga protenditur versus superficiem terræ, ideò à similitudine Virgarum dictæ sunt Virgæ à Philosophis, &c. Apparent vt plurimum versus Orientem, vel Occidentem, nō in Meridie, quia tunc radij Solis sunt fortiores, vt possint facilè penetrare vapores densiores.

Quæritur tertiò. Quid est Parelius?

Resp. Est imago Solis expressa in nube collaterali, sicut in aqua limpida cernitur imago alicuius, &c. nubes vt referat imaginem Solis debet esse situata non infrà Solem versum terram, sed ad latera in conuenienti distantia, &c. nubes debet esse rorida, & versus Solem perspicua, & ex altera parte opaca, & terminata, vt valeat reflectere imaginem Solis in parte anteriori; & si contingat ex vtroque latere in consimili dispositione, & situ, tunc apparebunt tres Soles, vnus realis, alij duo in nubibus vicinis, & de facto tres Soles sæpè visi sunt, &c. similiter quando Luna imprimit suam imaginem nubi roridæ, vt dictum est, tunc illa dicitur paraselena, &c. Itaque Parelius est imago Solis; Paraselena est imago Lunæ, &c.

Quæritur quartò. Quid est Halo, & quomodo oriatur?

Resp. Est circulus quidam apparens circà Solem, et Lunam, et alia astra, &c. Tunc oritur quando radij Solis, vel astri incidunt in nubem æqualiter raram, in qua nube refringuntur propter densitatem aeris, et refracti ad angulos æquales, efficiunt coronam, qua astrum videtur cingi, ideo à Latinis dicitur Corona, ac etiā appellatur Arca, etc. Frequentiùs fit sub Luna, quam sub Sole, quia feruore Solis ille halitus circunfusus faciè dissipatur, etc. Si talis circulus est densus, et aliquantulum niger, tunc prænunciat pluuias, si rubeus ventos, si candidus serenitatem, etc. frequentiùs apparet in nocte, etc.

Quæritur quinto. Quid est hiatus, et vorago? et quomodo generantur?

Resp. Hiatus est quædam spiratio collustrata radijs Solis, vel alicuius astri, habens similitudinem alicuius foueæ sic dicendum de vorągine; hiatus sic generatur, nam per calorem Solis, vel alicuius astri eleuatur exhalatio calida, et sicca à terra, quæ exhalatio propter frigiditatem inspissatur, et secundum quod diuersimodè recipitur lumen in aere, apparent diuersi colores, etc. Sic dicendum de voragine, etc. partes extremæ in girum aliquandò apparent albæ, et media apparet nigra; et cum nigrum minus immutet visum, quam album, ideò illa pars nigra apparet magis distans, quam pars extremalis, ideò apparet

paret quædam apertura, seu fenestra in Cælo, quæ si sit magna vocatur vorago, si parua vocatur hiatus, &c. Huiusmodi impressiones fiũt in aere licet propter distantiam videantur esse in Cælo, & apparent magis de nocte, quam de die, quia lumen Solis, quod est maius impedit, ne videatur lumen minus, & fiunt tempore sereno, quia tempore obscuro, venti, & nubes impediunt visionem istarum impressionum, &c.

Quæritur sexto. Vndè proueniunt, quod existente serenitate in aere, aliquando videantur inflammationes, sonus tanquam tubæ, vel fractiones arborum, quandoquè sicut voces hominum, vel bestiarum?

Resp. Causa talium sonorum est collisio exhalationis cum vapore, quatenus, scilicet exhalatio subtilis inclusa in vapore subtili petit exitum, & tunc variè fit violenta eruptio cum illo sono, &c. Tamen, vt plurimum hæc omnia eueniunt modo extraordinario, scilicet per diuinam Omnipotentiam, vt homines moueantur de agenda pœnitentia peccatorũ, &c.

DE VENTIS,

QVæritur primo. Quid est Ventus? & quomodo generatur?

Resp. Est exhalatio calida, & sicca (siue pura, siue mixta vaporibus) lateraliter mota propter reuerberationem factam à frigiditate mediæ regionis aeris.

Dices. Ergo Venti non mouentur nisi circa terram, quod est falsum, vt patet experientia.

Resp. Neg. sequelam; nam quando talis exhalatio repellitur deorsum, inuenit alias exhalationes ascendentes sursum propter quas pellitur ad latus, &c.

Not. In tempore Ventorum licet vigeat maior frigiditas, quam in tempore tranquillitatum, tamen huiusmodi frigiditas non prouenit per se ab ipso vento, quia per se est calidus, & siccus, sed per accidens, & ab extrinseco, scilicet ex mixtione eius cum vaporibus frigidis, & humidis, quibus obuiat, & etiam ex aere frigido cum quo miscetur; vel ex eo quod secum adducit vapores frigidos, vel aerem frigidiorem, quam sit aer in quem venit, &c. Ideò Borea dicitur esse Ventus frigidus, quia venit ad nos à loco frigido, & transit per loca frigida, si quis dicat, homines calefacti petunt ventilari, quod nõ esset, nisi ventus esset frigidus, &c. Dicimus quod ideò hoc euenit, quia per ventilationem commouetur aer, qui est frigidior corpore hominis calefacti, &c.

Ven-

Ventus sic generatur nam per calorem Solis,& aliorum astrorum eleuatur à corporibus humidis exhalatio calidas,& sicca nō citò inflammabilis vsque ad mediā regionem aeris, quæ exhalatio propter frigiditatem dictæ mediç regionis repercutitur inferius, & propter suam leuitatem nititur ascendere sursum, sic mouetur lateraliter.

Not. materia Venti potest esse aer commotus,nam quando fit ventilatio flabelli ad pellendum calorem à facie hominis calefacti,tunc excitatur ventus, sed in hoc casu nihil aliud mouetur lateraliter nisi aer, ergo aer ita commotus erit ventus, &c. Potest etiam esse vapor aqueus, nam in mari regnant venti; sed hoc non possunt gigni, nisi ex vaporibus elatis à mari, ergo, &c. Item secus flumina frequēter spirant venti, sed non nisi ex vaporibus ex illis surgentibus, aliter enim non esset maior ratio, cur sæpè ibi spirant venti,quam alibi,&c. Item vapores delati vsque ad mediam regionem aeris, possunt indè pelli, sicut ipsæ exhalationes,& sic facere flatum, &c.

Materia venti (regulariter loquēdo) est exhalatio calida, & sicca delata à terrestribus,quia dum abundat magna copia exhalationum, vt in Vere, & Autumno, tunc sunt frequentius venti, &c. Item venti, vt plurimum exiccant,sed hoc non est, nisi quia coalescunt ex calida, & sicca materia, &c. Item pluuia facit cessare ventum,vt experientia docet,quia infrigidat, & humectat illam exhalationem, & è contra sæpius cessante pluuia surgit ventus, quia ex terra madefacta exhalat multus spiritus, sicut cum infunditur aqua in vas cineris exhalant partes subtiliores cineris, &c.

Quæritur secundò. Ventus à quo mouetur semper lateraliter?

Resp. Ille motus lateralis procedit ex duplici causa,scilicet à leuitate exhalationis,& à frigiditate mediæ regionis aeris; nam leuitas exhalationis eleuat eam sursum, & frigiditas mediæ regionis per antiperistasim reuerberat eam deorsum, & repellit,quarè hinc, & indè repulsa, nec potest ascendere, nec descendere,mouetur medio motu, scilicet lateraliter, &c.

Quæritur tertiò. Cur Ventus magis moueatur ad vnum latus, quam ad alium?

Resp. Quod hoc prouenit à frigiditate,quæ si fuerit fortior in Septentrione expellit exhalationem ad Meridiem,& si fuerit fortior in Meridiem tunc expellit eam ad Septentrionem, & sic pariter dicendū de Oriente, & Occidente,&c. Si verò ex nulla parte fuerit frigiditas notabilis, tunc exhalatio remanebit in aere quieta, &c.

Quæritur quartò. An Venti in motu laterali moueantur naturaliter, vel violenter?

Resp. Mouentur violenter,seu melius dicendum præter naturam, quia de natura exhalationis est moueri sursum, et non lateraliter,ergo mouentur præter naturam, etc.

Quæritur quinto. A quo præcipuè excitantur Venti?

Resp.

Resp. A Cælo per sua Sydera, ac influẽtias occultas, licet excitẽtur etiã à supradictis causis, scilicet à leuitate exhalationis, & à frigitate aeris vt dictũ est tamẽ huiusmodi causæ se solis nõ sufficiũt ad tot, ac mirabiles effectus efficiẽdo, ideò est recurrendũ ad alias causas, scilicet ad Cælũ, ad Astra. Nã Iouis habet suscitare vẽtos Aquilonares, Mars Australes, Sol Oriẽtales, & Luna Occidẽtalis, &c. Itẽ sicut magnes habet virtutẽ trahẽdi ferrum, ità Astra posũt habere virtutẽ trahendi exhalationes, & impellẽdi in hãc, vel illã partẽ iuxta diuersum earũ situm, & aspectum, &c. Item cum varij effectus ventorum non possunt saluari per dictas causas, opus est recurrere ad influxus Cælorum, &c.

Quæritur sexto. Quotuplices sunt Venti?

Resp. Quatuor sunt principales, seu cardinales, qui spirant à quatuor mundi angulis, scilicet ab Oriente, Occidente, Aquilone, & Austro, à quibus vulgariter appellantur ventus Orientalis, Occidentalis, Aquilonaris, & Australis, &c. Minus principales sunt plures, & singuli istorum principalium habent suos collaterales, &c.

Quæritur septimo. Quæ nam sunt proprietates ventorum?

Resp. Aliquæ proprietates conueniunt ventis ex sua natura, vt si venti constant tantum exhalationibus, tunc sunt calidi, & sicci; si verò habẽt vapores admixtos, sic sunt calidi, & humidi, si materia est tantum vapor, tunc venti sunt frigidi, & humidi, &c. Aliquæ proprietates conueniunt ventis ab extrinseco, scilicet ratione locorum, à quibus spirant, vel virtute Astrorum, à quibus excitantur, & sic ventis conueniunt variæ proprietates, & qualitates aduentitiæ iuxta diuersam dispositionẽ, locorũ, & regionũ per quas ad nos transeũt, & Astrorũ, à quibus excitantur, &c. Hinc venti Septentrionales sunt frigidissimi, & sicci, quia migrant per loca niuosa, & frigida, & inducunt serenitatem, quia sua frigiditate, & siccitate dissipant nubes, & earum humiditatem. Australes sunt calidi, & humidi, quia transeunt per mare, & loca calida, ideò faciunt nubes, & inducunt pluuias. Orientales sunt calidi, & sicci propter præsentiam Solis, ac prædominium in eis regionibus; Occidentales è contrà sunt frigidi, & humidi; ex his qualitatibus sequitur quosdam esse salubres, vt frigidi, & sicci, alios esse insalubres, & noxios, vt calidi, & humidi, quia corpora dissoluunt, & putrefaciunt, cum calidum, & humidum sit origo putredinis, &c. Item si loca, per quæ transeunt venti sunt salubria, vel noxia, ita eódem modo sunt venti, &c.

Quæritur octauo. An dentur aliqua præsagia Ventorum?

Resp. aff. Primum signum prælatio aranearum per aerem, secundum est rubor circà Lunã, iuxta illud, &c.

Pallida Luna pluit rubicunda flat,
alba serenat, &c.

Tertium signũ est si in sublimi videantur excurrentes Stellæ Cometæ, tonitrua colores rubei, corona circà Lunam, fax, vorago, &c. Nam hæc

omnia indicanc fuisse excitatam copiam exhalationum, ex quibus generantur venti, &c.

Quartum signum est fremitus littorum, & montium, vt murmur nemorum, secundum est motus nubium, nam ex tali motu satis cognoscitur illam motionem esse ab aliquo, qui citò est discessurus ad terram.

Quæritur nono. An dentur turbines? & qui sunt?

Resp. aff. Et sunt tres, scilicet Ectuphias, seu procella, Typhm, & Præstar, &c. Primus turbo euenit, quando multa exhalatio densa, & spissa includitur intrà nubem, & per antiperistasim ob circumstantem frigiditatem nubis incalescit, atque rarefit, & quærens ampliorē locum ad instar fulminis magno impetu scindit nubē, & deorsum impellitur cum magna violentia, & rectè descendit, &c. Secundus est cum eadem exhalatio descendit deorsum, non rectè, sed in gyrum contorta, & hoc venit ex pugna diuersarum nubium, vel partium eiusdem nubis ad inuicem, & flatus hinc indè geniti retorquentur inter se, quia vnus non cedit alteri, & sic descendentes faciunt circulum, &c. Hic turbo differt à primo, quia ille rectè descendit, hic verò in gyrū, &c. Tertius est eadem exhalatio aliquantulum inflammata, & descendens deorsum incendit, & comburit, &c. Vndè differt ab alijs ex sola inflammatione; differt etiam à fulmine, quia hic habet plus flatus, quā flammæ, fulmen verò habet plus flammę, quam flatus. Item materia fulminis est subtilior, quam materia huius turbinis, &c.

DE METHEORIS AQVEIS.

QVæritur primò. Quænam est materia Methceorum Aquorum.

Resp. Est vapor extractus ab Aquis marinis, siue fluuialibus virtute Solis, vel syderum, &c. Ex vaporibus fiunt nubes, nubulæ pluuia, ros, nix, grando, & alia huiusmodi, quorum singula explicare debemus, &c.

Quæritur secundò. Quid est Nubes?

Resp. Est vapor eleuatus in mediam regionem aeris, & ibi condensatus, tum à frigore aeris, tum à forma substantiali aquæ, tum etiā actione syderum; nubes non ita sunt condensatæ, sicut pluuia, vel glacies; sed sunt raræ, & quasi spongiosæ, vt ab aere substineatur in alto, & motibus ventorum hinc indè ferri possint, nec decidant, &c. Colores nubis sunt tantum apparentes pro varia dispositione nubis, nam si nubes est rarior, tunc apparet alba; si densa vt vix valeat lumen recipere, apparet nigra; si mediocra lumen perfunditur, apparet rubra, quod solet euenire in ortu, & occasu Solis, &c.

Nebu-

Nebula, seu caligo est vapor moderatè densus existens in infima regione aeris, differt à nube, quia illa existit in aere, hæc verò circà terram, &c. Hæc nebula est indicium futuræ serenitatis, &c. Datur etiam alia nebula, quę constat ex vaporibus crassioribus, qui vapores ob suam spissitudinem, & modicum calorem non possunt eleuari in altum, sed existunt in infimo aere, & efficiunt hanc nebulam, seu caliginem, quæ si calore Solis Orientis discutiatur indicat serenitatem, si verò eleuatur in altum, tunc indicat pluuiam, quia frigiditate aeris ibi densatur, & fit materia pluuiæ, seu conuertitur in nubem, &c.

Quæritur tertio. Quid est Pluuia, & quomodo generatur?

Resp. Est nubes in aquam resolutam, &c. Sic generatur, nam per calorem Solis, & aliorum Astrorum à corporibus humidis aqueis existentibus hic inferius, eleuatur vapor vsque ad mediam regionem aeris, vbi propter loci frigiditatem condensatur, & conuertitur in nubem, & nubes in pluuiam descendentem per guttulas propter salutem animantiũ; vndè si guttæ sunt minutæ ob tenuitatem vaporis dicitur imber, &c. Si gradiores, & cũ impetu, dicitur simpliciter pluuia, &c. Illa diuersitas guttarum oritur ex maiori propinquitate, vel distantia nubis, nam quo eleuatur nubes, eò in minutiores guttas resoluitur, &c.

Not. aliquæ pluuiæ vocantur prodigiosæ, & contingunt, quando cum pluuia decidunt ranæ, pisciculi, sanguis, lac, lapides, ferrũ, & similia, &c. Quod attinet ad ranas, & pisciculos dicimus, quod non solum vi turbinis, & ventorum potuerunt ex mari, & fluuijs in altum attolli, & deindè cum pluuia decidere, sed etiam, quia in nubibus poterant generari virtute Solis, cum sint animalia ex putri generabilia; nam ortus eorum refertur ad exhalationum pinguem, & viscosam vaporibus iunctam, & dispositam à Cælesti influxu ad suscipiendam formam istorum animalium, quam Deus ex pacto producit, &c. Quod attinet ad lac, & sanguinem dicimus, quod non est verũ lac, nec verus sanguis, sed solũ quo ad colorem, & hoc contingere potest, quia vapor extrahitur à terra colorata his coloribus, vel ex aliquo succo cum tali colore; vel tandem, quia actione peculiari syderum fuerunt producti illi colores varia permixtione exhalationum, &c. De ferro, & lapidibus est idem determinandum, nam possunt ex terra in altum attolli vi turbinis, & deindè decidere cum pluuia; vel in sublimi generari influxu causarum vniuersalium, etc. Animalia perfecta, quæ solum ex semine generantur, et lapides maiores non est credendum generari in aere, sed verisimile est ea in altum attolli vi turbinis, et ventorum, et deindè in alijs locis decidere cum pluuia. Huiusmodi autem pluuiæ prodigiosæ, quamuis possint referri ad causas naturales, vt dictum est, tamen sunt adhibendæ causis superioribus, scilicet Deo com-

monefacienti homines de futuris malis, vel Diabulo conanti inducere homines in errores mediantibus huiusmodi prodigijs, &c.

Quaeritur. Quae sunt praesagia pluuiae?

Resp. Sunt plurima; primum si Sol in Oriente apparet maior, quam solet; secundum si videtur imbutus quodam colore ceruleo; tertium si Luna in Oriente videtur nigra; quartum si fulgor Stellarum obscuretur nulla intercurrente nube, vel caligine, &c. At alia multa, quae legi possunt apud Plinium 18. naturalis historiae c. 35. &c.

Quaeritur quarto Quid est nix, & quomodo generatur?

Resp. Est nubes in niuem resoluta, etc. Nubes debet esse rarior, et antequam resoluatur in aquam cõstringitur frigore media regione aeris, etc. Nix sic generatur, nam per calorem Solis, et aliorum Astrorum eleuatur vapor calidus, et humidus vsque ad mediam regionem aeris, vbi propter magnam frigiditatem conuertitur in nubem, et nubes in niuem descendẽtes per grossas partes; generatur Hyberno tempore, quia tunc frigus est fortè, et vehemens, etc. Color niuis est albus, et verus color, quia vbique, et ab omnibus sẽper idẽ videtur, etc. Causa proxima huius candoris est frigus intensum, quia sicut calor est causa nigredinis, ità frigus est causa albedinis, ideò habitantes in locis niuosis sunt candidi, et in locis calidis sunt bruni, etc. Item nix includit multas partes aereas, vndè spumosa videtur, et spuma ex se est alba; nix est mollis ad modum lanae, et lata, quia vapor est tenuis, subtilis, et habet multum de humido aereo, ideò solum in hyeme fiunt niues, quia tunc non eleuatur vapores grossi, et densi propter frigus intensum, etc.

Quaeritur. Quae sunt praesagia niuis?

Resp. Plurima; primum est, si post Austrũ statim spiret Boreas, etc. vndè versus: continuò ninget Boream, si prouocet Auster: quia spirante Austro nubes calidae ob mixtas exhalationes ducuntur ad partem Borealem, et ibi concrescunt vinenti Boreali, qui est omnium frigidissimus, et sic non resoluuntur in pluuiam, sed in niuem, etc. secundum signum est, cum albescẽte nube Caelum est turbidum, quia sic arguitur frigiditas in aere, etc. tertium signum est quando experimur cessare ventos in infima regione aeris, quia tunc arguitur, ibi sit causa efficiens niuis, scilicet frigus, quod sua potentia eiecit calidam exhalationem, scilicet ventum, & sic facile addensabit nubem, quantum satis sit ad generationem niuis, &c.

Quaeritur quinto. Quid est grãdo?

Resp. Est pluuia congelata, tiam nubes primò conuertitur in pluuiam deindè pluuia antequàm descendat in terram vi frigoris intentioris congelatur in globulos, & dicitur grando; generatur non solum in media regione aeris, sed etiam in infima, quia videmus experientia paleas inclusas in grandine, quae ex terra à ventis fuerunt sublatae; si pluuia congelatur statim

ſtatim, ac nubes ſit conuerſa in pluuiam, tunc quia partes aquæ ſunt grandiores, etiā grandiores ſunt groſſiores; ſi verò congelatur poſtquam in minutiſſimas guttas fuerit diſcreta, tunc grandiores erunt minores, etiam ſi propè terram fuerint congelatæ, &c. Quando grando eſt parua, tunc habet figuram rotundam, quia gutta aquæ habet eandem figuram; ſed quando eſt prægrandis, tunc continet multos angulos, ſicut illa gutta aquæ; quando decidunt plures grandines ſimul conglutinatæ, & vna intra aliam, quia poſtquam grandines ſunt congelatæ circumdantur aquis, quæ etiam congelantur, & coeunt in vnum maioris molis; grando frequēter fit in vere, autumno, & in æſtate, quia his temporibus eleuatur vapor aqueus admixtus cum exhalatione terreſtri, &c.

Cauſa congelationis pluuiæ in grandinem eſt duplex ſcilicet materialis, & efficiens, materialis erit vapor aqueus ex natura ſua frigidus, & humidus, ſed cum aliqua admixtione exhalationum terreſtrium, quæ valdè confert ad ſoliditatem, & duritiem corporum, nam videmus experientia niuem aſperſam ſale congelari, quia ſal propter ſiccitatem confert ad congelationem, &c. Cauſa efficiens erit frigus extrinſecum aeris ambientis, & etiam influxus cæleſtis quorundam aſtrorum, quæ ſicut excitant ventos frigidos, ita intendunt in pluuiam cadentem, & cauſare congelationem, &c.

Aliqui dicunt, quod huiuſmodi congelatio pluuiæ in grandinem fit per antipariſtaſim; quatenus aer ambiens ſuo calore conſtringit aquam decedentem, quæ vt fortiùs poſſet reſiſtere calori extrinſeco, adunat proprias vires, & frigeſcit, vt congeletur, &c. ſed huiuſmodi cauſa nō eſt ſufficiens, quia aqua ex ſe nequit intendere frigus vltra proprias vires, vndè per antipariſtaſim nō fit maior qualitas intenſiuè, ſed ſolum, quæ erat diſperſa, adunatur, & vnitur, ergo ſi frigiditas naturalis aquæ non eſt ſufficiens ad congelationem, nec etiam cum circumcingitur à contrario calore poteſt eſſe cauſa cōgelationis, &c.

Quæritur ſexto. Quid eſt Glacies?

Reſp. Eſt aqua congelata, vel eſt idem ac grando, cum tali differentia, quod grando dicitur aqua congelata in aere; glacies verò eſt aqua congelata in ſtagnis, palludibus, fluuijs, &c. Aqua congelatur propter nimiam frigiditatē, ſed hoc non ſufficit, quia aqua cum ſit naturaliter ſummè frigida, tunc congelatio eſſet illi connaturalis, quod eſt falſum, cum aqua ſit fluida, &c. ſed requiritur etiam, vt ſit commixta terreſtri exhalatione, vt dictum eſt de grandine, &c.

Quæritur ſeptimò. Quid eſt ros?

Reſp. Eſt vapor ſubtilis non procul à terra eleuatus, & nocturno, & modico frigore conſtrictus in aqua; dicitur vapor ſubtilis ad differentiam craſſi vaporis ex quo generantur pluuiæ, nubes, nix, & grando; dicitur non procul à terra eleuatus, quia ros fit in infima regione aeris, ideò ſolum

solum in planis decidit non in montibus; dicitur nocturno, quia si calor excederet, vt in Estate, facilè consumeretur, cum ille vapor sit subtilis; si frigus esset ingens, tunc congelaret in pruinam, vt infrà, &c. ideò in Vere, & in Autumno condensatur ros, quia sunt tempora temperata; in Estate verò solum in locis frigidis, & humidis, & in maiori copia in plenilunio propter maiorem copiam vaporum, ex quibus sequitur rorem esse temperatæ naturæ, & etiam esse signum serenitatis, nam nebuloso tẽpore non fit ros, quia tunc non attrahitur vapor subtilis, sed crassus, nec tempore ventoso, quia vapor ille dispergitur, &c.

Quæritur octauo. Quid est Pruina?

Resp. Est ipse vapor, ex quo fit ros; generatur pruina, cum ipse vapor subtilis, & paucus attollitur à terra, nec in altum multum eleuatur, & vehementi frigore noctis congelatur, antequam cõuertatur in aquam, &c. solum differt à rore, quia pruina est ros congelatus, quia causatur non à temperato frigore, sed à vehementi, & serenis, & tranquillis noctibus propter easdem rationes pro rore adductas, &c.

Quæritur nonò. Quid est mel?

Resp. Est vapor roridus mixtus cũ quadam terrestri exhalatione, & subtili, concurrente etiam calore cælesti, & speciali influentia quorundam syderum, & temperato frigore noctis, &c. dicitur vapor roridus, quia ex rore generantur multa mixta, & præcipuè, &c. dicitur mixtus cum quadam terrestri exhalatione, quia nisi esset huiusmodi exhalatio non conficeretur mel; dicitur concurrente, &c. quia non quocunque tempore colligitur, sed tantùm post autumnum, in quo tempore frigus noctis est tẽperatum, & calor cælestis, & influẽtia syderum, tunc habentur, &c. mel decidit suprà flores, & herbas, à quibus accipit quasdam qualitates, hinc mel in Sardinia est amarum, quia apes colligunt illud ex floribus absinthis, &c.

Not. Quando huiusmodi exhalatio terrestris admixta vapori roridæ est multum sicca, & viscosa; dicitur rubigo, & decidit, vt plurimùm in Meridie flante Austro, quæ rubigo est valdè noxia fructibus, &c. Mel ex Aristotele 5. de historia animalium c. 22. est quidam ros ab apibus collectus, & in vasiculis intrà ipsas suscipiens aliquam alterationem, & posteà ab ijsdem repositus in cellulas instar puri liquoris, in quibus posteà, vt mustum feruet, & calore naturali cõcoquitur, & crassitiem acquirit, &c.

Quæritur decimo. Quid est Manna?

Resp. Est vapor roridus mixtus, &c. sicut dictum est de melle, cum hac tamen differentia, nam materia mannæ est spissior, & crassior, & magis terrestris; materia mellis est subtilior, & magis cocta; requiritur etiã ad generationem clima cæleste, & specialis proprietas terræ, ideò non decidit vniuersaliter in quocunque loco; gignitur enim vt plurimùm in Orien-

Oriente ob aeris impuritatem, & ob quandam moderationem frigoris, & caloris, &c. In locis frigidis non generatur; in Italia paucum, præterquam in Calabria, &c. Manna enim est quidam liquor candidus melliti saporis, & decidit in ramis arborum, herbis, & lapidibus, qui lingua Hebraica dicitur Manna, &c.

Quæritur. An huiusmodi manna sit eiusdem speciei cum manna, quod à Deo fuit concessum Hebræis in deserto?

Resp. Aliqui tenent partem negatiuam, quia diuersitas figuræ, saporis, & aliarum circumstantiarum infert distinctionem specificam, sed sic se habent ista manna, ergo, &c. Aliqui tenent partem affirmatiuam, quia nulla necessitas nos vrget ponēdi distinctionem inter manna datū Hebræis cælitus, &c. & manna commune, & naturale, cum manna naturale fuerit sufficiens ad nutriendos Hebræos in deserto, &c.

Quæritur vndecimo. Quid est saccarum?

Resp. Est quidam humor productus in arundinibus virtute illarū, &c.

DE METHEORIS
Conuenientibus Aquis.

POstquam egimus de metheoris prouenientibus ab aquis, nunc verò explicanda sunt ea, quæ conueniunt aquis, tàm marinis, quàm fluuialibus; nam aquis marinis conueniunt duo scilicet salsedo, & motus, &c. fluuialibus conueniunt multæ qualitates, &c.

DE SALSEDINE MARIS.

Q*Væritur*. An salsedo sit intrinseca aquæ maris?

Resp. Neg. patet, quia varijs modis potest haberi aqua dulcis à mari, nam si immergitur in mari vas cereum benè occlusum, tunc aqua, quam percolatur per poros ceræ est dulcis: Item si olla plena aquis maris apponeretur igni, tunc vapores fumantes euaderent dulces: Item patet de pluuia, cuius materia scilicet vapores excipiuntur à mari, ergo dicendum est salsedinem competere aquæ maris ab extrinseco, &c.

Qua-

Quaeritur. Quaenam sit causa salsedinis in mari?

Resp. Est duplex scilicet exhalatio terrea, sicca, & adusta permista cum humido aqueo; & actio Solis exiccans, & adurens aquas maris; nã huiusmodi actio Solis multum iuuat salsedinem maris scilicet coquendo nouas exhalationes, & recoquendo veteres: Item aqua maris summa est salsior, quam profunda, ergo signum est, quod actio Solis multum iuuat ad salsedinem. Item mare est salsius in estate, quam in hyeme, & est salsius in Oriente, & Meridie, quam in alijs locis, &c.

Quaeritur. Vnde proueniat in mari tam magna copia exhalationum terrestrium?

Resp. Ex nullo alio prouenire, nisi quia subtus terrae sunt magnae minerae salis, positae ibi ab Auctore naturae ab initio ob bonum vniuersi, &c.

Quaeritur. Quare multi fontes, & lacus reperiuntur salsi?

Resp. Quia terra per quam diffluunt huiusmodi aquae est praedita his dispositionibus, & mineris, &c.

DE MOTV MARIS.

QVaeritur. Motus Maris à quo prouenit?

Resp. In hoc quaesito non loquimur de motu denso, quo per innatam grauitatem tendit ad cẽtrum; nec de motu agitationis, causato à ventis, nam hic est varius pro varietate ventorum dominantium diuersis temporibus, &c. Sed loquimur de quibusdam motibus regulariter, & peculiariter conuenientibus Mari, &c. Primus motus est ab ortu ad occasum, causa huius motus assignatur Caelum, quia suo motu diurno rapit aquam ab ortu ad occasum, concurrente tamen quadam influentia Astrorum, scilicet Solis, & Lunae, &c. Secundus motus est reciprocus, seu aestus, & est quando marre intumescit, & detumescit, seu fluit, & refluit, & causa huius motus ab aliquibus assignatur rarefactio, & cõstipatio aquarum, vt si aquae sunt rarefactae, sic intumescunt, si cõstipatae, sic detumescunt, seu fluunt, & refluunt; tamen secundum cõmunem sententiã causa talis estus in mari est Luna, quia vt ait Scotus in 2. d. 14. q. 3. Luna praeest humidis; Vnde conchilia, & humores in corpore augentur, & minuuntur iuxtà varias cõiunctiones, & oppositiones lunares, &c. Itẽ iste aestus maris variatur iuxta motum Lunae, nam sicut Luna explet motum circularem diurnũ spatio vigintiquatuor horarum, ita aestus maris, & sicut motus lunaris diuiditur in quatuor partes iuxtà quatuor quadraturas Caeli, prima est à puncto Orientis nostri Orizontis vsque ad pun-

punctum Meridiei, secunda à puncto Meridiei vsque ad punctum Occasus tertia à puncto Occasus vsq; ad punctum mediæ noctis, quarta à puncto mediæ noctis vsque ad punctũ Horizontis Orientalis, sic etiam procedit Aestus, nam dum Luna est in prima quadratura incipit fluxus maris apud nos, in alia parte fit refluxus; concurrit etiam Sol, nam iuxta diuersum aspectum Lunæ ad Solem fit variè Aestus, maior enim Aestus contingit, dum Luna est in oppositione, vel coniunctione cum Sole, vt in Plenilunio, & Nouilunio, ac in quadraturis mediis, &c.

DE AQVIS FLVVIALIBVS, ET FONTIBVS.

Quæritur. Vndè proueniat tam ingens copia aquarum in visceribus terræ ad producendos fontes, & fluuios?

Resp. Circà hoc quæsitum sunt variæ opiniones; prima docet, aquas fluuiales generari ex pluuia, tanquam ex materia, quia in sinu terræ sunt quædam cauitates, in quibus pluuiæ congregantur tempore Hyemis, vt successiuè posteà scaturiant ex orificijs fontium; tamen hæc causa non est adæquata, quia aqua fluuialis non solum in hyeme, sed etiàm in estate cõtinuat, ergo videtur impossibile, quod solum ex pluuia proueniat; Item antequam pluuia fuisset in mundo, erãt flumina, vt patet ex illo Genesis primo, &c.

Secunda opinio est Aristotelis primo Metheororum sum. vlt. c. 1. docentis aquas fontales, & fluuiales oriri ex aere incluso in cauernis terræ, condensato ibi ex frigore, & conuerso guttatim in vaporem, ac in aquam, & quia montes sunt cauernosi, hinc videmus fluuios oriri ex montibus, non verò ex planitie, hæc causa etiam est inadæquata, quia inueniũtur adeò ingentes fluuij, & adeò perenniter fluunt, vt vix tanta generatio aquarũ poterit fieri sic statim, ideò non videtur sufficiens causa respectu fluminũ copiosè fluentium, vt regulariter præbent tantam materiam, &c.

Tertia opinio est communis, docens, mare præstare materiam copiosam fluminibus per subterraneos veniculos terræ, &c. Quia si nõ esset inter mare, & flumina hæc mutua communicatio aquarum, tunc mare nimis excresceret, cũ tot flumina intrant in mare, &c. Nec valet dicere aquas maris exiccari vi Solis, & in vapores cõuerti; quia sicut omnes pluuiæ non possunt esse causæ sufficiẽtes pro tot tantisque fluuijs, quia in dies supra terram erumperet, &c. Item patet ex

illo Ecclesiastici c. 1. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vndè exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant; nam omnia flumina originantur à mari, siue immediatè, quatenus immediatè proueniat à mari per subterraneas cauernas, siue mediatè quatenus ex mari attrahuntur vapores, qui in pluuiam conuersi causant torrentes, fontes, & adauget fluuios, & terra ex mari sugit aquas in suis visceribus, tanquam spongia, &c.

Dices primo. Quando non pluit omnia flumina, & fontes exsiccantur, vt patet ex illo Regū tertio c. 17. tēpore Eliæ, &c. ergo materia horum est aqua pluualis, & non aqua marina, &c.

Resp. Dist. antecedens omnia flumina, & fontes exsiccantur, quæ oriuntur ex aquis pluuialibus, vel ex aere mutato in vaporem concedo, quæ oriuntur ex mari nego, nam, &c. nec illud sacræ Scripturæ facit contrà nos, quia illa specialis siccitas fuit à Deo inflicta in pœnam peccatorum populi Israelitici, &c.

Dices secundo. Aquæ fontales, & fluuiales sunt dulces, ergo non possūt promanare ex mari, cuius aquæ sunt salsæ; &c.

Resp. Nego consequentiam, nam aquæ maris antequam perueniunt ad loca fontium, & fluuiorum transeunt per meatus terræ, in quibus depositis exhalationibus adustis, quæ inducebant salsedinem, etiam deponunt ipsam salsedinem, &c.

Quæritur. Quænam est causa effectiua attrahens aquas sursum ad superficiem terræ?

Resp. Varij sunt modi dicendi, nā aliqui dicunt aquam ascendere sursū propter periculum vacui, tamen huiusmodi modus dicendi non est admittendus, quia vt sit periculum vacui, debet esse aliqua vis trahendi corpus contiguum, sed nulla datur vis, quæ attrahat foras ex illis cauernis aerem, vel terram contiguam aquæ ibi existenti, ergo, &c.

Secundus modus dicendi est aquā ascendere sursum motu æquilibrationis, quia aqua ex sua natura mouetur ad æqualitatem suæ originis, & æquilibrare principium, & finem sub Elemento aeris, vt patet, nam aquæ fontis descendentes per fistulas ex alto loco ascendunt, deindè ad altitudinem suæ originis, &c. Ità dicendum in casu, nam mare est altius terra, ideò aqua maris descendens per cauitates terræ, iterum per alias cauitates ascēdit ad superficiem terræ; huiusmodi modus fundatur in hoc, quod mare sit altius terra, quod non est ità certū tamen talis modus potest reduci ad bonum sensum, &c.

Alij verò assignāt diuersas causas; prima causa potest esse ipsa terra sicca, nam terra trahit superius corpora humidiora, vel per vim attractiuam vel per contactum, nam dum corpus siccum tangit humidum fit humidum in ea parte, quam tangit, deindè humectat partem viciniorem, & sic de cæteris, donec aqua omnino sursum ascendat, (dummodo nō impediatur actio per excedentiam sicci-

ſiccitatis, & caloris) hæc aqua verò cum ſit grauis, & non poſſit ſe continerí ſurſum, diſtillat in quoſdam meatus, & cauitates propè ſuperficiē terræ, hinc foras erumpit, vndè videmus experientia fluuios, & fontes (vt plurimùm) exire ad radices, & latera montis, &c.

Secunda cauſa ponitur calor Solis, vel Aſtrorum, & rationabiliter hæc virtus fuit cōmunicata aſtris ab Auctore naturæ, quia hoc exigit bonū vniuerſi; nam ſicut in animalibus ab officina ſanguinis, quæ eſt in medio corpore, nulla habita ratione grauitatis, ſanguis diſpergitur huc, & illuc, ſurſum, & deorſum per venas à virtute attractiua prouidente omnibus partibus corporis de ſufficienti alimento, ità terra eſt prædita multis canalibus plenis aqua tanquam venis, & aqua per virtutem cæleſtem, quæ ſe habet, vt gubernatrix horum inferiorum, nullo reſpectu habito grauitatis aquæ, attrahitur ſurſum, & per varia loca in ſuperficie terræ diſpergitur propter conſeruationem mixtorum præcipuè viuentium, &c.

Tertia cauſa ponitur vapor, & vētus ſubterraneus incluſus in ſpecubus ſubterraneis, quandoque etiam ignis exiſtens in cauernis terræ; nam hi omnes valdè agitant aquas exiſtentes intus terram, & ſurſum pellunt, & foras faciunt emergere, hinc aquæ fontium videntur in orificio ebullire, &c.

Quarta cauſa poteſt aſſignari ille motus æqualibrationis aquæ, præcipuè in fluuijs ſcaturientibus in planis, quia vt ſupponimus, mare non eſt altius terra abſolutè, ſed tantum reſpectu alicuius partis planæ, ergo poteſt eſſe, quod in terra reperiantur quidam meatus, in quos aqua maris ſe detrudit in imum, deindè per quādam incuruationem per alios meatus ſurſum emergat ad altitudinem æqualem ſuo principio, hinc irrigat ſuperficiem plenā terræ; ſi verò flumina ſcaturiunt ex montibus, certum eſt, aquas prodeuntes ex mari peruenire vſque ad planitiem terræ per illos aquæductus ſubterraneos, quare paulùlum eleuari debent, quantum ſcilicet ſcaturigines fontium eleuatiores ſunt ipſo mari, hinc motus iſte æqualibrationis in his fluminibus multum iuuat, nam ex illo motu aliquis impulſus imprimitur aquæ antecedenti ab aqua ſubſequenti, vt non ſolum ad æqualibrationes cum ſuo principio, ſed vlterius ſurſum pellatur, præſertim, quia orificia, & ſcaturigines montium ſunt anguſtiores, quam meatus ſubterranei, &c.

Quæritur. Quænam eſt cauſa diuerſitatis fontium, & fluuiorum in ſaporibus, & alijs qualitatibus, & virtutibus productiuis diuerſorum effectuum?

Reſp. Cauſa talis diuerſitatis eſt diuerſitas terræ, & cæleſtium influētiarum; nam aqua commorando in viſceribus terræ, & tranſeundo per illos cuniculos afficitur qualitatibus, & diſpoſitionibus terreis, ſicut lixiuium, quia eſt aqua colata per cineres, trahit amaritudinem cinerū, &c.

Quæritur. An fluuij, & lacus habent

bent motum æstus, seu fluxus, & refluxus?

Resp. Aff. sed non ità, sensibilis propter paruitatem materiæ, &c. vel dicimus negatiuè propter quandam occultã proprietatẽ aquæ dulcis, &c.

DE METHEORIS TERREIS.

Q*Væritur*. An ex terra extrahuntur exhalationes.

Resp. Aff. quia sicut ex aqua extrahuntur vapores, qui sunt eiusdem speciei cum aqua, differentes tantum accidentaliter cum sint ab extrinseco calidi, & leues, ex quibus generantur metheora humida; ità ex terra virtute astrorum extrahuntur quædam exhalationes eiusdem speciei, differentes tantum accidentaliter cum terra, nam præter siccitatem habent ab extrinseco caliditatem, & leuitatem, &c.

Not. Si terra est crassa, & pinguis, tunc educitur exhalatio facilè combustibilis propter tenacitatem materiæ, ob quam actio Solis intensiùs recipitur, est materia metheororum ignitorum; si verò terra est arida, nec habet partes inter se multum inhærentes fit exhalatio non tam facilè combustibilis, nec tam altè euolat, & hæc est materia ventorum, &c.

DE TERRÆMOTV.

Q*Væritur*. Quænam est causa terræmotus? & quomodo causatur?

Resp. Est magna copia exhalationum terrestrium inclusarũ in cauernis, & visceribus terræ, & foras exire contendentium; patet nam maior est vis exhalationis inclusæ in visceribus terræ, cum ibi detineatur violẽter, quam sit vis exhalationis, quæ serpit super terram, vt sunt venti, sed venti sunt tantæ vehementiæ, quod euertunt domos, & turres, ergo multò magis exhalationes subterraneæ possunt concutere terram quando illis præcluditur egressus, &c.

Terræmotus sic generatur, nam per calorem Solis, & aliorum Astrorum generatur in visceribus terræ exhalatio calida, & sicca, quæ petens exitum mouetur de concauitate in concauitatem, rumpens aliquandò intermedia concauitatum, & in tali modo causatur motus terræ, &c.

Not. Quod non solum exhalationes genitæ in visceribus terræ possunt causare terræmotum, sed etiam si ab extrinseco ingrediantur per occulta foramina intra terram, quæ foramina occludũtur ab aqua, vel à frigore, &c.

Item

Item non solum exhalationes sunt causæ terræmotuum, sed etiam ignis, aer, & aqua possunt efficere commotiones subtus terram, patet de igne, quia possunt exhalationes terræ, crassæ, & bituminosæ accendi ab ignibus subterraneis, vel ab astris, & tunc rarefactæ, quia petunt maiorem locũ, vi sua occupant terram, & scaturiunt foras fluuij igniti; patet de aere, quia aer etiam potens est agitare terram, si nimis excresceret, vel rarefieret; patet de aqua, quia etiam potest cõcurrere ad motionem terræ, si v. g. in cauernis subterraneis valdè impelleretur à ventis, tunc pars superior terræ decideret, & flumen aquæ foras exiret; vel si taliter agitaretur, vt in illis locis non haberet sufficiens spatium, posset impetuosè foras erũpere, &c.

Quæritur. Quænam est causa efficiens terræmotus?

Resp. Primo moraliter loquendo, Deus est causa efficiens terræmotus, quia aliquandò indicat ipsum terræmotum ad terrendũ peccatores, &c. Secundo naturaliter loquendo dicimus, quod est exhalatio inclusa in visceribus terræ, quærens exitum, & non inuenit, & postquam excurrit huc, & illuc, tandem magna vi, ac impetu quassat terram, &c. Similiter ignis potest dici causa efficiens terræmotus, vt dictum est, &c.

Quæritur. Quinam sunt effectus terræmotus?

Resp. Primus effectus est vniuersalissimus scilicet inducere timorem mortalibus, &c. Secundus est specialis, & sic sunt multi scilicet sonus, qui semper comitatur terræmotum, qui quidem sonus est diuersus pro varia copia exhalationis, & pro diuersitate materiæ impetum excipientis, nam soni sunt magni, si exhalatio exit per amplos meatus, sunt tenues, si per angustos meatus, terribiles si per recuruos meatus, clari si per leues meatus, &c. Item audiuntur mugiti, clamores, vlulati, & alij quamplures, qui omnes pariunt magnum timorem, &c. de quibus nos Deus liberet.

Finis secundi Tomi de Physico auditu, Cælo, & Mundo, & Metheoris. Sit laus Deo, Beatæ Virgini, & omnibus Sanctis suis. Amen.

IN-

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

Numerus denotat Paginam; A, priorem, B, posteriorem indicat Columnam.

A

D

E

F

Fulgur

L

N

FINIS.